# M. T. CICERONIS DE OFFICIIS, LIBRI TRES.

ITEM Cato maior, seu de Senectute, Lælius, seu de amicitia, Paradoxa Stoicorum sex ad Marc. Brutum. *Quibus additum est præter superiorē æditionem, Somnium Scipionis: Ex castigatione Ioannis Bouleryi.* Fragmenta poëmatum, in quibus continentur Aratea. Aliorum poëmatūm nomina, sequēs pagina indicabit. Postremò accessit Qu. Fratris, De petitione consulatus lib.

EX DIONYS. LAMBINI MONSTROLIENSIS EMENDATIONE.

*Accesserunt eiusdem annotationes, seu animadversiones.*

*LONDINI,*
Excudebat Thomas Vautrollerius Typographus,
*Cum privilegio Regiæ Maiestatis.*
1584.

# INDEX SEV ELENCHVS POEMATVM, PRÆTER ARATEA QVORVM HOC LIBRO CONTINENTVR FRAGMENTA.

Alcyones.
Limo.
Marius.
De suo consulatu. Lib. III.
De suis temporibus. Lib. III.
Elegia Tamelastis.
Homeri conuersio.
Iocularis libellus.
Ad extremum adiuncta fragmenta librorum incertorum.

# M. T. CICERONIS DE OFFICIIS LIBER PRIMVS AD MARCVM FILIVM.

## LIBER I.

### ARGVMENTVM PER ERASMVM ROTERODAMVM.

*Ciceronem filiũ ſuo hortatur exemplo, ne ſimplici cuipiam ſtudio ſeſe addicat, ſed Græca cum Latinis, & orationis virtutes cum philoſophiæ ſcientia coniungat. Deinde quo eum reddat attentiorem, hanc, quæ de officijs eſt, philoſophiæ partem, duobus potiſſimum nominibus cõmendat, vel quod vſus eius ad omnem vitæ rationem latiſſimè pateat, vel quòd hæc vna ſit philoſophiæ omnibus inter ſe communis. Poſtremò teſtatur ſe in hac diſputatione Stoicos potiſſimum ſequi, quòd hi vel optime boni finem, ad quem officia omnia referuntur, conſtituerint, quum Epicurus voluptate metiens ſummum bonum, atque Ariſt. Pyrrho, & Herillus tollẽtes rerum delectum, officij quoque naturam ſubuerterint.*

QVAMQVAM te Marce fili, annum iam audientem Cratippum, idque Athenis abundare [a] oportet præceptis, inſtitutisq; philoſophiæ, propter ſummam & doctoris auctoritatem, & vrbis: quorum alter te ſcientia augere poteſt, altera exemplis: tamen, vt ipſe ad meam vtilitatem ſemper cum Græcis Latina coniunxi: neque id in philoſophia ſolùm, ſed etiam in dicendi exercitatione feci: [b] idem tibi cenſeo faciendum, vt par ſis in vtriuſque orationis facultate. Quam quidem ad rem, nos, (vt videmur) magnum attulimus adiumentum hominibus noſtris, vt nõ modò Græcarum literarum rudes,

a *q. v. l. oporteat.*

b *l. itẽ tibi, al. itid. tibi.*

ſed etiam docti, aliquantum ſe arbitrentur adeptos, & ad dicendum, & ad iudicandum. Quamobrem diſces tu quidem à principe huius ætatis philoſophorum, & diſces, quandiu voles: tamdiu autem velle debebis, quoad te, quantum proficias, non pœnitebit. Sed tamen noſtra legens, non multùm à Peripateticis diſſidentia: [2] quoniam vtrique [a] & Socratici, & Platonici eſſe volumus: de rebus ipſis [b] vtere tuo iudicio: nihil enim impedio: orationem autem Latinam [c] profectò legendis noſtris efficies pleniorem. Nec verò arrogãter hoc dictum exiſtimari velim. Nam philoſophandi ſcientiam concedens multis: quod eſt oratoris proprium, aptè, diſtinctè, ornateque dicere, quoniam in eo ſtudio ætatem conſumſi, ſi id mihi aſſumo, videor id meo iure quodam modo vendicare. Quamobrem magnopere te hortor, mi Cicero, vt non ſolùm orationes meas, ſed hos etiam de philoſophia libros, [3] [d] qui iam ſe illis ferè æquarunt, ſtudioſè legas. [e] Vis enim dicendi maior eſt in illis: ſed hoc quoq; colendum eſt æquabile, & temperatum orationis genus. Et id quidem nemini video Græcorum adhuc contigiſſe, [4] vt idem vtroque in genere [f] laboraret, ſequereturq; & illud forenſe dicendi, & hoc quietum diſputandi genus: niſi fortè Demetrius Phalereus in hoc numero haberi poteſt, diſputabor ſubtilis, orator parum vehemens: dulcis tamen, vt Theophraſti diſcipulum poſſis agnoſcere. Nos autem quantum in vtroque profecerimus, aliorum ſit iudicium: vtrumque certè ſecuti ſumus. Equidem & Platonem exiſtimo, ſi genus id forenſe dicẽdi tractare voluiſſet, grauiſſimè, & copioſiſſimè potuiſſe dicere: & Demoſthenem, ſi illa, quæ à Platone didicerat, tenuiſſet, & pronuntiare voluiſſet, ornatè, ſplendidéque facere potuiſſe. Eodẽmque modo de Ariſtotele, & Iſocrate iudico: quorum vterque ſuo ſtudio delectatus, [5] contemſit alterum. Sed cùm ſtatuiſſem [g] aliquid hoc tem-

[a] *v. c. nõ habent hanc copulationem: & L. eam delet.*
[b] *L. vtère.*
[c] *L. efficere profectò legẽdis noſtris pleniorem.*
[d] *L. qui iam illos ferè æquarunt fort. qui iam illis fere æquantur.*
[e] *L. vis enim maior in illis dicendi.*
[f] *L. elaboraret.*
[g] *L. ad te ſcribere aliquid hoc tempore, & m.*

tempore ad te ſcribere, & multa poſthac, ab eo [a] exordiri volui maximè, quod & ætati tuæ eſſet aptiſsimum, & auctoritati meæ [b] grauiſſimum. Nam, cùm multa ſint in philoſophia & grauia, & vtilia, accuratè, copioſéque à philoſophis diſputata, latiſſimè patêre videntur ea, quæ de officijs tradita ab illis, [c] & præcepta ſunt. Nulla enim vitæ pars, neque publicis, neque priuatis: neque forenſibus, neque domeſticis in rebus: neque ſi tecum agas quid, neq; ſit cum altero contrahas, vacare officio poteſt: in eoque [d] colendo ſita vitæ eſt honeſtas omnis, [e] & in negligendo turpitudo. Atque hæc quidem quæſtio communis eſt omnium philoſophorum. Quis eſt enim, qui nullis officij præceptis tradendis philoſophum ſe audeat dicere? Sed ſunt nonnullæ diſciplinæ, quæ propoſitis bonorum, & malorum finibus, officium omne peruertunt. Nam qui ſummum bonum ſic inſtituit, vt nihil habeat cum virtute coniunctum: atque ſuis commodis non honeſtate metitur: hic ſi ſibi ipſe conſentiat, & non interdum naturæ bonitate vincatur, [f] fit vt, neque amicitiam colere poſſit, nec iuſtitiam, nec liberalitatem. fortis verò, dolorem ſummum malum iudicans: aut temperans, voluptatem ſummum bonum ſtatuens eſſe certè nullo modo poteſt. Quæ quãquam ita [g] ſunt in promtu, vt res diſputatione non egeat, tamen ſunt à nobis alio loco diſputata. Hæ diſciplinæ igitur ſi ſibi conſentaneę eſſe velint, de officio nihil queãt dicere. Neque vlla officij præcepta firma, ſtabilia, coniuncta naturæ, tradi poſſunt, niſi aut ab ijs qui ſolam, aut ab ijs, qui maximè honeſtatem propter ſe dicant expetendam. Itaq; propria eſt ea præceptio Stoicorũ, & Academicorum, & Peripateticorum: quoniam Ariſtonis, Pyrronis, [h] & [i] Herilli, iampridem exploſa ſententia eſt. qui tamen haberent ius ſuum diſputandi de officio, [e] ſi rerum aliquem [k] delectum reliquiſſent, vt ad officij inuentionem aditus eſſet. Sequemur igitur

a *L. ordiri.*
b *vox, grauiſſimũ, nullus in v.c. comparet, nec agnoſcit L.*
c *q.v. c. non habent hic copulationẽ &.*
d *L. & colendo, al. excolendo.*
e *L. & neg.*
f *L. has duas voces, ſit vt, delet. neque comparent in v.c.*
g *q.v.c. ſunt in pr.*
h *copulatio, & abeſt hoc loco a.q.v.c.*
i *L. Erilli.*
k *L. delectũ.*

hoc quidem tempore, & in hac quæstione potissimum Stoicos, non vt interpretes: sed vt solemus, è fontibus eorum, iudicio, arbitrioque nostro, [a] quantum, quoquo modo videbitur, hauriemus.

a *al. quantumcunque videb.*

PLACET igitur, quoniam omnis disputatio de officio futura est, antè definire, quid sit officium: quod à Panætio prætermissum esse miror. Omnis enim, quæ à ratione suscipitur de aliqua re, institutio, debet à definitione proficisci, vt intelligatur, quid sit id, de quo disputetur.

*Quoniam non est simplex officij vocabulum, neque poterat in genere definiri commodè, diuisione explicat, duplici quidem verbi, sed re eadem. Facit autem ex Stoicorum sententia duo genera officiorum, alterum quod perfectum vocant, estq; cum fine boni coniunctum, neque in quenquam præterquam in sapientem competit. Alterum medium siue inchoatum, quod per se neque bonum sit, neque malum, sed ad vsum aliquem vitæ sumitur: vt rectè depositum reddere, perfecti sit officij. depositum reddere, imperfecti: cùm rectè n: si sapiens nemo reddat, reddant autem simul & stulti. Diuus autem Ambrosius prioris generis esse putat, quæ secundum consilia fiunt: posterioris, quæ secundum præcepta: vt bene admunistrare rem, ad inchoatum officium pertineat, erogare in pauperes ad perfectum.*

OMNIS de officio duplex est quæstio: vnum genus est, quod pertinet ad finem bonorũ: alterum, quod positum est in præceptis, quibus in omneis parteis vsus vitæ [b] confirmari possit. Superioris generis huiusmodi exẽpla sunt. Omnia ne officia perfecta sint: Nũquod officiũ aliud alio maius sit: & quæ sunt generis eiusdem. Quorũ autẽ officiorũ præcepta tradũtur ea, quãquam pertinent ad finẽ bonorũ, tamẽ id minùs apparet, quia magis ad institutionem vitæ cõmunis spectare videtur: de quibus est nobis his libris explicandum. Atq; etiam alia diuisio est officij. Nam & mediũ quoddam officiũ dicitur, & perfectum. Perfectum autem officium, rectũ, (opinor,) vocemus [c] quod Græci κατόρθωμα: 7 hoc autem [d] commune quod καθῆκον vocant. Atque ea sic definiunt, vt, rectum quod sit, id perfectum officium esse

b *al. confirmari.*

c *v. c. quoniam.*

d *v. c commune officiũ vocant.*

esse definiant: medium autem officium id esse dicant, quod, cur factum sit, ratio probabilis reddi possit.

## QVAE IN DELIGENDIS REBVS DELIBERANDI RATIO.

TRIPLEX igitur est, vt Panætio videtur, cõsilij capiendi deliberatio. nã, honestúmne factu sit, an turpe dubitant, id, quod in deliberationẽ cadit. in quo cõsiderãdo sæpe animi in cõtrarias sententias distrahũtur. Tum [a] autem inquirunt, aut consultant ad vitæ cõmoditatem, iucũditatemq;, ad facultates rerũ, atq; copias, ad opes, ad potentiam, quibus & se possint iuuare, & suos: conducat id, nécne de quo deliberant. quæ deliberatio omnis in rationẽ vtilitatis cadit. Tertiũ dubitãdi genus est, cum pugnare videtur cũ honesto id, quod videtur esse vtile. Cũ enim vtilitas ad se rapere, honestas cõtrà reuocare ad se videtur, fit vt distrahatur [b] deliberando animus, atferatq; ancipitem curã cogitandi. [c] Hac diuisione (cũ præterire aliquid maximũ vitiũ in diuidẽdo sit) duo prætermissa sunt. Nec enim solũ vtrũ honestũ, an turpe sit, deliberari soler, sed etiam, duobus propositis honestis, vtrũ honestius. Itemq; duobus propositis vtilibus, vtrũ vtilius. Ita, quã ille triplicẽ putauit esse rationẽ, in quinq; parteis distribui debere reperitur. Primum igitur est de honesto, sed dupliciter: tũ pari ratione de vtili: pòst de comparatione eorũ differẽdũ.

a *L. aut inquirunt.*

b *L. in deliberando.*

c *al. Hæc in diuisione.*

*Ex veterũ Academiæ, & Stoicorum Sententia, qui summum bonum à natura proficisci putant, & hoc ipsum esse beatè viuere: secundum naturam viuere, commemorant, quæ semina nobis natura inseuerit, quæq; adminicula addiderit, quibus accedente industria, ac vsu, ad fælicitatem, quo referuntur omnia proficiamus. Nam primo loco omni animanti studium tuendi sui indidit, id quod iure naturæ est hominum cum pecudibus commune, vocaturq; κατὰ φύσιν πρῶτον, id est, secundum naturam primum, consequens est appetitus eorum, quæ incolumitati sunt amica, fuga eorum, quæ noxia. Verùm homini, quoniam non solùm è corpore constabat, sed etiam ex animo, vt totus esse possit incolumis, ratio inuenit vim addidit, vnde disciplinæ omnes, & virtutes illæ morales proficiscuntur.*

PRINCIPIO generi animantium omni est à natura [a] tributum, vt se, vitam, corpúsque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videantur, omniaque, [b] quæcunque ad viuendum sint necessaria, inquirat, & paret: vt pastum, vt latibula, vt alia eiusdem generis. Commune [c] autem animantium omnium est, coniunctionis appetitus, procreandi causa, & cura quædã eorum quæ procreata sunt. Sed inter hominem & beluam, hoc maximè interest, quòd hæc tãtùm, quantùm sensu mouetur, ad id solùm quod adest, quódque præsens est, se accommodat, [d] pàullulum admodum sentiens præteritum, aut futurũ. Homo autem, [e] qui rationis est particeps, consequẽtia cernit: [f] principia, & causas rerum videt, [g] earumq; progressus, & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, & rebus præsentibus adiungit, atque annectit futuras: facilè totius vitæ cursum videt, ad eamq; degendam præparat res [g] necessarias: eademque natura vi rationis hominem conciliat homini, & ad orationis, & ad vitæ societatem: ingeneratque in primis præcipuum quẽdam amorem in eos, qui procreati sunt: impellitque, [i] vt hominum cœtus, [h] & celebrari inter se, & à se obiri velit: ob eásque causas studeat parare ea, [i] quæ suppeditẽt & ad cultum, & ad victum: nec sibi soli, sed coniugi, liberis, ceterisq; quos charos habeat, tueriq; debeat. Quæ cura excitat etiam animos, & maiores ad rem gerẽdam facit. In primisque hominis est propria veri inquisitio, atque inuestigatio. Itaque cùm sumus necessarijs negotijs, curisque vacui, tum auemus aliquid videre, audire, [k] ac discere: cognitionémque rerum aut occultarum, aut admirabilium, [l] ad bene, beatéque viuendum necessariã ducimus. ex quo intelligitur, quod verum, simplex, sincerúmque sit, id esse naturæ hominis aptissimum. Huic veri vidẽdi cupiditati adiuncta est appetitio quædam principatus, vt nemini parêre animus benè

a *al. attributum.*
b *L. quæ sint ad vidẽdum, necess. anquirat.*
c *L. Item.*
d *v. c. paullum admodũ.*
e *L. quòd rationis est particeps, per quam consequentia cernit causas rerum videt, earumq; progressus.*
f *vox, principia, cum copulatione & non comparẽt in v. c. nec agnoscit L.*
g *q. v. c. necessarius. Eadem natura.*
h *q. v. c. & celebrationes & esse, & à se obiri velit: & ita L.*
i *L. quæ suppeditent ad cult.*
k *L. addiscere.*
l *o. v. c. ad beatè viuendum necess. &*

benè à natura informatus velit, nisi præcipienti, aut docenti, aut vtilitatis causa iustè, & legitimè imperanti: ex quo animi magnitudo existit, [11] humanarúmque rerum contemtio. Nec verò illa parua vis naturæ est, rationisque quòd vnum hoc animal sentit, qui sit ordo, quid sit quod deceat: in factis dictisque [a] qui sit modus. Itaque eorum ipsorum, quæ adspectu sentiuntur, nullum aliud animal pulchritudinem, venustatem, conuenientiam partium sentit: quam similitudinem natura, ratióq; ab oculis ad animum transferens, multò etiam magis pulchritudinem, constantiam, ordinem in consilijs, factisq; conseruandum putat: cauétque ne quid indecorè, effeminatéue faciat: tum in omnibus & opinionibus, & factis, ne quid libidinosè aut faciat, aut cogitet. quibus ex rebus cõflatur, & efficitur, id quod quærimus, honestum: quod etiam si nobilitatum non sit, tamen honestum sit: quódque verè dicimus, etiamsi à nullo laudetur, laudabile esse natura. Formam quidem ipsam, Marce fili, & ta quam faciẽ honesti vides: [b] quæ si oculis cerneretur, mirabiles amores, (vt ait Plato) excitaret sapientiæ.

a L. qui modus.

b δεινὰς αὐπαρεῖχον ἔροτας, εἰ τοιοῦτον ἑαυτῆς εἴδολον παρεῖχετο εἰς ὄψιν ἴον.

*De quatuor virtutibus, vnde omnia vitæ communis officia, manant, Prudentia, Iustitia, Fortitudine, & Temperantia: ac de Materia singulorum.*

SED omne, quod honestum est, id quatuor partium oritur ex aliqua: aut enim in perspicientia veri, solertiáq; versatur: aut in hominum societate tuenda, tribuendoque suum cuique, & rerum contractarum fide: aut in animi excelsi, a q; inuicti magnitudine, ac robore: aut in omnium quæ fiunt, quæq; dicuntur, ordine, & modo: in quo inest modestia, & temperantia. Quæ quatuor quanquam inter se colligata, [c] atque implicita sunt, tamen ex singulis certa officiorum genera nascũtur: velut ex ea parte, quæ primò descripta est, in qua sapientiam, & prudentiam ponimus, inest indagatio, at-

c L. atq; implicata sunt.

que inuentio veri, eiuſq; virtutis, hoc munus eſt proprium. Vt enim quiſque maximè perſpicit, quid in re quaque veriſſimum ſit,[a] quiq́ue & acutiſſimè, & celerrimè poteſt & videre, & explicare ratione, is prudentiſſimus & ſapientiſſimus ritè haberi ſolet. quocirca huic, quaſi materia, quam tractet, & in qua verſetur, ſubiecta eſt veritas. Reliquis autem tribus[b] virtutibus neceſſitates propoſitæ ſunt ad eas res parandas, tuendáſque, quibus actio vitæ continetur: vt & ſocietas hominum, coniunctioq́ue ſeruetur: & animi excellentia, magnitudóque cum in augendis opibus, vtilitatibúſque & ſibi, & ſuis comparãdis, tum multò magis in his ipſis deſpiciendis eluceat. Ordo autem, & conſtantia, & moderatio, & ea, quæ ſunt his ſimilia, verſantur in eo genere, ad quod adhibenda eſt actio quędam, non ſolùm mentis agitatio. His enim rebus, quæ tractãtur in vita[c] modum quendam adhibentes, & ordinem, honeſtatem, & decus conſeruabimus.

a *L. quiq; acutiſſime.*

b *virtutibus abeſt à q. v. c.*

c *L. modum quendam, & ordinem adhibentes, honeſt.*

*De prudentia virtutum omnium principe, & quid in ea fugiendum quid ſequendum.*

EX quatuor autem locis, in quos honeſti naturam, vimq́; diuiſimus, primus ille, qui in veri cognitione conſiſtit, maximè naturam attingit humanam. Omnes enim trahimur & ducimur ad cognitionis, & ſcientiæ cupiditatem: in qua excellere, pulchrum putamus: labi autem, errare, neſcire, decipi & malum, & turpe ducimus. In hoc genere & naturali & honeſto duo vitia vitãda ſunt, vnũ, ne incognita pro cognotis habeamus, hiſq; temerè[d] aſſentiamus: quod vitiũ effugere qui volet, (omnes autem velle[e] debent) adhibebit ad conſidedas res & tempus, & diligentiam. Alterum eſt vitium, quòd quidã nimis magnum ſtudium, multámq; operam in res obſcuras, atque difficiles conferunt, eaſdẽq; non neceſſarias: quibus vitijs declinatis, quod in rebus honeſtis, & cognitione dignis, operæ, curæque ponetur

d *q. v. c. aſſentiamur, alij aſſentiamus. vt hiſ.*

e *al. debẽdunt.*

netur, id iure laudabitur: vt in [a] Astrologia C. Sulpicium audiuimus in Geometria Sex. Pompeium ipsi cognouimus: multos [b] in Dialectica, plureis in iure ciuili. quæ omnes artes in veri [c] inuestigatione versantur: cuius studio à rebus [d] agendis abduci, cõtra officium est. virtutis enim laus omnis in actione consistit: à qua tamen sæpe fit intermissio, multiq; dantur ad studia reditus: tum agitatio mentis, quæ numquam acquiescit, [12] potest nos in studijs [e] cogitationis, [f] etiam sine opera nostra continere. Omnis autem cogitatio, motusq; animi, aut in consilijs capiendis de rebus honestis, & pertinentibus ad bene, beateq́ue viuendum, aut in studijs scientiæ, cognitionisq́ue versatur. ac de primo quidem officij fonte diximus.

a *al. Astronomia.*
b *L. in dialectica.*
c *q.v.c. vestigatione.*
d *aliquot v. c. gerundi.*
e *L. cognitionis.*
f *à. q.v.c. particula etiã abest.*

## IVSTITIA.

DE tribus autẽ reliquis latissimè patet ea ratio, qua societas hominum inter ipsos, & vitæ quasi communitas continetur: cuius partes duæ sunt. Iustitia, in qua virtutis splẽdor est maximus: ex qua boni viri nominantur. [13] & huic coniuncta [g] beneficentia, quam eãdem vel benignitatem, vel liberalitatem [h] appellari licet. Sed iustitię primum munus est, [i] vt ne cui quis noceat nisi lacessitus iniuria: deinde vt communibus vtatur pro communibus, priuatis vt suis. Sunt autem priuata nulla, natura: sed aut veteri occupatione, vt qui quondam in vacua venerunt: [14] [k] aut victoria, vt qui bello potiti sunt: aut lege, pactione, conditione, sorte. ex quo fit vt ager Arpinas, [l] Arpinatum dicatur: Tusculanus, Tusculanorum. Similisq; est priuatarum possessionum descriptio. ex quo, quia suum cuiusque fit eorum, quæ natura fuerant communia, quod cuique obtigit, id quisque teneat. [15] [m] ex quo siquis sibi plus appetet, violabit ius humanæ societatis. Sed quoniam, (vt præclarè scriptum est à Platone,) Non nobis solùm nati sumus, ortusq́ue nostri partem patria vendicat,

g *o.v.c. beneficentia, & ita L.*
h *al. appellare.*
i *al. vt neque cui noc.*
k *L. aut bello, vt qui victoria potiti sunt.*
l *L. Arpinatium dicatur.*
m *al. eo siquis sibi plus appetet. q.v.c. è quo siquis sibi appetet. fort. è qua si quis sibi quid appetet.*

partem parentes, partem amici: [a] atque (vt placet Stoicis,) quæ in terris [b] gignuntur, ad vsum hominum omnia creari, homines autem hominum causa esse generatos, vt ipsi inter se, alius alij prodesse possent: in hoc naturam debemus ducem sequi, & communes vtilitates in mediũ afferre, [16 c] mutatione officiorum, dando, accipiendo: tum artibus, tum opera, tum facultatibus deuincire hominum inter homines societatem.

a L. *atque ita placet Stoicis.*

b *v.c. gignãtur, & ita L.*

c L. *mutatione.*

*Fides iustitiæ fundamentum ab etymologia.*

FVNDAMENTVM [d] est autem iustitiæ fides: id est, dictorum, conuentorúmque constantia, & veritas. ex quo quamquam hoc videbitur fortasse cuipiam durius, tamen audeamus imitari Stoicos, qui studiosè exquirunt, vnde verba sint ducta: credamúsque quia fiat, quod dictum est appellatam fidem.

d L. *autẽ iustitia est fides.*

*Duo item iniustitiæ genera, vt iustitiæ: & vnde oriantur.*

SED iniustitiæ [e] duo genera sunt: vnum eorum, qui inferunt: alterum eorum, qui ab ijs, quibus infertur, [f] si possint, non propulsant iniuriam: Nam qui iniustè impetum in quempiam facit, aut ira, aut aliqua perturbatione incitatus, [g] is quasi violẽter manus videtur afferre socio. qui autẽ non defendit, nec obsistit, si potest, iniuriæ, tam est in vitio, quàm si parenteis, aut patriam, aut socios deserat. Atque illæ quidem iniuriæ, quæ nocendi causa de industria inferuntur, sæpe à metu proficiscuntur, vt cùm is, qui nocere alteri cogitat, timet, ne, nisi id fecerit, ipse aliquo afficiatur incommodo. Maximam autem partem ad iniuriam faciẽdam aggrediuntur [h] nonnulli vt adipiscantur ea, quæ [i] concupierunt: in quo vitio latissimè patet auaritia. Expetuntur autem diuitiæ cùm ad vsus vitæ necessarios, tum [k] ad perfruẽdas voluptates. In quibus autem maior est animus, in ijs pecuniæ cupiditas spectat ad opes, & ad gratificandi facultatem: vt nuper M. Crassus negabat, vllam satis magnam pecuniam esse ei, qui in repub. princeps vellet esse,

e L. *genera duo sunt.*

f L. *si possunt.*

g L. *is quasi manus videtur aff. soc.*

h *vox nonnulli, abest ab o.v.c. nec eam agnoscit L.*

i L. *concupiuerunt.*

k *q.v. c. ad perfruendas vol.*

eſſe,qui ſuis fructibus exercitum alere non poſſet.Delectant enim magnifici apparatus,vitæque cultus cum elegantia,& copia: quibus rebus effectũ eſt, vt infinita pecuniæ cupiditas eſſet.Nec verò rei familiaris amplificatio,nemini nocens,vituperanda: ſed fugienda ſemper iniuria eſt.Maximè autem adducuntur plerique, vt eos iuſtitiæ capiat obliuio, cum in imperiorum, honorum,gloriæ cupiditatem inciderint. Quod enim eſt apud Ennium,Nulla ſancta ſocietas, nec fides regni eſt: id latiùs patet. Nam,quicquid eiuſmodi eſt,in quo non poſſint plures excellere, in eo ſit plerumq; tanta contentio, vt difficillimum ſit, ſanctam ſeruare ſocietatem. Declarault id modò [a] tempeſtas C. Cæſaris,qui omnia iura diuina,atque humana peruertit,propter eum, quẽ ſibi ipſe opinionis errore finxerat principatum. Eſt autem in hoc genere moleſtum,quod in maximis animis ſplendidiſſimiſq; ingenijs plerumque exiſtunt honoris, imperij, potentiæ , gloriæ,cupiditates, quo magis cauendum eſt, ne quid in eo genere peccetur.

a *L. Temeritas.*

*Iniuria alia, alia leuior.*

SED in omni iniuſtitia permultùm intereſt,vtrũ perturbatione aliqua animi,quæ plerunq; breuis eſt,& ad tempus: an conſultò,& cogitatò fiat iniuria.Leuiora enim ſunt, quæ repentino aliquo motu accidunt, quàm ea quæ meditata & præparata inferuntur.[b] Ac de inferenda quidem iniuria ſatis dictum eſt.

b *q. v. c. Ac de inferenda.*

*Cauſas recenſet, vnde ſecundum iniuſtitiæ genus oriatur.*

PRAETERMITTENDAE autem defenſionis , deſerendiq́ officij plures ſolent eſſe cauſę.Nam,aut inimicitias,aut laborem, aut ſumptus ſuſcipere nolunt: aut etiam negligentia, pigritia,inertia,[c] aut ſuis ſtudijs quibuſdã,occupationibuſue ſic impediũtur,vt eos,quos tutari debeant, deſertos eſſe patiantur. [19] Itaq; videndum eſt, ne non ſatis ſit id,quod apud Platonem eſt in philoſophos dictum: quod in veri inueſtigatione ver-

c *al. aut ſuis ſtudijs, quibuſdamue occupationibus ſic imp.*

sentur,quodq; ea,quę pleriq; vehemẽter expetũt, [a] de quibus inter se digladiari solent,contendant, & pro nihilo ducant, propterea iustos esse. [18] [b] Nam dum alterum iustitiæ genus assequuntur [c] inferenda, ne cui noceant iniuria:in alterum incidunt.Discẽdi enim studio impediti,quos tueri debent,deserũt. [d] Itaq; eos ad rempub.ne accessuros quidem [e] putãt,nisi coactos, æquius autem erat id volũtate fieri.Nam hoc ipsum ita iustum est,quod rectè fit,si est volũtarium. Sunt etiam,qui aut studio rei familiaris tuendę,aut odio quodam hominũ, suum se negotium agere dicant, ne facere cuiquam videantur iniuriam:qui dum altero iniustitiæ genere vacant,in alterum incurrũt. Deserunt enim vitæ societatem,quia nihil conferunt in eam studij,nihil operæ,nihil facultatũ. Quoniã igitur duobus generibus iniustitiæ propositis,adiũximus causas vtriusq; generis,easq; res antè constituimus, quibus iustitia continetur:facilè quod cuiusq; temporis officium sit, poterimus,nisi nosmetipsos valdè amabimus,iudicare. Est enim difficilis cura rerum alienarũ.quãquam Terentianus ille Chremes humani nihil à se alienum putat. Sed tamen quia magis ea percipimus,atq; sentimus,quæ nobis ipsis aut prospera,aut aduersa eueniunt, quàm illa,quæ ceteris: quæ quasi lõgo interuallo interiecto videmus:aliter de illis,ac de nobis,iudicamus. Quocirca benè præcipiũt, qui vetãt quidquam agere,quod dubites,æquum sit,an iniquum.Æquitas enim lucet ipsa per se:dubitatio [f] autem cogitationem significat iniuriæ.

*Docet officia pro circumstantijs variari, & quod officiosum erat, id contra officium fieri duobus maximè modis, si aut ab vtilitate recedatur, aut minus vtile præferatur vtiliori: quin interdum præter officium esse, nimium inhærere iuris apicibus.*

Sed incidunt sæpè tempora, cum ea, quæ maximè videntur digna esse iusto homine, eoque, quem virum bonum dicimus,commutantur, fiuntq; contraria: [19] vt nõ reddere depositum: [g] etiámne furioso promissum

[a] *al. déque quibus.*
[b] *L. Nam alterum iustitiæ genus ass.*
[c] *L. Inferenda ne cui noceant iniuria.*
[d] *v. c. in inferẽda nẽ cui noc &c. quod etiam placet.*
[d] *L. Itaque eos ne ad rẽp. quidem accessuros p.*
[e] *al. putat.*
[f] *particula, autem abest. à v. c.*
[g] *L. etiam promissum nõ facere: quæq; pert.*

ſum facere,quæq; pertinent ad veritatem,& ad fidem,
[20] a ea negare interdum,& non ſeruare,ſit iuſtum. Referri enim decet ad ea,quæ propoſui in principio,fundamenta iuſtitiæ: primùm,vt ne cui noceatur:deinde, vt communi vtilitati ſeruiatur: ea cùm tempora cõmutantur,commutatur officium: [b] & nõ ſemper eſt idem. Poteſt etiam accidere promiſſum aliquod, & conuentũ, vt id effici ſit inutile vel ei, cui promiſſum ſit,vel ei, qui promiſerit. Nam ſi,vt in fabulis eſt,Neptunus,quod Theſeo promiſerat,non feciſſet,Theſeus filio Hippolyto non eſſet orbatus. Ex tribus enim optatis, vt ſcribitur,hoc erat tertium,quod de Hippolyti interitu iratus optauit:quo impetrato,in maximos luctus incidit. Nec promiſſa igitur ſeruanda ſunt ea, quæ ſint ijs, quibus promiſeris inutilia: [21] [c] nec,ſi plus tibi noceant, quàm illi proſint, cui promiſeris. Contra officium eſt, maius damnum anteponi minori: vt,ſi conſtitueris te cuipiam aduocatum in rem præſentem eſſe vẽturum,atque interim grauiter ægrotare filius cœperit, non ſit contra officium,non facere quod dixeris:magisq; ille cui promiſſum ſit, ab officio diſcedat, ſi ſe deſtitutum queratur. Iam illis promiſſis non ſtandum eſſe quis non videt: quæ coactus quis metu,aut deceptus dolo promiſerit? Quæ quidem pleráque iure prætorio liberantur, nonnulla legibus.

a L. ea negare interdum, & non ſeruare, ſit iuſtum.

b L. vt non ſemper ſit idem, Poteſt cuius accid.

c L. nec ſi plus tibi ea noceãt, quam illi proſint, cui promiſeris, contra officiũ eſt, maius anteponere minori, vt ſi.

*In iuriſdicialibus officijs æquitas ſpectanda, non verbis inhærendum.*

EXISTVNT etiam ſæpe iniuriæ calumnia quadam,& nimis [d] callida,& malitioſa iuris interpretatione. Ex quo illud, SVMMVM IVS, SVMMA INIVRIA, factum eſt iam tritum ſermone prouerbium. Quo in genere etiam in reb. multa [e] peccantur: vt ille, qui,cùm triginta dierum eſſent [22] cum hoſte pactæ indutiæ,noctu populabatur agros, quòd dierũ eſſent pactæ, non noctium indutiæ. [f] Nec noſter quidem probandus,ſi verum eſt,Qu. Fabium Labeonem, ſeu quem

d q.v.c. in calumnia.

e q.v.c. peccant.

f L. Ne noſter quidẽ pr. & ita.v.c.

alium ([a] nihil enim præter auditum habeo) arbitrum Nolanis, & Neapolitanis de finibus agri à ſenatu datum, cum ad locũ veniſſet, cum vtriſq; ſeparatim locutum, [b] ne cupidè quid agerent, [c] nec appeterent, atque vt regredi, quàm progredi mallent. Id cum vtrique feciſſent, [d] aliquantum agri in medio relictum eſt. Itaque illorum fineis, ſicut ipſi dixerant, terminauit: in medio relictum quod erat, populo R. adiudicauit. [e] Decipere hoc quidem, non iudicare eſt. Quocirca in omni re, fugienda eſt talis ſolertia. Sunt autem quædam officia etiam aduerſus eos ſeruanda, à quibus iniuriam acceperis. Eſt enim vlciſcẽdi, & puniendi modus. Atque haud ſcio, an ſatis ſit, eum qui laceſſierit, iniuriæ ſuæ pœnitere: vt & ipſe ne quid tale poſthac [f] committat, & cæteri ſint ad iniuriam tardiores.

a L. (nihil enim habeo, præter auditum) & ita v.c.

b al. vt ne cup.

c q.v.c. néve appeterẽt, al. ne appeterent.

d q.v.c. aliquantulum.

e L. Decipere hoc quidem eſt, non iudicare.

f Verbum, committat, nõ eſt in v.c. nec agnoſcit L.

*Hactenus de ciuili iuſtitia, nunc de bellicis officijs. Facit autem duo belli genera, quorum vtrũq; communia ſunt hæc: vt nõ niſi iuſtu de cauſis ſuſcipiantur: ne inferantur niſi rebus repetitis, niſi ſolenniter denunciata, vt ritè gerantur, ne ſeuiatur ſupra modum in victos: humanus etiam qui ſe dedunt recipiantur, fides hoſti etiam priuatim præſtetur, non modo in conuentis ſolennibus. Propria verò ſunt illa, vt cum hoc hoſtium genere, qui de imperio certant, humanius agamus: cum his qui vitam noſtram petunt, ſæuerius.*

ATQVE in republica maximè [g] conſeruãda ſunt iura belli. Nam cùm ſint duo genera decertãdi: vnũ per diſceptationem, alterum per vim: cumq; illud proprium ſit hominis, hoc beluarum: confugiendum eſt ad poſterius, ſi vti non licet ſuperiore. Quare ſuſcipienda quidem bella ſunt ob eam cauſam, vt ſine iniuria in pace viuatur. parta autem victoria, conſeruãdi ſunt ij, qui non crudeles in bello, [h] nec immanes fuerunt: vt maiores noſtri Tuſculanos, Æquos, Volſcos, Sabinos, Hernicos [i] in ciuitatem etiam acceperũt: at Karthaginem, & Numantiam funditus ſuſtulerunt. nollem Corinthum: [23] [k] ſed credo illos ſecutos oportunitatem loci maximè, ne poſſet aliquando ad bellum faciendum locus

g q.v.c. obſeruanda.

h L. non immanes fuer. & ita v.c.

i al. etiam in ciuit. ac.

k L. ſed credo aliquã ſecutos opportunitatẽ loci. m.

locus ipſe adhortari. Mea quidem ſententia,paci,quæ nihil habitura ſit inſidiarum,ſemper eſt conſulendum. In quo ſi mihi [a] obtemperatum eſſet: etſi nō optimam, at aliquam rempublicam quæ nunc nulla eſt, haberemus.& cum ijs,quos vi deuiceris conſulendum eſt,tum ij qui armis poſitis,ad imperatorum fidem [b] confugiūt, quamuis murum aries percuſſerit, recipiendi ſunt. In quo tantopere apud noſtros iuſtitia culta eſt, vt ij, qui ciuitates, aut nationes deuictas bello in fidem recepiſſent, earum patroni eſſent, more maiorum. Ac belli quidem æquitas ſanctiſſimè feciali populi R. iure perſcripta eſt. Ex quo intelligi poteſt, nullum bellum eſſe iuſtum,niſi quod aut rebus repetitis geratur,aut denūtiatum antè ſit,& indictum. [c] Pompilius,imperator, tenebat prouinciam: in cuius exercitu Catonis filius tiro militabat. Cùm autem [d] Pompilio videretur vnam dimittere legionem, Catonis quoq; filium,qui in eadem legione militabat,dimiſit.Sed cum amore pugnandi in exercitu remanſiſſet,Cato [e] ad Pompilium [f] ſcripſit,vt ſi eum [g] pateretur in exercitu remanere,ſecundo eum [h] obligaret militiæ ſacramento:quia priore amiſſo iure, cum hoſtibus pugnare non poterat. [24] Adeò ſumma erat obſeruatio in bello mouendo. Marci quidem Catonis ſenis Epiſtola eſt ad M. filium, in qua ſcripſit, ſe audiſſe, [i] eum miſſum factum eſſe à conſule, cùm in Macedonia Perſico bello miles eſſet. Monet igitur, vt caueat,ne prælium ineat,negat enim ius eſſe,qui miles nō ſit,pugnare cum hoſte.Equidē illud etiam animaduerto, quòd qui proprio nomine perduelis eſſet,is hoſtis vocaretur, lenitate verbi triſtitiam rei [k] mitigante. Hoſtis enim apud maiores noſtros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. Indicant enim duodecim tabulæ: AVT STATVS DIES CVM HOSTE. Itémque: ADVERSVS HOSTEM AETERNA AVCTORITAS. Quid ad hanc manſuetudinem addi poteſt,

a *L. eſſet obtemperatum ſi non optimam, at aliquam.*
b *L. confugient, & ita v.c.*
c *L. M. Pompilius.*
d *L. Popilio.*
e *L. ad Pompilium.*
f *q. v. c. ſcribit.*
g *q. v. c. patitur.*
h *q. v. c. obliget.*
i *q. v. c. cum dimiſſum eſſe à conſ.*
k *L. mitigatam, & ita v. c.*

cum,[a] quicum bella geras,tam molli nomine [b] appellari? Quanquam id nomen durius iam effecit vetustas:à peregrino enim iam recessit, & propriè in eo,[25] [c] qui ferret arma contrà,remansit. Cùm verò de imperio decertatur, belloque quæritur gloria, causas omnino subesse tamẽ oportet easdem, quas dixi paullò antè iustas causas esse bellorum. Sed ea bella,quibus imperij gloria proposita est, minùs acerbè gerenda sunt.[26] [d] Vt enim, cùm ciuiliter contendimus, aliter, si est inimicus,aliter si competitor:cum altero certamen honoris,& dignitatis est:cum altero capitis,& famæ:sic cum Celtiberis,cum Cimbris bellum, vt cum inimicis gerebatur, vter esset, non vter imperaret: cum Latinis, Sabinis,Samnitibus,Pœnis,Pyrrho de imperio dimicabatur. Pœni fœdifragi, crudelis Hannibal,reliqui iustiores. Pyrrhi quidem de captiuis reddendis [e] illa præclara sententia:

Nec mi aurum posco, nec mi pretium dederitis,
Nec cauponantes bellum,sed belligerantes,
Ferro, non auro vitam cernamus vtrique.
Vósne velit, an me regnare hera,[27] quídue ferat
[f] fors,
Virtute experiamur: & hoc simul accipe dictum:
Quorum virtuti belli fortuna pepercit,
Eorundem me libertati parcere certum est:
[28] Dono,ducite,doque volentibus cum magnis dijs.

Regalis sanè & digna Æacidarum [g] genere sententia. Atque etiam si quid singuli, temporibus adducti, hosti promiserint,est in eo ipso fides [h] conseruanda:vt primo Punico bello Regulus captus à Pœnis,cùm de captiuis commutandis Romam missus esset,iurassetque se rediturum:[i] primùm [k] vt venit,captiuos reddendos in senatu non censuit: deinde,cùm retineretur à propinquis, & ab amicis, ad supplicium redire maluit, quàm fidem hosti datam fallere.

a *q.v.c. quocum bellum.*
b *L. appellare?*
c *L. qui arma contra ferret, rem, & ita v.c.*
d *L. vt enim cum ciui aliter contendimus, si est inimicus: aliter, si comp.*
e *L. illa præclara: Nec mi.*
f *L. fors.*
g *al gente.*
h *libri vulg. seruanda.*
i *q v.c. primò captiuos redd.*
k *q v.c. non habent hoc totum, vt venit.*

30 *Secundo autem Punico bello, post Cannensem pugnam, quos decem Hannibal Romam adstrictos misit iureiurando se redituros esse, nisi redimendis ijs, qui capti erant, impetrassent: eos omneis, censores, quoad quisque eorum vixit,* [a] *qui peierassent, in aerarijs reliquerunt: nec minùs illum, qui iurisiurandi fraude culpam inuenerat. Cùm enim Hannibalis permissu exisset de castris, redijt paullò post, quòd se oblitum nescio quid diceret. Deinde egressus è castris, iureiurando se solutum putabat: & erat verbis, re non erat.* [b] *Semper autem in fide, quid senseris, non quid dixeris, cogitandum. Maximum autem exemplum est iustitiæ in hostem à maioribus nostris constitutum. Cùm à Pyrrho perfuga senatui est pollicitus, se venenum regi daturum, & eum necaturum: senatus & C. Fabricius perfugam Pyrrho dedidit. Ita ne hostis quidem, & potentis, & bellum vltrò inferentis, cum scelere interitum approbauit.* Ac de bellicis quidem officijs satis dictum est. Meminerimus autem, etiam aduersus infimos iustitiam esse seruandam. Est autem infima conditio, & fortuna seruorum: quibus non malè præcipiunt qui ita iubent vti, [c] vt mercenarijs ad operam exigendam, [d] & iusta præbenda. Cum autem duobus modis, id est, aut vi, aut fraude, fiat iniuria: fraus, quasi vulpeculæ, vis leonis videtur: [e] vtrumque alienissimum ab homine: sed fraus odio digna maiore. Totius autem iniustitiæ nulla capitalior est, quàm eorum, qui tum, cum maximè fallunt, id agunt, vt viri boni esse videantur. De iustitia satis dictum est.

a *q.v.c. quòd peierassent.*

b *L. Semper enim in fide.*

c *v. c. vt mercennarijs.*

d *copulatio &, abest ab o.v.c. nec eam agnoscit. L.*

e *L. vtrumque homine alienissimum.*

*De liberalitate secunda iustitiæ parte, quam tamen Aristoteles modestiæ videtur annectere, in qua tria potissimum spectanda docet Cicero: ne quid demus quod accipientis sit nociturum, neue quod alijs largiamur, ab alijs per iniuriam auferamus. Secundum: vt pro facultatum modo liberalitatem exerceamus. Tertium, ne demus quibus non oporteat. Dandum autem aut virtute commendatis: aut ijs, qui nos beneuola beneuolentia prosequuntur: aut quibus cum nobis aliquod societatis vinculum intercedit: aut denique qui bene de nobis meriti, quibus & cum fœnore beneficium remetiendum. Postremò societate humanæ gradus à summo fonte repetibus, inter se componit, vt quantum*

*cuique debetur, tantum præstetur. Sed de hac parte Seneca pluribus libris diligentissimè scripsit.*

DEINCEPS, (vt erat propositum,) [a] de beneficentia, ac liberalitate dicatur: qua quidem nihil est naturæ hominis accõmodatius. sed habet multas cautiones. Videndum est enim primùm ne obsit benignitas & ijs ipsis, quibus benignè videbitur fieri, & cæteris: deinde, ne maior [b] benignitas sit, [c] quàm facultas: tum vt pro dignitate cuique tribuatur. Id enim est iustitiæ fundamentum, ad quam hæc referenda sunt omnia. Nam & qui gratificantur cuipiam, quod obsit illi, cui prodesse velle videantur, non benefici, neque liberales, sed pernicioſi assentatores iudicandi sunt: & qui alijs nocent, vt in alios liberales sint, in eadem sunt iniustitia, vt si in suam rem [d] aliena cõuertant. Sunt autem multi, & quidem cupidi splẽdoris, & gloriæ, qui eripiunt alijs, [e] quod alijs largiantur. Hiq; arbitrantur se beneficos in suos amicos [f] visum iri, si locupletent eos quacumque ratione. [31] Id autem tantum [g] abest ab officio, vt nihil magis officio possit esse contrarium. Videdum est igitur, vt ea liberalitate vtamur, quæ prosit amicis, noceat nemini. Quare L. Syllæ, & C. Cæsaris pecuniarum translatio à iustis dominis ad alienos nõ debet liberalis videri. Nihil [h] est enim liberale quod non idem sit iustum. Alter erat locus cautionis, ne benignitas maior esset, quàm facultates: quòd qui benigniores volunt esse, quàm res patitur, [i] primùm in eo peccant, quòd iniurioſi sunt in proximos. quas enim copias his & suppeditari æquius est, & relinqui, eas transferunt ad alienos. Inest autem in tali liberalitate cupiditas plerúmque rapiendi, & auferendi per iniuriam, vt ad largiendũ suppetant copiæ. Videre etiam licet pleróſq; non tam natura liberaleis, quàm quadam gloria ductos, vt benefici videantur facere multa, [k] quæ videntur ab ostẽtatione magis quàm à voluntate proficiſci. Talis autẽ simulatio, vanitati est coniun-

a *v.c. de beneficientia.*

b *q. v. c. sit benignitas.*

c *L. quàm facultates.*

d *q. v. c. alienam.*

e *q. v. c. alijs quod lar.*

f *q. v. c. visu iri.*

g *q. v. c. abest officio, & ita L.*

h *a. q. v. c. abest verbum substantiuum est.*

i *q. v. c. primum eò peccant.*

k *L. quæ proficiſci ab ostẽtatione magis, quàm à voluntate videntur. T. & ita v. c.*

coniunctior,quàm aut liberalitati, aut honeſtati. Tertium eſt propoſitum, [a] vt in beneficentia delectus eſſet dignitatis,in quo & mores eius erũt ſpectandi,in quem beneficium conferetur,& animus erga nos,& cõmunitas,ac ſocietas vitæ,& ad noſtras vtilitates officia antè collata,quę vt concurrãt omnia,optabile eſt:ſin minus, plures cauſæ,maioresque ponderis plus habebunt.

a *v.c.vt in beneficientia dilectus eſſet &c.& ita L.*

*Mores non ad exactam illam ſapientis Stoici rationem ſpectandos, ſed ciuilem virtutis imaginem.*

QVONIAM autem viuitur non cum perfectis hominibus, [b] plenèq; ſapientibus,ſed cum ijs,[33] [c] in quibus præclarè agitur,ſi ſint ſimulacra virtutis: etiam hoc intelligendum puto, neminem omnino eſſe negligẽdum,in quo aliqua ſignificatio virtutis appareat: colendum autem eſſe ita quemq; maximè, vt quiſq; maximè his virtutibus leuioribus erit ornatus, modeſtia, temperantia, hac ipſa,de qua iam multa dicta ſunt,iuſtitia. Nam fortis animus & magnus in homine non perfecto,nec ſapiente,feruentior plerumque eſt: [d] illæ verò virtutes, virum bonum videntur potius attingere. [e] Atque hæc in moribus [f] conſiderentur.

b *q.v.c. planeq.*

c *L. in quibus præclarè agitur. ſi inſint ſimulacra virtutis.*

d *v.c. Illæ virtutes bonum virum vid.& ita L.*

e *L. Atque hæc in moribus. De ben.*

f *Verbum, conſiderentur abeſt à v.c. nec agnoſ. L.*

*Quomodo conſideranda ſit beneuolentia aliorum erga nos.*

DE [g] beneuolentia autem, quam quiſq; habeat erga nos, primum illud eſt in officio, [h] vt ei plurimum tribuamus,à quo plurimum [i] diligimur:ſed beneuolentiam non adoleſcentulorum more, ardore quodam amoris,ſed ſtabilitate potius,& conſtantia iudicemus.

g *v.c. beniuolentia.*

h *q.v.c. vt illi plurimi.*

i *q.v.c. diligamur.*

*Benè meritis de nobis quomodo referenda gratia.*

SIN erunt merita, vt non ineunda, ſed referenda ſit gratia:maior quædam cura adhibenda eſt. Nullum enim officium referẽda gratia magis neceſſarium eſt. Quòd ſi ea quæ acceperis vtenda, maiore menſura, ſi modò poſſis,iubet teddere Heſiodus:quidnam beneficio prouocat facere debemus? [33] [k] an nõ imitari agros fertileis,qui multo plus afferũt,quàm acceperunt? Et-

k *L. an imitari agros fertiles.*

enim si in eos quos speramus nobis profuturos, nõ dubitamus officia conferre: quales in eos esse debemus, qui iam profuerunt? Nam cùm duo genera liberalitatis sint, vnũ dandi beneficij, alterum reddendi: demus, nécne, in nostra potestate est: non reddere, viro bono non licet, [a] si modo id facere possit sine iniuria. Acceptorũ autem beneficiorum sunt [b] delectus habendi. Nec dubium, quin maximo cuique plurimum debeatur. In quo tamen in primis, quo quisque animo, studio [c] beneuolentia fecerit, ponderandum est. Multi enim faciunt multa temeritate quadã, sine iudicio vel modo, in omneis, vel repentino quodam, quasi vento, impetu animi incitati: quæ beneficia æquè magna non sunt habẽda, atque ea, quæ iudicio, considerate, constanterq́; delata sunt. Sed in collocando beneficio, & in referẽda gratia, si cetera paria sint, hoc maximè officij est, vt quisq; maximè opis indigeat, ita ei potissimùm opitulari: quod cõtrà fit à plerisq́; à quo enim plurimùm sperãt, etiam si ille his non eget, tamen ei potissimum inseruiunt.

a *Particula, si, abest à. v. c. nec eam agnoscit L.*
b *L. Delectus hab. & ita. v. c.*
c *v. c. beniuolentia.*

*In coniunctione vitæ quis ordo, ac primùm de societate vniuersali omnium mortalium.*

OPTIME autem societas hominum, coniunctioq́; seruabitur, si vt quisq; erit cõiunctissimus, ita in eũ benignitatis plurimum conferetur. [34] Sed quæ [d] naturæ principia sint communitatis, & societatis humanæ repetẽdum altiùs videtur. est enim primum, quod cernitur in vniuersi generis humani societate, eius autẽ vinculum est, ratio, & oratio: quæ docẽdo, discendo, communicãdo, disceptando, iudicãdo, conciliat inter se homines, coniungitq́; naturali quadam societate. Neque vlla re longiùs absumus à natura ferarum, in quibus inesse fortitudinem sæpe dicimus, vt in equis, in leonibus: iustitiam, æquitatem, bonitatem non dicimus. Sunt enim rationis, & orationis expertes. Ac latissimè quidẽ patens hominibus inter ipsos, omnibus inter omneis, societas

d *L. natura.*

ſocietas hæc eſt: in qua omnium rerum, quas ad communem vſum hominum, natura genuit, eſt ſeruanda communitas: vt quæ deſcripta ſunt legibus, & iure ciuili, hæc ita teneantur, vt ſit conſtitutum: è quibus ipſis cætera ſic obſeruentur, vt in Græcorum prouerbio eſt: AMICORVM ESSE [a] OMNIA COMMVNIA. Omnia autem communia hominum videtur ea, [b] quæ ſunt generis eiuſdem, quod ab Ennio poſitum in vna re, [c] transferri per multas poteſt.

[d] Vt homo, qui erranti comiter monſtrat viam,
Quaſi lumen de ſuo lumine accendat, facit:
[e] Vt nihilominus ipſi luceat, cùm illi accenderit.

[f] Vna enim ex re ſatis præcipitur, vt, quicquid ſine detrimento poſſit commodari, id tribuatur cuique vel ignoto. Ex quo ſunt illa communia, [g] NON PROHIBERE aquam profluentẽ: PATI AB IGNE IGNEM capere, [h] ſi quis velit: CONSILIVM FIDELE deliberanti dare: quæ ſunt ijs vtilia, qui accipiunt: danti nõ moleſta. Quare & his vtendum eſt, & ſemper aliquid ad communem vtilitatem afferendum. Sed quoniam copiæ paruæ ſingulorum ſunt: eorum autem, qui his egeant, infinita eſt multitudo: vulgaris liberalitas referenda eſt ad illum Ennij finem, [i] NIHILO MINVS VT IPSI LVCEAT: vt facultas ſit, qua in noſtros ſimus liberales.

GRADVS autem plures ſunt ſocietatis hominũ. Vt enim ab illa [k] diſcedatur infinitate, proprior eſt eiuſdem gentis, nationis, linguæ: qua maximè homines coniunguntur: interius etiam eſt, eiuſdem eſſe ciuitatis. Multa enim ſunt ciuibus inter ſe communia: forum, fana, porticus, viæ, leges, iura, iudicia, ſuffragia, conſuetudines præterea, & familiaritates, [l] multæq; cum multis res, rationesque contractæ. [m] Arctior verò colligatio ſocietatis propinquorum. ab illa enim immenſa ſocietate generis humani in exiguum, anguſtumq; con-

a *L. communia omnia. & it. 1 v. c.*
b *L. quæ ſunt generis eius. quod ab.*
c *L. transferri in permault.*
d *L. homo qui err.*
e *L. Nihilominus ipſi luceat, cùm.*
f *L. Vna ex re ſatis præcipit, vt quid quid.*
g *L. Non prohibere aqua profluente.*
h *q. v. c. ſi qui velit.*
i *L. Nihilominus ipſi luceat.*
k *L. Infinita diſc.*
l *L. Multa q; cũ multis r.*
m *v. c. Arctior verò collegatio eſt ſoc. & ita L.*

cluditur. Nam cum sit hoc natura commune[a] omnium animantium, vt habeant libidinē procreandi, prima societas[b] in ipso est coniugio: proxima in liberis: deinde vna domus, communia omnia. Id autem est principium vrbis, & quasi seminarium reip. Sequuntur fratrum cōiunctiones, pòst consobrinorum, sobrinorumq;: qui cum vna domo iam capi non[c] possint, in alias domos, tamquam in colonias exeunt. Sequuntur connubia, & affinitates: ex quibus etiam plures propinqui. 35 Quæ propagatio,[d] & soboles origo est rerū publicarum. Sanguinis autem coniunctio, & [e]benevolentia deuincit charitate homines. Magnum est enim, eadē habere monumēta maiorum, ijsdē vti sacris, sepulchra habere communia. Sed omniū societatū nulla præstantior est, nulla firmior, quàm cùm viri boni, moribus similes, sunt familiaritate coniuncti. Illud enim honestū, (quod sæpe [f]diximus,) etiam si in alio cernamus, tamē nos mouet, atq; illi, in quo id inesse [g] videtur, amicos facit. Et quāquam omnis virtus nos ad se[h]allicit, facitque vt eos diligamus, in quibus ipsa inesse videatur: tamen iustitia, & liberalitas id maximè efficit. nihil autem est amabilius, [i]nec copulatius, quàm morum similitudo bonorum. [k]In quibus enim eadem studia sunt: eædemque voluntates, in his fit, vt æquè quisque altero delectetur, ac seipso: efficiturque 36 id [l] quod Pythagoras vult in amicitia, vt vnus fiat ex pluribus. Magna etiā illa communitas est, quæ conficitur ex beneficijs [m] vltro citroque datis, acceptisq;, quæ mutua, & grata dum sunt, inter quos ea sunt, firma deuinciūtur societate. Sed cùm omnia ratione, animoque [n] lustraueris, omnium societatum [o] nulla est gratior, nulla charior, quā ea, quæ cum rep. est vnicuiq; nostrūm. cari sunt parentes, cari liberi, propinqui familiares: sed omnes omnium caritates patria vna cōplexa est: pro qua quis bonus dubitet mortē oppetere, si ei sit profuturus? Quo est [p] detestabilior istorum immanitas,

a *Vox, omnium abest a. v.c.*
b *L. in ipso coniugio est: prox. & ita v.c.*
c *L. possunt.*
d *L. & soboles, & ita v. c.*
e *v.c. beniuol.*
f *al decimus.*
g *L. videat.*
h *q.v.c. alliciat, faciatq;.*
i *Fort nec copulantius.*
k *q.v c. In quibus enim sunt eadem studia, eædem voluntates: & ita L.*
l *L. quod Pythagoras vltimum in amicitia putauit, vt vnus fiat, &c.*
m *L. vltrò, & citro datis, acceptis, quæ mut. & ita v.c.*
n *L. lustraris, & ita v.c.*
o *v.c. nulla est grauior.*
p *q.v c. istorum detestabilior imm.*

manitas, qui [a] lacerarunt omni scelere patriam, & in ea funditus delenda occupati & sunt, & fuerunt. Sed si cõtentio quædã, & comparatio fiat, quibus plurimum [b] tribuendum officij, principes sunt, patria, & parẽtes, quorum beneficijs maximè obligati sumus, proximi, liberi, totaq́; domus, quæ spectat in nos solos, neq; aliud vllũ potest habere perfugium: deinceps bene conuenientes propinqui, [c] quibus communis etiam plerumq́ue fortuna est. Quamobrem necessaria præsidia vitæ debẽtur ijs maximè, quos ante dixi: vita autem, victusq́; communis, consilia, sermones, cohortationes, consolationes, interdum etiam obiurgationes [d] in amicis vigent maximè: estq́ue ea iucundissima amicitia, quam similitudo morum coniugauit.

a *al. lacerauerunt.*

b *L. tribuendum sit offic.*

c *L. quibus cum comm.*

d *L. in amicitijs & ita v. c.*

*Liberalitatis officia non solum ab his gradibus societatis, sed etiam ab alijs circunstantijs spectari oportere.*

SED in his omnibus officijs tribuendis videndũ erit quid cuique maximè necesse sit, & quid quisque nobiscum, vel sine nobis aut possit consequi, aut non possit, Ita non ijdem erunt necessitudinum gradus, [e] qui & temporum: [f] suntq́ue officia, quæ alijs magis, quàm alijs debeantur: vt vicinum citiùs adiuueris [g] in frugibus percipiendis, quàm aut fratrem, aut familiarem. at si lis in iudicio sit, propinquum potiùs, & amicum, quàm vicinum defenderis. Hæc igitur, & talia circum spicienda sunt in omni officio: & consuetudo, [37] exercitatióque capienda, vt boni ratiocinatores officiorum esse possimus, [38] & addendo, [h] deducendoq́ue videre, quæ reliqui summa fiat: ex quo, quantum cuique debeatur, intelligas. Sed vt nec medici, nec imperatores, nec oratores, quamuis [i] artis præcepta perceperint, quidquã magna laude dignum sine vsu, & exercitatione consequi possunt: sic officij conseruandi præcepta tradũtur illa quidem, vt faciamus ipsi: sed rei magnitudo vsum quoque, exercitationemq́ue desiderat. Atque

e *L. qui temporum.*

f *al. sunt namque off. al. sunt quædam off.*

g *q. v. c. in fructibus p.*

h *o. v. c. ducendoq́.*

i *vox, artis in q. v. c. non comparet.*

ab ijs rebus, quæ sunt in iure societatis humanæ, quemadmodum ducatur honestum, ex quo[a] ortum est officium, satis ferè diximus.

a *L. aptum est offi. & ita v.c.*

*Magnanimitas tertius officiorum fons, quæ ex rerum humanarum contemptu, & animi amplitudine quadam nascitur: declaratur autem potissimùm in periculis adeundis, & arduis rebus obeundis. Huic ad dexteram est audacia, pertinacia, immanitas, arrogantia, crudelitas, confidentia, morositas, ira, sceuitia, ambitio ad leuum, timiditas, ignauia, stupor, & id genus vitia. Exercetur autem magnanimitas partim in rebus bellicis, magis autem in negotijs vrbanis, denique & priuata in vita: de quibus omnibus variè differit Cicero.*

INTELLIGENDVM est autem, cùm proposita sint genera quatuor, è quibus honestas, officiumq; manaret, splendidissimum videri, quod animo magno, elatoq;, humanasq; res despiciente factum sit. Itaq; in probris maximè in promptu est, siquid tale dici potest.

Vos etenim iuuenes,[b] animos geritis muliebreis,
39 [c] Illáque virgo viri. Et si quid eiusmodi:
[d] Salmacida spolia sine sanguine, & sudore.

Contráque in laudibus, quæ magno animo, & fortiter, excellenterq; gesta sunt, ea nescio quomodo quasi pleniore ore laudamus. Hinc rhetorum campus de Marathone, Salamine, Platæis, Termopylis,[e] Leuctris, Stercocle, hinc noster Cocles, hinc Decij, hinc Cnæus, & Publius Scipiones, hinc M. Marcellus, innumerabilesq; alij: maximéque ipse populus R. animi magnitudine excellit. Declaratur autè studium bellicæ gloriæ, quòd statuas quoque videmus ornatu ferè militari.

b *L. animum geritis muliebrem.*
c *L. Illa virago viri.*
d *L. Salmaci, das spolia sine sudore, & sanguine. C.*
e *al. Stratoq.*

*Fortitudinem si ab honestate recedat, nomen suum amittere.*

SED ea animi elatio, quæ cernitur in periculis, & laboribus, si iustitia vacat, pugnatóque non pro salute communi, sed pro suis commodis, in vitio est. non enim modò id virtutis non est, sed potius immanitatis, omnẽ humanitatem repellentis. Itaq; probè definitur à Stoicis FORTITVDO, cùm eam, virtutem esse dicunt [f] propugnãtem pro æquitate. Quocirca nemo, qui fortitu-

f *q. v. c. pugnantem.*

titudinis gloriam consecutus est, insidijs, & malitia laudem est adeptus. nihil enim honestum esse potest, quod iustitia vacat. Præclarum igitur [a] Platonis illud: [b] Non solùm, inquit, scientia, quæ est remota à iustitia, calliditas potiùs, quàm sapientia est appellãda: verum etiam animus paratus ad periculum, si sua cupiditate, non vtilitate cõmuni impellitur, audaciæ potiùs nomẽ habeat, quàm fortitudinis. [c] Itaque viros forteis, & magnanimos, [d] eosdem bonos, & simpliceis, [d] veritatis amicos, minimèque fallaceis esse volumus: quæ sunt ex media laude iustitiæ, sed illud odiosum est, quòd in hac elatione, & magnitudine animi, facillime pertinacia, & nimia cupiditas principatus innascitur. Vt enim apud Platonẽ est, omnem morem Lacedæmoniorũ, inflammatũ esse cupiditate vincendi: sic, vt quisque animi magnitudine maximè [e] excellit, ita maximè vult princeps omnium [f] esse, vel potiùs solus esse. Difficile autẽ est, cùm præstare omnibus [g] concupieris seruare æquitatem, quæ est iustitiæ maximè propria. Ex quo fit, vt neque disceptatione vinci se, nec vllo publico, ac legitimo iure patiantur. exsistuntq; in republica, plerumq; largitores, & factiosi, vt opes quàm maximas consequantur, & sint vi potiùs superiores, quam iustitia pares. Sed quod difficilius, hoc præclarius. [h] nullũ est enim tempus, quod iustitia vacare debeat. Fortes igitur, & magnanimi sunt habendi, non qui faciunt, sed qui propulsant iniuriã. Vera autẽ & sapiens animi magnitudo, honestum illud, quod maximè [i] natura sequitur, in factis positũ, non in gloria iudicat: principemq; se esse mauult, quàm videri. Etenim qui ex errore imperitæ multitudinis pendet, hic in magnis viris nõ est habendus. Facillimè autem ad res iniustas impellitur, [j] vt quisque est altissimo animo, [k] & gloriæ cupido. qui locus est sane lubricus, quòd vix inuenitur, qui laboribus susceptis, periculisque additis, non quasi mercedem rerum gestarum desideret gloriã.

a *L. illud Platonis.*
b *q.v.c. Non inquit solum.*
c *q.v.c. Ita viros. f.*
d φιλαληθὴς.
e *v.c. excellet.*
f *esse, hic, abest a.v. c. nec agnoscit. L.*
g *L. concupieris.*
h *q.v.c. nullum enim tẽpus est, quod.*
i *q.v.c. naturam.*
k *L. & gloria cupidissimo.*

*Veræ magnanimitas duabus in rebus potiſſimum ſita, in contemnendis tum proſperis, tum aduerſis, & in arduis rebus gerendis.*

OMNINO fortis animus, & magnus, duabus rebus maximè cernitur: quarum vna in rerum externarũ deſpicientia ponitur, cùm perſuaſum ſit, nihil hominem, niſi quod honeſtum, decorúmque ſit, aut admirari, aut optare, aut expetere oportere: nulliq́ue neque homini, neq; perturbationi animi, nec fortunæ ſuccumbere. Altera eſt res, vt cùm ita ſis affectus animo, vt ſuprà dixi, res geras magnas illas quidem, & maximè vtileis, ſed vehementer arduas, [a] plenasq́; laborum, [a] & periculorum, tum [b] cauſa vitæ, tum multarum aliarum rerum, quæ ad vitam pertinent. Harum rerum duarum [c] ſplendor omnis, & amplitudo eſt, addo etiam vtilitatem, in poſteriore: cauſa autem, & ratio efficiẽs magnos viros, eſt in priore. in eo enim eſt illud, quòd excellẽteis animos, & humana cõtemnenteis facit. Id autẽ ipſum cernitur in duobus, ſi & ſolum id, quòd honeſtum ſit, bonũ iudices, [d] & omni animi perturbatione liber ſis. nam & ea, quæ eximia pleriſq́;, & præclara videntur, parua ducere: eáque ratione ſtabili, firmaq́; contemnere, fortis animi, magniq́; ducẽdum eſt: & ea, quæ videntur acerba: quæ multa, & varia in hominum vita, fortunaq́; verſantur: ita ferre, vt nihil à ſtatu naturæ diſcedas, nihil à dignitate ſapientis, [e] robuſti animi eſt, magnæq́ue conſtantiæ. Non eſt autem conſentaneum, qui metu non frangatur, eum frangi cupiditate: nec, qui inuictum ſe à labore præſtiterit, vinci à voluptate. Quamobrem [44] & hæc vitanda [f] ſunt, & pecuniæ fugienda cupiditas: nihil enim eſt tam anguſti animi, tamq́; parui, quàm amare diuitias: nihil honeſtius, magnificentiusq́;, quam pecuniam contemnere, ſi non habeas: ſi habeas, ad [g] beneficentiam, liberalitatemq́; conferre. [h] Cauenda eſt etiam gloriæ cupiditas, vt ſuprà dixi. Eripit enim libertatem, pro qua magnanimis viris [i] omnis debet eſſe contẽtio.

Nec

a *o.v.c. & periculorum: cùm vitæ, tũ multarum aliarum rerũ, qua.*

b *vox, cauſa, nullis in v. c. comparet.*

c *L. Splendor omnis amplitudo, addo etiam vtilitatem, in poſteriore eſt: cauſa &c. & ita v.c.*

d *L. & ab omni animi p.*

e *q.v.c. hoc robuſti animi eſt.*

f *verbum, ſunt, abeſt ab o.v.c.*

g *v.c. beneficientiam.*

h *q.v.c. Cauenda etiam eſt glo.*

i *q.v.c. omnibus deb.*

Nec verò imperia expetenda, ac potiùs aut non accipienda interdum, aut deponenda nonnũquam. Vacandum autem eſt omni animi perturbatione, tum cupiditate, & metu, tum etiam ægritudine, & voluptate animi, & iracundia, vt tranquillitas adſit, & ſecuritas, quæ [a] afferat cùm conſtantiã, tum etiam dignitatẽ. Multi autem & ſunt, & fuerunt, qui eam, quã dico, tranquillitatẽ expetẽtes, à negotijs publicis ſe remouerũt, ad otiúmque perfugerunt. In his & nobiliſſimi philoſophi, lõgéque principes, [b] & quidam homines ſeueri, & graues, nec populi, nec principum mores ferre potuerunt: vixerúntque nonnulli in agris, delectati re ſua familiari. His idem propoſitum fuit, quod regibus, vt ne qua re egerent, ne cui parerent, libertate vterentur: cuius proprium eſt ſic viuere, vt velis. Quare, cùm hoc cõmune ſit potentiæ cupidorum cum ijs, quos dixi, otioſis: alteri ſe adipiſci id poſſe arbitrantur, ſi opes magnas habeant: alteri, ſi contenti ſint & ſuo, & paruo, in quo [c] quidem neutrorum omnino contemnenda eſt ſententia: ſed & facilior, & tutior, & minús alijs grauis, aut moleſta vita eſt otioſorum: fructuoſior autẽ hominum generi, & ad claritatem, amplitudinémque aptior eorum, qui ſe ad rempub. & ad res magnas gerendas accommodauerũt. Quapropter & ijs forſitan concedendũ ſit, remp. nõ capeſſentibus, [d] qui excellẽti ingenio, [e] otio, [f] doctrinæ q́; ſeſe dediderunt: & ijs, qui aut valetudinis imbecillitate, aut aliqua grauiore cauſa impediti, à rep. receſſerunt, cùm eius adminiſtrandæ poteſtatem alijs, laudémque concederẽt. Quibus autẽ talis [g] nulla eſt cauſa, ſi deſpicere ſe dicant ea, quæ pleriq́; [h] admirantur, imperia, & magiſtratus, ijs non modo non laudi, verùm etiam vitio dandum puto. Quorum iudicium in eo, quòd gloriam contemnant, & pro nihilo putent, difficile factu eſt non probare: ſed videntur labores, & moleſtias, [i] tum offenſionum, tum repulſarum quaſi quandam ignominiam

a *q. v. c. affert.*
b *fort. & quidem hom.*
c *Particula quidem, non eſt in v. c.*
d *fort. qui excellẽtes ingenio, d.*
e *vocẽ, otio, delet L.*
f *L. doctrinæ ſeſe dedid.*
g *L. nulla ſit cauſa.*
h *L. mirentur, & ita v. c.*
i *L. cum off.*

timere,& infamiam. Sunt enim,qui in rebus contrarijs parum ſibi conſtent: voluptatem ſeueriſſimè contemnant,in dolore ſint molliores: gloriam negligant,frangantur infamia,atque ea quidem non ſatis conſtanter. Sed ijs, qui habent à natura adiumenta rerum gerendarum, abiecta omni cũctatione adipiſcendi magiſtratus ſunt, & gerenda reſpublica eſt. nec enim aliter, aut regi ciuitas,aut declarari animi magnitudo poteſt. Capeſſentibus autem rempublicam nihilominùs, quam philoſophis,haud ſcio an magis etiam,& magnificẽtia, & deſpicientia [a] adhibẽda ſit rerum humanarũ,[b] quam ſæpè dico,& tranquillitas animi, atque ſecuritas: ſiquidẽ nec anxij futuri ſunt,& cum grauitate,conſtantiaq; victuri. [c] Quæ eo faciliora ſunt philoſophis, quo minùs patent multa in eorum vita,quæ fortuna feriat, & quo minùs multis rebus egent: & quia, ſiquid aduerſi eueniat, tam grauiter cadere non poſſunt. Quocirca non ſine cauſa maiores motus animorum concitantur [d] maioraq; efficienda,rempublicam gerentibus,quàm, quietis.quo magis his & magnitudo animi eſt adhibẽda,& vacuitas ab angoribus Ad rem gerendam autem qui accedit, caueat, ne id modò conſideret, quàm illa res honeſta ſit: ſed etiam, vt habeat efficiendi facultatem.In quo ipſo conſiderandum eſt,ne aut temere deſperet, propter ignauiam: aut nimis confidat, propter cupiditatem. In omnibus autem negotijs, priùs,quàm aggrediare,adhibenda eſt præparatio diligens.

a *L.adhibenda eſt rer.*
b *q.v.c. & ea,quam ſæpe dico,tranq.*
c *q v.c.Quæ faciliora ſunt philoſo.*
d *L.maioráque efficiendi, & ita v.c.*

*Longè fortius eſſe ciuilibus in rebus, quàm bellicis antecellere, multis argumentis docet, nonnihilq; de ſe.*

SED cùm pleriq́ue arbitrentur,res bellicas,maiores eſſe,quàm vrbanas: minuẽda eſt hæc opinio. Multi enim bella ſæpè [e] quæſierunt propter gloriæ cupiditatem: atque id in magnis animis,ingenijsq́ue plerumq; contingit: eoq́ue magis, ſi ſunt ad rem militarem apti, & cupidi bellorum gerendorũ. Verè autem ſi volumus iudicare

e *v.c.quæſierunt, pr.& ita L.*

iudicare,multæ res exſtiterũt vrbanæ maiores, clarioresque,quàm bellicæ.Quamuis enim Themiſtocles iure laudetur,& ſit eius nomen, quàm Solonis,illuſtrius, citeturque Salamis clariſſimæ teſtis victoriæ , quæ anteponatur conſilio Solonis, ei , quo primùm conſtituit Areopagitas : non minùs præclarum hoc, quàm illud, iudicandum eſt. Illud enim ſemel profuit , hoc ſemper proderit ciuitati:hoc conſilio leges Athenienſium, hoc maiorum inſtituta ſeruantur. Et Themiſtocles quidem nihil dixerit,in quo ipſe Areopagũ adiuuerit:at [45] [a] ille adiuuit Themiſtoclem.Eſt enim bellum geſtum conſilio ſenatus eius,qui à Solone erat cõſtitutus. Licet eadem de Pauſania, Lyſandroque dicere : quorum rebus geſtis [46] [b] quamquam imperium Lacedemonijs dilatatum putatur,tamen ne minima quidẽ ex parte Lycurgi legibus , & diſciplinæ conferendi ſunt. Quinetiam ob has ipſas cauſas & [c] paratiores habuerunt exercitus, & fortiores. Mihi quidem,neq; pueris nobis, M.Scaurus, C.Mario, neq; cùm verſaremur in republica, Qu.Catulus Cn. Pompeio cedere videbatur. [d] Parua enim ſunt foris arma,niſi eſt conſilium domi. Nec plus Africanus ſingularis & vir,& imperator in excindenda Numantia reipublicæ profuit , quàm eodem tempore P. Naſica priuatus, cum Ti.Gracchum interemit: quamquam hæc quidem res non ſolùm ex domeſtica eſt ratione : [e] attingit enim & bellicam,quoniam vi,manuq; confecta eſt:ſed tamen id ipſum geſtum eſt conſilio vrbano,ſine exercitu. Illud autem optimum eſt, [f] in quo me inuadi ſolere ab improbis,& inuidis audio:

Cedant arma togæ. [47] concedat laurea [g] linguæ. Vt enim alios omittam,nobis rempublicam gubernantibus,nónne togæ arma [h] ceſſere ? neq; enim in repub. periculum fuit grauius vmquam,[48] nec maius [i] odium. Ita conſilijs diligentiaque noſtra celeriter de manibus audaciſſimorum ciuium delapſa arma ipſa ceciderunt.

a *L. at ille verè à ſe dixerit adiuuãt Themiſtoclẽ.*

b *fort. quãquam imperium Lacedemonijs partum eſt, tamen.*

c *v.c.parentiores hab. & ita L.*

d *L, Parui enim. & ita v.c.*

e *v.c.attingit etiam bellicam.*

f *L. in quod inuidi ſolere, ab improbis.*

g *q.v.c.laudi.*

h *L.ceſſerũt?*

i *L.otium.*

Quæ res igitur geſta eſt vnquam in bello tanta?[a] quis triumphus conferendus?[b] Licet enim, Marce fili, apud te gloriari, ad quem & hereditas huius gloriæ, & factorum imitatio pertinet. Mihi quidem certè vir abundans bellicis laudibus Cn. Pompeius, multis audiẽtibus, hoc tribuit, vt diceret, fruſtra ſe tertium triumphum deportaturum fuiſſe, niſi meo in remp. beneficio, vbi triumpharet eſſet habiturus. Sunt[c] ergo domeſticę fortitudines nõ inferiores militaribus: in quibus plus etiã, quàm in his, operæ, ſtudijque ponendum eſt. Omnino[d] enim illud honeſtum, quod ex animo excelſo, magnificóque quærimus, animi efficitur, non corporis viribus. Excercendum tamen corpus, & ita afficiẽdum eſt, vt obedire conſilio, rationique poſſit in exequendis negotijs, & in labore tolerando. Honeſtum autẽ id, quod exquirimus, totum eſt poſitum in animi cura, & cogitatione: in quo non minorem vtilitatem afferunt, qui togati reip. præſunt, quàm qui[e] bellum gerunt. Itaque eorum conſilio ſæpè aut non ſuſcepta, aut cõfecta bella ſunt, nonnumquam etiam illata: vt M. Catonis, bellum tertium Punicum: in quo etiam mortui valuit auctoritas. Quare expetenda quidem magis eſt decernendi ratio,[49][f] quàm decertandi[g] fortitudo: ſed cauendũ, ne id bellandi magis fuga, quam vtilitatis ratione faciamus. Bellum autẽ ita ſuſcipiatur, vt nihil aliud, niſi pax quæſita videatur.[50] Fortis verò[h] animi & cõſtantis eſt, non perturbari in rebus aſperis, nec tumultuantẽ de gradu deijci, vt dicitur:[51][i] ſed præſentis animi vti cõſilio, nec à ratione diſcedere: quamquam hoc animi, illud etiam ingenij magni eſt, percipere cognitione futura, & aliquanto antè conſtituere, quid accidere poſſit in vtramq; partem: &, quid agendum ſit, cùm quid euenerit: nec committere, vt aliquãdo dicendum ſit, Non putaram. Hæc ſunt opera magni animi, & excelſi, & prudentia, conſilióque fidentis. Temerè autẽ in acie verſari, & manu cum hoſte conſli-

a *L. qui triũphus conſ.*

b *L. Licet enim mihi, Marce fili, apud te &c.*

c *L. igitur.*

d *coniunctionem, enim nõ habent codices vet. æmendationes nec agnoſcit L.*

e *al. bella.*

f *L. quam decertadi ſed.*

g *vox, fortitudo, abeſt à v. c. nec eam agnoſcit L.*

h *vox, animi, videtur delenda.*

i *L. ſed præſenti animo vti, & conſilio.*

confligere, immane quiddam, & [a] beluarũ simile est, sed cùm tempus est, necessitásq; postulat, decertandũ manu est, & mors seruituti, turpitudiníque anteponenda.

*Alienam esse ab officio magnanimi crudelitatem, & item temeritatem.*

DE euertendis autem, diripiendisque vrbibus, valdè illud considerãdum est, nequid temerè, nequid crudeliter [b] fiat, idque est viri magnanimi, rebus agitatis punire sonteis: multitudinem conseruare: in omni fortuna, recta, atque honesta retinere.

*Pericula quatenus viro forti suscipienda.*

VT enim sunt, quemadmodum suprà dixi, qui vrbanis rebus bellicas anteponant: sic reperies multos, quibus periculosa, [c] & callida consilia [d] quietis cogitationibus, & splẽdidiora, & maiora videantur. Nũquam omnino periculi fuga committendum est, vt imbelles, timidique videamur. Sed fugiendum etiam illud, ne offeramus nos periculis sine causa: quo nihil potest esse stultius. Quapropter in adeundis periculis consuetudo imitanda medicorum est, qui leuiter ægrotanteis [e] leuiter curant: grauioribus autem morbis periculosas curationes, & ancipiteis adhibere coguntur. Quare in trãquillo tempestatem aduersam optare, demẽtis est: subuenire autem tempestati quauis ratione, sapientis: eóq; magis, si plus adipiscare re explicata boni, quàm addubitata mali. Periculosæ autẽ rerum actiones partim ijs sunt, qui eas suscipiunt, partim reipub. Itémque alij de vita, alij de gloria, [f] & beneuolentia ciuiũ in discrimen vocantur. Promptiores igitur debemus esse ad nostra pericula, quàm ad communia, dimicaréq; paratiùs de honore, & gloria, quàm de ceteris commodis. Inuenti autem multi sunt, qui non modò pecuniam, sed vitam etiam profundere pro patria parati essent: ijdem gloriæ iacturam ne minimã quidem facere vellẽt, [g] ne repub. quidem postulante: vt Callicratidas, qui cùm Lacedæ-

a θηρῖωδες.

b *verbũ fiat, delet L. quia non comparet in. v. c. & re vera superuacaneũ est.*

c *L. & callida cons. θερμά.*

d *L. quietis & cogitatis splend.*

e *L. leuiter & ita. v. c. ἠρέμα.*

f *v. c. & beniuolentia.*

g *al. ne re quidem publ.*

moniorum dux fuiſſet Peloponneſiaco bello, multaq; feciſſet egregiè: vertit ad extremum omnia, cùm conſilio non paruit eorum, qui claſſem ab Arginuſſis remouendam, nec cum Athenienſibus dimicandum putabant. Quibus ille reſpondit, Lacedæmonios, claſſe illa amiſſa, aliam parare poſſe: ſe fugere ſine ſuo dedecore nõ poſſe. Atque hæc quidem Lacedæmonijs plaga mediocris [a] fuit: illa peſtifera, qua, cùm Cleombrotus, inuidiam timens, temerè cùm Epaminonda conſlixiſſet, Lacedæmoniorum opes corruerunt. Quanto Q. Maximus meliùs de quo Ennius:

Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem.
Non ponebat enim rumores ante ſalutem,
[b] Ergo poſtq;, magisq;, viri nunc gloria claret.

Quod genus peccandi vitandum eſt etiam in rebus vrbanis. Sunt enim qui, quod ſentiunt, etiam ſi optimum ſit, tamen inuidiæ metu non audent dicere.

OMNINO qui reipub. præfuturi ſunt, duo Platonis præcepta teneant: vnum, vt vtilitatem ciuium ſic tueantur, vt [c] quicquid agunt, ad eam referãt, obliti cõmodorum ſuorũ: alterum, vt totum corpus reip. curent: ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deſerant. Vt enim tutela, ſic procuratio reip. ad vtilitatẽ eorum, qui commiſſi ſunt, [52] non ad eorum, [d] quibus commiſſi, gerenda eſt. Qui autem parti ciuium conſulunt, partem negligunt, rem perniciоſiſſimam in ciuiuatem inducunt, ſeditionem, atque diſcordiam: ex quo euenit, vt alij populares, alij ſtudioſi optimi cuiuſque videantur, pauci vniuerſorum. Hinc apud Athenienſeis magnæ diſcordiæ [e] ortæ: in noſtra rep. non ſolùm ſeditiones, ſed peſtifera etiam bella ciuilia: quæ grauis, & fortis ciuis, & in republica dignus principatu fugiet, atque oderit: tradétque ſe totum reipublicæ, neque opes, aut potentiam conſectabitur: totámque eam ſic tuebitur, vt omnibus conſulat. Nec verò criminibus falſis in odium,

a *verbum, fuit, non reperitur in libr. manuſcr. nec id agnoſcit L.*

b *L. Ergo, magisq;, magisq; viri nũc gl.*

c *L. quæcunque agunt, & ita v.c.*

d *L. quibus commiſſa eſt: gerẽda eſt, & ita o.v.c.*

e *participiũ, orta, abeſt à v.c. neq; id agnoſcit L.*

odium, aut inuidiam quemquam vocabit: omninoque ita iuſtitiæ, honeſtatiq; adhæreſcet, vt, cum [a] eam conſeruet, quamuis grauiter offendat, mortemq; [b] oppetat potiùs, quàm deſerat illa, quæ dixi.

a *v.c. & L. ea.*
b *al. appetat.*

*De honoribus vehementer contendere, contra officium eſſe magnanimi.*

MISERRIMA eſt omnino ambitio, honorúmque contentio: de qua præclarè apud eũdem eſt Platonem: Similiter facere eos, qui inter ſe contenderent, vter potiùs remp. adminiſtraret, vt ſi nautæ certarent, quis eorum potiſſimum gubernaret. Idemq; [c] præcepit, vt eos aduerſarios exiſtimemus, qui arma contrà ferant: non eos, qui ſuo iudicio tueri remp. velint: qualis fuit inter P. Africanum, & Qu. Metellum ſine acerbitate diſſenſio.

c *L. præcipit.*

*Iræ moderari proprium fortitudinis.*

NEC verò audiendi, qui grauiter iraſcendum inimicis [d] putant, idque magnanimi, & fortis viri eſſe [e] cenſent. Nihil enim laudabilius, nihil magno, & præclaro viro dignius placabilitate, atq; clementia. In liberis vero populis, & in iuris æquabilitate exercenda etiã eſt facilitas, & altitudo animi, quæ dicitur: ne, ſi iraſcamur aut intempeſtiuè accedentibus, [f] aut imprudenter rogantibus, in moroſitatem inutilem, & odioſam incidamus. & tamen ita probanda eſt manſuetudo, atque clementia, vt adhibeatur, reip. cauſa ſeueritas, ſine qua adminiſtrari ciuitas non poteſt.

d *v.c. putabũt, & ita L.*
e *v.c. cenſebũt, & ita L.*
f *L. aut imprudenter rogantib. & ita v.c.*

*In animaduertendo maximè ab ira temperandum.*

OMNIS autem & animaduerſio, & caſtigatio, contumelia vacare debet: neque ad eius, [g] qui punit aliquẽ, aut verbis caſtigat, ſed ad reip. vtilitatem referri. Cauendum eſt etiam, ne maior pœna, quàm culpa, ſit: & ne ijſdem de cauſis alij plectantur, alij ne appellentur quidem. Prohibẽda autem maxime eſt ira in puniendo. nũquam enim, iratus qui accedet ad pœnam, mediocritatem illam [h] tenebit, quæ eſt inter nimium &

g *v.c. qui punitur aliq. & ita L.*
h *q. v.c. ſeruabit, quæ.*

parum :quæ placet Peripateticis:& rectè placet,modò ne laudarent iracundiã, & dicerẽt vtiliter à natura datam.Illa verò omnibus in rebus repudianda est:optandumq́;,vt ij,qui prẽsunt,reip.legum similes sint,quæ ad puniendum non iracundia,sed æquitate ducuntur.

*Magnanimi est neque secundis rebus insolescere, neque deiici aduersis.*

a *q. v. c. & ad voluptatẽ nostram non placet.*

ATQVE etiam in rebus prosperis, [a] & ad voluntatem nostram fluentibus,superbiam, fastidium, arrogantiamque magnopere fugiamus. nam vt aduersas res:sic secundas immoderatè ferrè,leuitatis est:præclaraq́; est æquabilitas in omni vita, & idẽ semper vultus,

b *L. Itemq́; de C. Lælio, al. idemq́; de &c.*

eadémque frons, vt de Socrate, [b] item de C.Lælio accepimus. Philippum quidem Macedonũ regem, rebus gestis,& gloria superatum à filio : facilitate verò,& humanitate video superiorem fuisse. Itaque alter semper magnus, alter sæpè turpissimus fuit:vt rectè præcipere videantur, qui monent, vt, quanto superiores [c] simus,

c *L.Sumus.*

d *L.geramus summissius. Pan.*

tanto nos [d] summissiùs geramus.Panætius quidem auditorem Africanum , & familiarem suum , [e] solitum ait

e *L.solitum ait dicere , vt equos.*

f *al.solent.*

dicere, sicut equos propter crebras contentiones præliorum ferocitate exultãteis, domitoribus tradere [f] soleant,vt his facilioribus possint vti : sic homines secundis rebus effrenatos,sibiq́ue præfidenteis, tanquam in gyrum rationis, & doctrinæ duci oportere,vt perspicerent rerum humanarum imbecillitatem, varietatemq́; fortunæ. Atque etiam in secundissimis rebus maximè est vtendum consilio amicorum , hisque maior etiam, quàm antè , tribuenda est auctoritas : ijsdémque temporibus cauendum est,ne assentatoribus patefaciamus aureis,[53] nec adulari nos sinamus:in quo falli facile est. Taleis enim nos esse putamus , vt iure laudemur. Ex quo nascuntur innumerabilia peccata , cùm homines inflati opinionibus , turpiter irridentur , & in maximis versantur erroribus.Sed hæc quidem hactenus.

*Officia magnanimi in ocio honeſto.*

ILLVD autem ſic eſt iudicandum, maximas geri res, & maximi animi ab ijs, qui [a] rempublicam regant, [b] quòd earum adminiſtratio latiſſimè pateat, ad plurimosque pertineat: eſſe autē magni animi, & fuiſſe multos etiam in vita otioſa, qui aut inueſtigarent, aut conarentur magna quædam, ſeſeque ſuarum rerum finibus continerent: aut interiecti inter philoſophos, & eos, qui rempublicam adminiſtrarent, delectarentur re ſua familiari, non eam quidē omni ratione exaggerantes, neque excludentes ab eius vſu ſuos, potiúſque & amicis [c] impartiētes, & reipublicæ, ſi quādo vſus eſſet. quæ primum bene [d] parata ſit, nullo neque turpi queſtu, neque odioſo: tum quàm plurimis, modò dignis, ſe vtilem præbeat: deinde augeatur ratione, diligentia, parſimonia: nec libidini potiùs, luxuriæq;, quàm liberalitati, [e] & beneficentiæ, pateat. Hæc præſcripta ſeruantem licet magnificè, grauiter, animoſeque viuere, atque etiam ſimpliciter, fideliter, vitæque hominum amicè.

a *v. c. reſp.* & *ita L.*

b *v. c. quod earum adm.* & *ita. L.*

c *L impertientes.*

d *q. v. c. parta ſit.*

e *v. c. & beneficentia p.*

## *TEMPERANTIA.*

*Quartus officiorum fons Temperantia, quam Ariſtoteles moderationem eſſe putat cupiditatum, earum duntaxat, quæ circa gulæ, & inguinis voluptates verſantur. Temperans, inquit, ea cupit, quæ oportet, & vt oportet, & quando oportet. Huius eſt caput, vt cupiditas rationi pareat, ſicut puer pædagogo. Indidem oritur illud decorum, quod quemadmodum à natura, ac cæteris circumſtantijs ducatur, omneq; vitæ officium coheneſtet, diuinitus tradit Cicero.*

SEQVITVR, [f] vt de illa reliqua parte honeſtatis dicendum ſit: in qua verecundia, & quaſi quidem ornatus vitæ, temperantia, & modeſtia, omníſque ſedatio perturbationum animi, & rerum modus cernitur. Hoc loco continetur id, quod dici Latinè decorum poteſt: Græcè enim πρέπον dicitur, Huius vis ea eſt, vt ab honeſto [g] non queat ſeparari. Nam & quod decet, honeſtum eſt, & quod honeſtum eſt, decet. Qualis autem

f *L. vt de vna rel.*

g *q. v. c. non queat.*

differentia ſit honeſti,& decori,faciliùs intelligi, quàm explanari poteſt. [a] quidquid enim eſt, quod deceat, id tum appâret, cùm antegreſſa eſt honeſtas.

a *al. quidquid eſt enim, quod.*

*Duplex decorum: generale, quod in omni officio ſitum eſt: & ſpeciale, quod temperantiam proprie conſequitur. Diuus Ambroſius generale decorum accepit, quod ex harmonia, & conſenſu omnium inter ſe virtutum exiſtit, quale relucet in concordia vniuerſitatis: ſpeciale, quod in vna quapiam parte reluceat, potiſſimum tamen in temperantia.*

ITAQVE non ſolùm in hac parte honeſtatis, de qua hoc loco diſſerendum eſt, ſed etiã in tribus ſuperioribus, quid deceat, appâret. nam & ratione vti, atq; oratione prudenter: & agere quod agas, cõſideratè: omnique in re quid ſit veri, videre, & tueri decet: contráque falli, errare, labi, decipi tam dedecet, quàm delirare, & mente captum eſſe, & iuſta omnia, decora ſunt: iniuſta cõtrà, vt turpia, ſic indecora. Similis eſt ratio fortitudinis. quod enim viriliter, animoque magno fit, id dignũ viro, & decorum videtur: quod contrà, id vt turpe, ſic indecorum. Quare pertinet quidem ad omnem honeſtatem hoc, quod dico, decorum: & ita pertinet, vt non recõdita quadam ratione cernatur, ſed ſit in promptu. eſt enim quiddã, idq; intelligitur in omni virtute, quod deceat: quod cogitatione magis à virtute poteſt, quàm re ſeparari. [b] vt enim venuſtas, & pulchritudo corporis ſecerni non poteſt [c] à valetudine: ſic hoc, de quo loquimur, decorum, totum illud quidem eſt cum virtute cõfuſum: ſed mente, & cogitatione diſtinguitur. Eſt autem eius deſcriptio duplex. Nam & generale quoddam decorũ intelligimus, quod in omni honeſtate verſatur: & aliud huic ſubiectum, quod pertinet ad ſingulas partes honeſtatis. Atque illud ſuperius ſic ferè definiri ſolet: Decorum id eſſe, quod conſentaneum ſit hominis excellentiæ, in eo, in quo natura eius à reliquis animantibus differat. Quæ autem pars ſubiecta generi eſt, eam ſic definiunt, vt id decorum eſſe velint, quod ita naturæ conſen-

b *L. vt & venuſtas, & pulch. al. & vt. ven.*

c *v. c. à valitudine.*

conſentaneum ſit, vt in eo moderatio, & temperantia appareat cum ſpecie quadã liberali. [a] Hæc ita intelligi [b] à philoſophis, poſſumus exiſtimare ex eo decoro, quod poëtæ ſequuntur: de quo alio loco plura dici ſolent. Sed tum ſeruare illud poëtas dicimus, quod deceat, cùm id, quod quáque perſona dignum eſt, & fit & dicitur. vt, ſi Æacus, aut Minos diceret,

Oderint, dum metuant: --- aut,

Natis [c] ſepulcrum eſt ipſe parens: --- indecorum videretur, quòd eos fuiſſe iuſtos accepimus: [d] at Atreo dicente plauſus excitãtur. eſt enim digna perſona oratio. Sed poëtæ quid quémque deceat, ex perſona iudicabunt. nobis autem perſonam impoſuit ipſa natura, magna cum excellentia, preſtantiaq; animantium [e] reliquorum. Quocirca poëtæ in magna varietate perſonarum, etiam vitioſis quid conueniat, & quid deceat, videbunt: nobis autem cùm à natura conſtantiæ, moderationis, temperantiæ, verecundiæ partes datæ ſint: cúmque eadem natura doceat nõ negligere, quemadmodum nos aduerſus homines geramus: efficitur, vt & illud, quod ad omnem honeſtatem pertinet, decorum, quàm latè fuſum ſit, appareat: & hoc, quòd ſpectatur in vnoquoque genere virtutis. Vt enim pulchritudo corporis apta compoſitione membrorũ mouet oculos, & delectat hoc ipſo, quòd inter ſe omnes partes cũ quodam lepore conſentiunt: ſic hoc decorũ, quod elucet in vita, mouet approbationem eorum, quibuſcum viuitur, ordine, & conſtantia, & moderatione dictorũ omnium, atque factorum. [54] Adhibenda eſt igitur quædam reuerẽtia aduerſus homines, & optimi cuiuſque, & reliquorum. nam negligere quid de ſe quiſque ſentiat, [f] non ſolùm arrogantis eſt, ſed etiam omnino diſſoluti. [55] Eſt autem quod differat, [g] in omni ratione habenda, inter iuſtitiam, & verecundiam. Iuſtitiæ partes ſunt, non violare homines: Verecundiæ, non offendere, in quo

a *fort. Hæc ita eſſe, intelligere poſſumus ex eo dec.*
*fort. Hæc ita eſſe exiſtimare ex eo dec.*
b *hoc totum à philoſophis, nullo in v.c. apparet.*
c *L. ſepulchrũ ipſe ſit parẽs: & ita q.v.c.*
d *particulã, at, non habent quidam v.c.*
e *L. reliquarum, & ita v.c.*
f *q.v.c. non modò art.*
g *L. in hominum ratione habenda, & ita v.c.*

a *v. c. vis perſpicitur decori & ita L.*

maximè [a] perſpicitur vis decori. His igitur expoſitis, quale ſit id, quod decere dicimus, intellectum puto.

*Decorum ſecundum naturam eſſe, & cum in omnibus partibus, tum in temperantia plurimum valere.*

b *q. v. c. quod ab eo decoro d.*

OFFICIVM autem [b] quod ab eo ducitur, hanc primùm habet viam, quæ deducit ad cõuenientiam, conſeruationemq́; naturæ: quam ſi ſequemur ducem, numquam aberrabimus: ſequemurq́ue & id, quod acutum, & perſpicax natura eſt: & id, quod ad hominum

c *Conſociationem.*

[c] ſocietatem accommodatum: & id, quod vehemens, atque forte. Sed maxima vis decori in hac ineſt parte, de qua diſputamus. neque enim ſolùm corporis, qui ad naturam apti ſunt, ſed multo etiam magis animi motus probandi, qui item ad naturam accommodati ſunt.

*Fontem omnis eſſe modeſtiæ, vt appetitus pareat rationi. Ad hunc ipſum putat Ambroſius omnium officiorum primarium eſſe fontem.*

d *v. c. homme.*

DVPLEX [56] eſt enim vis animorum, atque naturæ: vna pars in appetitu poſita eſt, quæ eſt [d] ὁρμὴ Græcè, quæ hominem huc & illuc rapit: altera in ratione, quæ docet, & explanat, quid faciendum, fugiendumq́; ſit. Ita fit, vt ratio præſit, appetitus [e] verò optemperet. Omnis autem actio vacare debet temeritate, & negligentia: [f] nec verò agere quidquam, cuius non poſſit cauſam probabilem reddere. Hęc eſt enim ferè deſcriptio officij. Efficiendum autem eſt, vt appetitus rationi obediant, [g] eamq́; neq; præcurrant, nec propter pigritiam, aut ignauiam deſetant: ſintq́; tranquilli, atq; omni perturbatione animi careãt. ex quo elucebit omnis cõſtantia, omniſq; moderatio. nam qui appetitus longiùs euagantur, & tanquam exultantes ſiue cupiendo, ſiue fugiendo, non ſatis à ratione retinentur, hi ſine dubio finem & modum tranſeunt. relinquunt enim, & abijciunt obedientiam: nec rationi parent, cui ſunt ſubiecti lege naturæ: à quibus non modò animi perturbantur, ſed

e *aduerbium, verò. abeſt à v. c.*

f *L. nec verò agere quiſquam quidquam cuius.*

g *fort. eamq́; nec propter temeritatem præcurrant: nec propter pigritiam aut ignauiam deſ.*

ſed etiam corpora. Licet ora ipſa cernere iratorũ, aut eorum, qui aut libidine aliqua, aut metu commoti ſunt, aut voluptate nimia geſtiunt: quorum omnium vultus, voces, motus, ſtatuſq; mutantur. Ex quibus illud intelligitur, (vt ad officij formã reuertamur) appetitus omneis contrahẽdos, ſedandosq;: excitandamq; eſſe animaduerſionem, & diligentiam, vt ne quid temerè, [a] ac fortuitu, inconſideratè, negligentérque agamus. neque enim ita generati à natura ſumus, vt ad ludum, & iocũ facti eſſe videamur, ſed ad ſeueritatem potiùs, & ad quædam ſtudia grauiora, atque maiora. Ludo autem, & ioco [b] vti illis quidem licet: ſed ſicut ſomno, [57] & quietibus cæteris, tum cùm grauibus, ſerijsq; rebus ſatisfecerimus. Ipſúmque genus iocandi non profuſum, nec immodeſtum, ſed ingenuum & facetum eſſe debet. Vt enim pueris non omnem licentiam ludendi damus, ſed eam quæ ab honeſtis actionibus non ſit aliena: ſic in ipſo ioco aliquod probi ingenij lumen eluceat.

a *L. ac fortuito.*

b *q. v. e. vti illo quidem lic. alij cod. vet. vt illis quidem lic. vt hic: & ita L.*

*De ſcurrilitate & facetia.*

DVPLEX omnino eſt iocandi genus: vnum illiberale, petulans, flagitioſum, [c] obſcœnum: alterum, elegans, vrbanum, ingenioſum, facetum. quo genere non modò Plautus noſter, & Atticorum antiqua comœdia, ſed etiam philoſophorum Socraticorum libri referti ſunt: multáque multorum facetè dicta: vt ea quæ à ſene Catone ſunt collecta, quæ vocantur ἀποφθέγματα. Facilis igitur eſt diſtinctio ingenui, & illiberalis ioci. alter eſt, ſi tempore fit, ac remiſſio animo, [d] libero dignus: alter me homine quidem ſi rerum turpitudini [e] adhibetur verborum obſcœnitas.

c *al. obſcenũ. al. obſcænum.*

d *v. c. homine dignus, alterne libero quidem.*

e *adhibeatur.*

*Et honeſti luſus modum eſſe quendam.*

LVDENDI etiam eſt quidam modus retinendus [58] [f] vt ne nimis omnia profundamus, elatique voluptate in aliquam turpitudinem delabamur. Suppeditant autem & campus noſter, & ſtudia venandi, honeſta exempla ludendi.

f *fort. vt ne nimis ludum profundamus fort. vt ne nimis iocæ profundamus.*

*Animi delectatio ab honestis studijs petenda: corporis voluptas, quia pecorina sit, aut planè reijcienda, aut quàm parcissimè adhibenda.*

SED pertinet ad omnem officij quæstionem semper in promptu habere, quãtum natura hominis pecudibus, reliquisque [a] bestijs [b] antecedat. Illæ enim nihil sentiunt, nisi voluptatem, ad eamque feruntur omni impetu: hominis autem mens discendo alitur, & cogitando, semper aliquid aut [c] inquirit, aut agit, videndiq; & audiendi delectatione ducitur. Quinetiam si quis est paullò ad voluptates propensior, modò ne sit ex pecudum genere, (sunt enim quidam homines non re, sed nomine) sed si quis est paullò erectior, quamuis voluptate capiatur, occultat, & dissimulat appetitũ voluptatis, propter verecundiam. ex quo intelligitur, corporis voluptatem non satis esse dignam hominis præstantia, eámque contemni, & reijci oportere. sin sit quispiam, qui aliquid tribuat voluptati, diligenter ei tenendum esse [d] modum eius fruendæ. Itaque victus, cultusq; corporis ad valetudinem referantur, & ad vireis, non ad voluptatem. atque etiam si considerare [e] volumus, quæ sit [f] in natura excellentia, & dignitas, intelligemus, quàm sit turpe diffluere luxuria, & delicatè ac molliter viuere: quámque honestum, parcè, continenter, seuerè, sobrieque.

a *v.c. belluis.*
b *al. antecellat.*
c *Lanquirit.*
d *Leinsfruendæ modum.*
e *L. volemus.*
f *al. in natura hominis excellentia.*

*Animaduerte lector, ordinem: primùm ostendit quid decorum secundum naturam cum pecoribus communem: deinde quid secundum hominis præstantiam: deinceps quid deceat vnuscuiusque personam vel à natura tributam, vel à casu impositam, vel studio assumptam.*

INTELLIGENDVM est etiam, duabus quasi nos à natura indutos esse personis: quarum vna est cõmunis, ex eo, quod omnes participes sumus rationis, præstantiæque eius, qua antecellimus bestijs: à qua omne honestum, decorũmque trahitur, & ex qua ratio inueniendi officij exquiritur: altera autem, quæ propriè singulis est [g] attributa. Vt enim in corporibus magnæ dissimi-

g *v.c. tributa.*

similitudines sunt: (alios enim videmus velocitate ad cursum, alios viribus ad luctandum valere: itemque in formis alijs dignitatem inesse, alijs venustatem) sic & in animis existunt etiam maiores varietates. Erat in L. Crasso, & in L. Philippo multus lepos: maior etiam, magisque de industria in C. Cæsare, [a] Lucij filio. At ijsdem temporibus in M. Scauro, & in M. Druso [b] adolescente, singularis seueritas: in C. Lælio multa hilaritas: in eius familiari Scipione ambitio maior, vita tristior. De Græcis autem, dulcem, & facetum, festiuique sermonis, [60] atque in omni [c] ratione simulatorē, quem εἴρωνα Græci nominauerunt, Socratem accepimus: cōtrà Pythagoram, & Periclem, summam auctoritatem consecutos sine vlla hilaritate. Calidum Hannibalem, ex Pœnorum: ex nostris ducibus, Q. Maximum accepimus: facilè celare, tacere, dissimulare, insidiari, [d] præripere hostium consilia. In quo genere Græci [e] Themistoclem, & Pheræum Iasonem ceteris antepo-nunt. in primisque versutum, & callidum factum Solonis: qui quo & tutior vita eius esset, & plus aliquanto reip. prodesset, furere se simulauit. Sunt his alij multum dispares, simplices, & aperti: qui nihil [f] ex insidijs agendum putant, veritatis cultores, fraudis inimici: itemq; alij, qui quiduis perpetiantur, cuiuis deseruiant, dum, quod velint, consequantur: vt Syllam, & M. Crassum videbamus. Quo in genere versutissimum, & patientissimum Lacedæmonium Lysandrum accepimus. Contráque Callicratidam, qui præfectus classi proximus post Lysandrum fuit: itémque in sermonibus, [g] alium quidem videmus, quamuis præpotens sit, efficere, vt vnus de multis esse videatur. quod in Catulo, & in patre, [h] & in filio: itémque in Q. Mutio Mancino Numantino vidimus. Audiui ex maioribus natu hoc idem fuisse in P. Scipione Nasica. contráque patrem eius, illum, qui Ti. Gracchi conatus perditos

a *v.c. L. F. & ita L.*
b *al. adolescentibus.*
c *L. oratione.*
d *v.c. præripere hoſt. coſil.*
e *al. Themiſtoclem. Atheniensem, & Pher.*
f *q. v. c. de inſidijs.*
g *L. alium aliquē, quāuis præp.*
h *v.c. & filio.*

vindicauit,nullam comitatem habuiſſe ſermonis: [a] nec non Xenocratem quidem ſeueriſſimum philoſophorũ, ob eamq́ue rem ipſam magnum,clarumq́ue fuiſſe. Innumerabiles aliæ diſſimilitudines ſunt naturę,morúmque,minimè tamen vituperandorum.[61] Admodum autem [b] tuenda ſunt ſua cuique, non vitioſa, [c] ſed tamen propria, quo faciliùs decorũ illud,quod quærimus, retineatur.ſic enim eſt faciendum,vt cõtra naturam vniuerſam nihil contendamus: ea tamen conſeruata,propriam naturam ſequamur:vt,etiam ſi ſint alia grauiora, atque meliora,tamen nos ſtudia noſtra, naturæ regula metiamur. neque enim attinet repugnare naturæ, nec quidquam ſequi,quod aſſequi nequeas. Ex quo magis emergit,quale ſit decorum illud,ideò, quia nihil decet inuita, (vt aiunt,) Minerua,id eſt, aduerſante, & repugnante natura. Omnino ſi quidquam eſt decorũ, nihil eſt profecto magis, quàm [d] æquabilitas vniuerſæ vitæ, tum ſingularum actionum: quam conſeruare non poſſis,ſi aliorum naturam imiteris,omittas tuam. Vt enim ſermone eo debemus vti, qui notus eſt nobis, ne, (vt quidam,) Græca verba inculcantes iure optimo irrideamur: ſic in actiones,omnemq́; vitã,nullam diſcrepantiam conferre debemus.Atque hæc differentia naturarum tantam habet vim, vt nonnunquam mortem ſibijpſi conſciſcere [e] alius debeat, alius in eadem cauſa non debeat. [f] non enim alia in cauſa M. Cato fuit,alia ceteri,qui ſe in Africa Cæſari tradiderũt. Atqui ceteris forſitan vitio datum eſſet,ſi ſe interemiſſent,propterea quòd eorum vita lenior,& mores fuerãt faciliores:Catoni autem [g] cùm incredibilem tribuiſſet natura grauitatem,eamq́; ipſe perpetua conſtantia roborarſſet,ſempérq; in propoſito, ſuſceptóque conſilio permanſiſſet, moriundum potiùs, quàm tyranni vultus adſpiciendus fuit. Quàm multa paſſus eſt Vlyſſes in illo errore diuturno,cùm & mulieribus (ſi Circe,& Calypſo, mulieres

a *Ne Xenocratẽ quidem.*

b *Tuenda ſunt.*

c *q.v.c. ſed tantum pr.*

d *æquali-*

e *ſibi ipſe conciſcere.*

f *v.c. Num.*

g *particula, autem, abeſt ab o.v.c.*

lieres appellandæ ſunt) inſeruiret, & in omni ſermone omnibus affabilem ſe eſſe vellet? domi verò etiam cõtumelias ſeruorum, ancillarúmq; pertulit, vt ad id aliquãdo, quod cupiebat, perueniret. At Aiax, quo animo traditur, millies oppetere mortem, quàm illa perpeti [a] ab alio maluiſſet, quæ contemplanteis expendere oportebit, quid quiſque habeat [b] ſui: eáque moderari, nec velle experiri, [62] quàm ſe aliena deceant. id enim maximè quemq; decet, quod eſt cuiuſq; ſuum maximè. Suum igitur quiſque noſcat ingenium, acrémque ſe & vitiorum, & bonorum ſuorum iudicem præbeat: ne ſcenici plus, quam nos, videantur habere prudentiæ. illi enim non optimas, ſed ſibi accommodatiſſimas fabulas eligunt. qui voce freti ſunt, [63] Epigonos, [c] Medeámque: qui geſtu, Menalippam, Clytemneſtram: ſemper [d] Rupilius, quem ego memini, Antiopam: non ſæpe Æſopus Aiacem. Ergo hiſtrio hoc videbit [e] in ſcena, quod non videbit ſapiens in vita? Ad quas igitur res aptiſſimi erimus, in ijs potiſſimum elaborabimus. ſin aliquando neceſſitas nos ad ea detruſerit, quæ noſtri ingenij non erunt; omnis adhibenda erit cura, meditatio, diligentia, vt ea, ſi nõ decorè, at quàm minimum indecorè facere poſſimus. Nec tam eſt enitendum, vt bona, quæ [f] nobis data non ſunt, ſequamur, quàm vt vitia fugiamus.

a *hoc totum, ab alio, abeſt, à v.c.*

b *q.v.c. ſuũ.*

c *L. Meditque.*

d *q.v.c. Rutilium.*

e *v.c. in ſcæna, non videbit ſapiens in vita? & ita L.*

f *L. nobis data non ſint, & ita v.c.*

*Decorum ab ijs, quæ nobis fortuna attribuit, quæue nobis iudicio ipſi adſciuimus.*

AC duabus ijs perſonis, quas ſuprà dixi, tertia adiũgitur, quam caſus aliquis, vel tẽpus imponit: quarta etiam, quam [g] nobiſmetipſis iudicio noſtro accommodamus: nam regna, imperia, nobilitates, honores, diuitiæ, opes, eaque, quæ ſunt his cõtraria, in caſu ſita, temporibus gubernantur. Ipſi autem [h] quam perſonam gerere velimus, à noſtra voluntate proficiſcitur. Itaque ſe alij ad philoſophiam, alij ad ius ciuile, alij ad eloquentiam applicant: ipſarúmque virtutum in alia alius ma-

g *L. nobiſmetipſi.*

h *v.c. gerere quam perſonam velimus.*

uult excellere. Quorũ verò patres, aut maiores aliqua gloria præstiterunt, [a] eorum plerique in hoc genere laudis studeant excellere: vt Qu. Mucius, P. filius, in iure ciuili, Pauli filius Africanus in re militari. Quidam autem ad eas laudes, quas à patribus acceperunt, addunt aliquam suam: vt hic idem Africanus eloquentia cumulauit bellicam gloriam, Quod idẽ fecit Timotheus Cononis F. qui cũ belli laude non inferior fuisset, quàm pater: ad eam laudem, doctrinæ, & ingenij gloriam adiecit. Fit autem interdum, vt nonnulli, [b] omissa imitatione maiorum, suum quoddam institutum consequantur: maximèque in eo plerumque elaborant ij, qui magna sibi proponunt, obscuris orti [c] maioribus. Hæc igitur omnia, cùm quærimus, quæ deceant, complecti animo, & cogitatione debemus.

a *L. ij studeant plerumq; eodem in genere laud. excell.*

b *al. amissa.*

c *al. parentibus.*

*Constituendum genus vitæ & institutum.*

IN primis autem constituẽdum est, quos nos, & quales esse velimus, & in quo genere vitæ: quæ deliberatio, est omniũ difficillima. Ineunte enim adolescẽtia, [d] cùm ineat maxima imbecillitas consilij, tunc id sibi quisque genus ætatis degendæ cõstituit, quod maximè adamauit. itaque antè implicatur aliquo certo genere, cursuq; viuendi, quàm potuit, quod optimum esset, iudicare. [64] Nam quod Herculem Prodicus dicit (vt est apud Xenophontem) cùm primùm pubesceret: quod tempus à natura ad deligendum, quam quisq; viam viuendi sit ingressurus, datum est: exisse in solitudinem, atque ibi sedentem, diu secum, multúmque dubitasse, cùm duas cerneret vias, vnam voluptatis, alterã virtutis, vtram ingredi melius esset: hoc [e] Herculi Iouis fatu edito, potuit fortasse contingere: nobis non item, qui imitamur, quos cuique visum est, atq; ad eorum studia institutaque impellimur: [f] plerumq; autem parentum præceptis imbuti, ad eorum cõsuetudinem, morémque deducimur, alij multitudinis iudicio feruntur, quæque maiori

d *L. cùm est max. & ita v. c.*

e *al. Herculi Iouis fato.*

f *al. plerisq; autem & ita Nonius.*

maiori parti pulcherrima vidétur, ea maximè exoptãt. nonnulli tamen ſiue felicitate quadã, ſiue bonitate naturæ, ſiue parentum diſciplina, rectam vitæ ſe cuti ſunt viam. Illud autem maximè rarum genus eſt eorum, qui aut excellente ingenij magnitudine, aut plæclara eruditione, atque doctrina, aut vtraque re ornati, ſpatium etiam deliberandi habuerunt, quem potiſſimum vitæ curſum ſequi vellent: in qua deliberatione ad ſuam cuiuſq; naturam conſilium eſt omne reuocandũ. Nam cũ in omnibus quæ aguntur, [65] [a] ex eo modo, quo quiſque natus eſt, (vt ſupra dictũ eſt,) quid deceat, exquirimus: tum in tota vita conſtituenda, multo eſt rei cura maior adhibẽda, vt cõſtare in vitæ perpetuitate poſſimus nobiſmetipſis, nec in vllo officio claudicare. Ad hanc autem rationem quoniam maximam vim natura habet: fortuna proximam, vtriuſque omnino ratio habenda eſt in deligendo genere vitæ: ſed naturæ magis. multo enim & firmior eſt, & conſtantior, vt fortuna nonnunquam, tanquam ipſa mortalis, cum immortali natura pugnare videatur. Qui igitur ad naturæ ſuæ nõ vitioſæ genus [b] conſilium vitæ omne contulerit, is conſtãtiam teneat. id enim maximè decet: [c] niſi fortè ſe erraſſe intellexerit in deligendo genere vitæ. Quod ſi acciderit (poteſt autem accidere) faciẽda morũ, inſtitutorumq; mutatio eſt. eam igitur mutationẽ, ſi tẽpora adiuuabũt, facilius, commodiusq; faciemus. ſin minus, ſenſim erit, pedetentimq; facienda: vt amicitias, quæ minus delectent, & minus probẽtur, magis decere cenſent ſapientes [66] ſenſim [d] diſſuere, quàm repẽtè præcidere. Commutato autem genere vitæ, omni ratione curãdum eſt, vt id bono cõſilio feciſſe videamur. Sed quoniam paullò antè dictum eſt, imitãdos eſſe maiores: primum illud exceptũ ſit, ne vitia ſint imitanda: deinde, ſi natura non ferat, vt quædã imitari poſſint, vt ſuperioris Africani filius, qui hũc Paullò natũ adoptauit, [e] propter infirmita-

a *Lex eo, quo quiſque modo natus eſt.*

b *L. conſilium viuẽdi omne.*

c *L. niſi fortè ſe intellexerit erraſſe in delig. gen.*

d *v. e. diluere, al. deluere.*

e *q. v. c. non tam potuit, propter infirmitatẽ valetudinis, patrũ ſimilis eſſe, q.*

tem valetudinis nõ tam potuit patris similis esse, quàm ille fuerat sui. Si igitur nõ poterit siue causas defensitare, siue populum concionibus tenere, siue bella gerere: illa tamẽ præstare debebit, quæ erunt in ipsius potestate, iustitiam, fidem, liberalitatem, modestiam, temperãtiam, quo minus ab eo id quod desit, requiratur. Optima autem hęreditas à patribus traditur liberis, omniq́; patrimonio præstantior gloria virtutis, rerumq́; gestarum: cui dedecori esse, nefas, & vitium iudicandum est. Et quoniam officia non eadem disparibus ætatibus tribuuntur, aliáque sunt iuuenum, alia seniorum: aliquid etiam de hac distinctione dicendum est.

*Adolescentiam quæ propriè deceant.*

ESt igitur adolescẽtis, maiores natu vereri, [a] ex hísque deligere optimos, & probatissimos, quorũ consilio atq; auctoritate nitatur. Ineuntis enim ætatis [b] inscitia, senum constituenda, & regenda prudentia est. Maximè autẽ hæc ætas à libidinibus arcenda est, exercendaq́; in labore, patientiaq́; & animi, & corporis: vt eorum & in bellicis, [c] & ciuilibus officijs vigeat industria, atque etiam cùm relaxare animos, & dare se iucunditati volent, caueant intemperãtiam, meminerint verecundiæ: quod erit facilius, si eiusmodi [d] quoque rebus maiores natu [e] interesse velint.

*Senectutem quæ deceant maximè.*

SEnibvs autem labores corporis [f] sunt minuendi, exercitationes animi etiam augendæ videntur. danda verò opera, vt & amicos, & iuuentutem, & maximè remp. consilio, & prudentia quàm plurimùm adiuuent: Nihil autem magis cauendum est senectuti, quàm ne languori [g] se, desidiæq́; dedat. Luxuria verò cùm omni ætati turpis, tum senectuti fœdissima est. sin autẽ [h] libidinum etiam intemperantia [i] accesserit, duplex malum est, quòd & ipsa senectus cõcipit dedecus, & facit adolescentium impudentiorem intemperantiam.

*Magistratus*

a *L. exq́; ijs delig.*
b *al. inscientia.*
c *L. & in ciuil.*
d *q. v. c. quidem reb.*
e *q. v. c. nolint interesse.*
f *sunt, abest à. v. c.*
g *L. sese.*
h *L. etiam libidinum int.*
i *q. v. c. accessit.*

*Magiſtratus perſonam quæ deceant.*

AC ne illud quidem alienũ eſt, de magiſtratuum, de priuatorum, de ciuium, de peregrinorum officijs dicere. Eſt igitur proprium munus magiſtratus intelligere, ſe gerere perſonam ciuitatis, deberéq; eius dignitatem, & decus ſuſtinere, ſeruare leges, iura deſcribere, ea fidei ſuæ commiſſa meminiſſe: Priuatum autẽ oportet æquo, & pari cum ciuibus iure viuere, neq; ſubmiſſum & abiectum,[a] neque ſe efferentem: tum in rep. ea velle, quæ trãquilla, & honeſta ſint.[b] talem enim & ſentire & bonum ciuem, dicere ſolemus. Peregrini autẽ, & incolæ officium eſt, nihil, præter ſuum negotium agere, nihil de alio [c] inquirere, minimeq; in aliena eſſe rep. curioſum. Ita ferè officia reperientur, cùm quæretur, quid deceat, & quid aptũ ſit perſonis, temporibus, ætatibus. Nihil eſt autem, quod tam deceat, quàm in omni re gerenda, conſilióq; capiendo ſeruare conſtantiam.

a *al. nec ſc.*
b *v.c. talem enim ſolemus & ſentire bonum ciuem, & dicere.*
c *L. anquirere.*

*Decorum à cultu, motuq; corporis.*

SED quoniam decorum [d] illud in omnibus factis, & dictis, in corporis denique motu, & ſtatu cernitur, idq; poſitum eſt in tribus rebus, formoſitate, ordine, ornatu ad actionẽ [e] apto: difficilius ad eloquẽdum: [67 f] ſed ſatis erit intelligi: in his autem tribus continetur cura etiam illa, vt probemur ijs, quibus cum [g] & apud quos viuamus: his quoque de rebus pauca dicantur.

d *illud, abeſt ab o.v.c.*
e *L. apto, difficilib. ad eloquendum.*
f *al. ſed ſatis facilè poterit intelligi.*
g *v.c. apud quosq; viu.*

*Quæſdam corporis partes indecorè oſtendi: res item quæſdam inhoneſtè vel fieri palàm vel aperte nominari.*

PRINCIPIO, corporis noſtri magnam natura ipſa videtur habuiſſe rationem: quæ formam noſtram, reliquamq; figurã, in qua eſſet ſpecies honeſta, eã poſuit in promptu. [h] quæ autẽ partes corporis ad naturæ neceſſitatem datæ, adſpectũ eſſent deformem habituræ, atq; turpem, eas contexit, atq; abdidit. Hanc naturę tam diligentẽ fabricam imitata eſt hominũ verecũdia. Quæ enim natura occultauit, eadem omnes, qui ſana

h *L. quæ partes autem.*

mente ſunt,remouent ab oculis: ipſiq; neceſſitati dant operam,vt quàm occultiſſimè pareant: quarumq; partium corporis vſus ſunt neceſſarij, eas neque parteis, neque earum vſus ſuis nominibus appellant:quódque facere turpe non eſt, modo occultè, id dicere [a] obſcœnum eſt. Itaque nec aperta actio rerum illarum, petulantia vacat,nec oratio obſcœnitate. Nec verò audiẽdi ſunt Cynici, aut ſi qui fuerunt Stoici pene Cynici, qui reprehendunt, & irridẽt, quòd ea, quæ turpia re non ſunt, verbis flagitioſa dicamus: illa autem, quæ turpia ſint,nominibus appellemus ſuis. Latrocinari,fraudare, [b] adulterari,re turpe eſt:ſed dicitur non obſcœnè:liberis dare operam, re honeſtum eſt, nomine obſcœnum: pluraq; [c] in eam ſentẽtiam ab eiſdem contra verecundiam diſputantur. Nos autem naturam ſequamur,& ab omni,quod abhorret ab ipſa oculorũ, aurium q; [d] comprobatione, [e] fugiamus, Status, inceſſus,ſeſſio, [f] accubatio,vultus, oculi, manuũ motus,teneãt illud decorũ. Quibus in rebus duo ſunt maximè fugienda: nequid effœminatum,aut molle,& nequid durum,aut ruſticum ſit. Nec verò hiſtrionibus, oratoribusq; concedendum eſt,vt ijs hæc apta ſint,nobis diſſoluta. Scenicorum quidem mos [g] tantam habet à vetere diſciplina verecundiam,vt in ſcena ſine ſubligaculo prodeat nemo.verentur enim, ne, ſi quo caſu euenerit, vt corporis partes quædam aperiantur,adſpiciantur non decorè. Noſtro quidem more cum parẽtibus puberes filij,cum ſoceris generi [h] non lauãtur. Retinenda eſt igitur huius generis verecũdia,præſertim natura ipſa magiſtra,& duce.

a *al.obſcenũ. al. obſcænum.*

b *L.adulterare.*

c *L.in eandẽ ſent. & ita v.c.*

d *L. approbatione.*

e *fort. refugiamus.*

f *L. accubitio.*

g *L. tantam habet vetere d.*

h *fort. non lauant.*

*Quæ forma virum, quæ fœminam deceat, & quatenus vtrique colenda: quis item geſtus, qui motus decorus.*

CVM autem pulchritudinis duo genera ſint,quorũ in altero venuſtas ſit,in altero dignitas:venuſtatẽ, muliebrẽ ducere debemus:dignitatem,virilem. Ergo & à forma remoueatur omnis viro nõ dignus ornatus: & huic

huic ſimile vitium in geſtu, motuque caueatur. Nam & palæſtrici motus, ſepe ſunt odioſiores: & hiſtrionũ nonnulli geſtus ineptijs non vacant: & in vtroque genere, quæ ſunt recta, & ſimplicia, laudãtur. Formæ autem dignitas, coloris bonitate tuenda eſt: color, exercitationibus corporis. Adhibenda eſt præterea munditia non odioſa, neq; exquiſita [a] nimis, tãtùm quæ fugiat agreſtẽ, & inhumanam negligentiam, eadem ratio eſt habenda veſtitus: in quo, ſicut in pleriſq; rebus, mediocritas optima eſt. Cauendum eſt autẽ, ne aut tarditatib. vtamur in greſſu mollioribus, vt pomparũ ferculis ſimiles eſſe videamur: aut in feſtinationibus ſuſcipiamus nimias celeritates: quę cùm fiunt, anhelitus mouẽtur, vultus mutantur, ora torquẽtur: ex quibus magna ſignificatio fit, nõ adeſſe conſtantiã. Sed multo etiã magis elaborandũ eſt, ne animi motus à natura recedãt, quod aſſequemur, ſi cauebimus, ne in perturbationes, atq; exanimationes incidamus: &, ſi attentos animos ad decori cõſeruationẽ tenebimus. Motus autẽ animorũ, duplices ſunt, alteri, cogitationis: alteri, appetitus. Cogitatio, in vero exquirẽdo maximè verſatur: appetitus impellit ad agẽdũ. curandũ eſt igitur, vt cogitatione ad res quàm optimas vtamur: appetitum rationi obedientem præbeamus.

a *nimis abeſt à v.c.*

*Duplex orationis genus, rhetoricum, & quotidianum.*

ET quoniam magna vis orationis eſt: eaque duplex: altera contentionis: altera, ſermonis: contentio diſceptationibus tribuatur iudiciorum, contionum, ſenatus: ſermo, in circulis, diſputationibus, congreſſionibus familiariũ verſetur: [b] perſequatur etiã conuiuia. cõtentionis præcepta rhetorum ſunt [c] multa, nulla ſermonis: quãquã haud ſcio, an poſſint hæc quoq; eſſe. ſed diſcẽtium ſtudijs inueniũtur magiſtri: huic autẽ qui ſtudeãt, ſunt nulli: rhetorũ turba referta omnia: quãquam quæ verborũ, ſententiarumq; præcepta ſunt, eadem ad ſermonem pertinebũt. Sed cum orationis indicem, vocem

b *L. ſequatur & ita v.c.*

c *vox, multa, nullo in cod. manuſcript. comperet.*

habeamus,in voce autem duo ſequamur, vt clara ſit,vt ſuauis:vtrumq́; omnino à natura petendum eſt: verum alterum exercitatio augebit, alterũ imitatio preſsè loquentium,& leniter.[68] [a] Quid fuit in Catulis,vt eos exquiſito iudicio putares vti litterarum? quãquam erant litterati: ſed & alij hi autem optime vti lingua Latina putabantur. Sonus erat dulcis,litteræ neque expreſſæ, neque oppreſſæ,ne aut obſcurum eſſet, [b] aut nimis putidum.Sine cõtentione vox,nec languens,nec canora. Vberior oratio C. Craſſi nec minùs faceta:ſed bene loquendi de Catulis opinio non minor, Sale verò [c] cõditus,& facetijs Cæſar,Catuli patris frater,vicit omneis: vt in ipſo illo forenſi genere dicẽdi contentiones aliorum ſermone vinceret.In omnibus igitur his elaborandum eſt,ſi in omni,quid deceat,exquirimus.

a *L. Nihil fuit in Cat.*

b *L. aut putidum, & ita v.c.*

c *vox conditus, abeſt à. q. v.c.*

*Sermo familiaris quemadmodum moderandus.*

SIT igitur hic ſermo,in quo Socratici maximè excellunt,lenis,miniméq; pertinax:inſit in eo lepôs. Nec verò,tanquam in poſſeſſionem ſuam venerit, excludat alios:ſed cum reliquis in rebus,[d] tum in ſermone,communi viciſſitudine nonnumquam vtendum putet. Ac videat in primis, quibus de rebus loquatur: ſi ſerijs,ſeueritatem adhibeat:ſi iocoſis,lepôrem.In primis prouideat,ne ſermo vitium aliquod indicet ineſſe [e] moribus: quod maximè tũ ſolet euenire,cùm ſtudioſè de abſentibus detrahendi cauſa, aut per ridiculum,aut ſeuerè, maledicè,contumelioſéq; dicitur. Habẽtur autem plerumq́; ſermones aut de domeſticis negotijs,aut de rep. aut de artium ſtudijs,[f] & doctrinæ.Danda igitur opera eſt,vt etiã ſi aberrare ad alia cœperit,ad hæc reuocetur oratio.Sed [69] vtcunque aderunt [g] res:neq; enim [h] omnes ijſdẽ de rebus, [i] nec in omni tempore,nec ſimiliter [k]delectamur.Animaduertendũ eſt etiam quatenus ſermo delectationem habeat: &,vt incipiendi ratio fuerit, ita ſit deſinendi modus.[l]Sed quoniam in omni vita rectiſſimè

d *L. tum in ſc. viciſſitudinem nõ iniquam putet. & ita v.c.*

e *L. in moribus.*

f *L. atq; doctrina.*

g *vocula, res, abeſt ab o.v.c.*

h *vox, omnes, abeſt ab o.v.c.*

i *L. nec omni tẽpore, nec.*

k *fort. delectantur.*

l *L. ſed, quomodo in.*

ctiſſimè præcipitur,vt perturbationes fugiamus, id eſt, motus animi nimios, rationi non obtemperanteis: ſic eiuſmodi motibus ſermo poſſe vacare, ne aut ira exſiſtat aut cupiditas aliqua,aut pigritia,aut ignauia,[a] aut quid tale appareat. maximéque curandum eſt, vt eos, quibuscum ſermonem conferimus, & vereri, & diligere videamur. Obiurgationes etiam nonnũquam incidunt neceſſariæ, in quib.vtẽdum eſt fortaſſe & vocis contentione maiore,& verborum grauitate acriore. Id agẽdum etiam eſt,vt ne ea facere videamur irati. Sed, vt ad vrẽdum,& ſecandum[b] medici,ſic nos ad hoc genus caſtigandi,rarò,inuitiq́ue veniamus.nec vmquam, niſi neceſſariò,ſi nulla reperietur alia medicina.ſed tamen ira procul abſit, cum qua nihil rectè fieri, nihil conſideratè poteſt. [c] Magna autem ex parte clementi caſtigatione licet vti,grauitate tamẽ adiuncta, vt ſeueritas adhibeatur,& contumelia repellatur.atque etiam illud ipſum, quod acerbitatis habet obiurgatio, ſignificandũ eſt,[d] ipſius cauſa,qui obiurgetur,ſuſceptum eſſe. Rectum eſt autem etiam in illis contentionibus, quæ cum inimiciſſimis fiunt,etiã ſi nobis indigna audiamus, tamen grauitatem retinere,iracũdiam[e] repellere.quæ enim cum aliqua perturbatione fiunt, ea nec conſtanter fieri poſſunt,nec ijs,qui adſunt,[f] approbari.Deforme etiam eſt, de ſe ipſo prædicare, falſa preſertim, & cum irriſione audientium,imitari militem glorioſum.

a *L. aut tale quid app.*

b *vox,medici, abeſt ab o. v.c.*

c *L.Magnam autem partẽ clem.*

d *v.c. ipſius id cauſa,q.*

e *v.c.pellere.*

f *L.probari.*

*In ædificijs extruendis quis modus.*

ET quoniam omnia perſequimur,(volumus quidem certè,)dicendum eſt etiam,qualem hominis honorati,& principis domũ placeat eſſe, cuius finis eſt vſus: ad quem accõmodanda eſt ædificãdi deſcriptio: & tamen adhibẽda dignitatis, ac cõmoditatiſq́; diligentia. Cn.Octauio,qui primus ex illa familia cõſul factus eſt, honori fuiſſe accepimus, quòd præclarã ædificaſſet in palatio, & plenam dignitatis domum: quæ cùm vulgò

viseretur, suffragata domino, nouo homini, ad consulatum putabatur: hanc Scaurus demolitus, accessionem adiunxit ædibus. Itaq; ille in suam domum consulatum primus [a] intulit: hic, summi, & clarissimi viri filius, in domum multiplicatam, non repulsam solùm [b] retulit, sed ignominiam, & calamitatem. Ornanda est enim dignitas domo, [c] non ex domo dignitas tota quærenda: nec domo dominus, sed domino domus honestanda est. & vt in ceteris habenda ratio non sui solùm, sed etiam aliorum: sic in domo clari hominis, in quam & hospites multi recipiendi, & admittenda hominũ cuiusque generis multitudo, habẽda est cura laxitatis. aliter ampla domus dedecori domino sæpe fit, si est in ea solitudo: & maximè, si aliquando alio domino solita est frequentari. odiosum est enim, cùm à prætereuntibus dicitur: [7]O domus antiqua, heu, [d] quàm dispari [e] dominaris domino! quod quidem his temporibus in multis licet dicere. Cauẽdum est etiam, præsertim si ipse ædifices, ne extra modum sumtu, & magnificẽtia prodeas: quo in genere multum mali etiam in exemplo est. studiosè enim plerique, præsertim [f] in hac parte, facta principũ imitãtur: vt L. Luculli, summi viri, virtutẽ, quis? [g] quàm multi villarum magnificentiam imitati [h] sunt? quarum quidem certè est adhibẽdus modus, ad mediocritatemq; reuocandus: eadémque mediocritas ad communem vsum, cultúmque vitæ [i] referenda est. Sed hæc hactenus.

a *L. attulit.*
b *verbum, retulit, abest à v.c.*
c *L. non ex domo tota quærenda.*
d *q.v.c. quã dissimili.*
e *L. dominare dom.*
f *L. in hanc partem.*
g *L. at quam.*
h *verbum, sunt, non agnoscit L.*
i *L. transferenda est.*

*Tria omni in vita seruanda.*

IN omni autem actione suscipienda, tria sunt tenenda: primùm, vt appetitus rationi [k] pareat: quo nihil est ad officia conseruanda accommodatius: deinde, vt animaduertatur, quanta illa res sit, quam efficere velimus: [l] néue minor, néue maior cura, & opera suscipiatur, quàm causa postulet. tertium est, vt caueamus, [m] vt ea, quæ pertinent ad liberalem speciem, & dignitatem, [n] moderanda sint. Modus autem est optimus, decus ipsum

k *q.v.c. obtemperet.*
l *L. vt néue.*
m *L. ne ea.*
n *L. immoderata sint.*

ipſum tenere, de quo antè diximus, nec progredi longius. [a] Horum autem trium præſtantiſſimum eſt, appetitum obtemperare rationi.

a *q.v.e.Horum tamẽ tr.*

*Decorum à loco, ac tempore.*

DEINCEPS de ordine rerum, & temporum opportunitate dicendum eſt. Hæc autem ſcientia continet eam, quam Græci εὐταξίαν nominant, non hanc, quam interpretamur modeſtiam: quo in verbo modus ineſt: ſed illa eſt εὐταξία, in qua intelligitur ordinis cõſeruatio. Itaque, vt eãdem nos modeſtiam appellemus, ſic definitur à Stoicis, vt MODESTIA, SIT SCIENTIA earum rerum, [b] quæ agẽtur, aut dicentur, loco ſuo collocandarũ. itaque videtur eadè vis ordinis, & collocationis fore. Nam & ordiné ſic definiunt, COMPOSITIONEM rerum aptis, & accommodatis locis. locum autẽ actionis, opportunitatẽ temporis eſſe dicunt. tempus autem actionis opportunum, Græcè εὐκαιρία, Latinè appellatur occaſio. ſic fit, vt modeſtia hæc quam interpretamur ita, vt dixi, ſcientia ſit opportunitatis idoneorum ad agẽdum temporum. Sed poteſt eſſe eadem prudentiæ definitio, de qua principio diximus. hoc autem loco de moderatione, & temperantia, [c] & earum ſimilibus virtutibus quærimus. Itaque, quæ erant prudentiæ propria, loco ſuo dicta ſunt. quæ autem harum virtutum de quibus [d] iamdudum loquimur, quæ pertinent ad verecũdiam, & ad eorum approbationem, quibus cum viuimus, nunc dicenda ſunt.

b *L. quæ aguntur, aut dicuntur.*

c *q.v. & harum.*

d *Li undiu.*

*Quid, quo loco, ac tempore dedeceat, deceatq.*

TALIS eſt igitur ordo actionum adhibendus, vt, quemadmodum in oratione conſtanti, ſic in vita omnia ſint apta inter ſe, & conuenientia. Turpe eſt enim, valdéque vitioſum, in re ſeuera conuiuio dignum, aut delicatum aliquem inferre ſermonem. Bene Pericles, cum haberet collegã in prætura Sophoclem poëtam, hiſque de communi officio conueniſſent, & caſu

formoſus puer præteriret, dixiſſetq́; Sophocles, O puerum pulcrum, [a] Pericles! At enim prætorem, [b] Sophocles, decet non ſolum manus, ſed etiam oculos abſtinenteis habere.

[c] ATQVE hoc idem Sophocles ſi in athletarum [d] approbatione dixiſſet, iuſta reprehẽſione caruiſſet. Tanta vis eſt & loci, & temporis. Vt [e] ſiquis, cùm cauſam ſit acturus, in itinere, aut in ambulatione ſecũ ipſe meditetur, aut ſiquid aliud attẽtiùs cogitet, non reprehendatur: at hoc idem ſi in conuiuio faciat, inhumanus videatur, [f] inſcitia temporis. Sed ea, quæ multũ ab humanitate diſcrepant, vt, ſi quis in foro [g] cantet, aut ſiqua eſt alia magna peruerſitas, facilè apparẽt, nec magnopere admonitionem, & præcepta deſiderant. quæ autẽ parua vidẽtur eſſe delicta, neque à multis intelligi poſſunt, ab ijs eſt diligentiùs declinandum: vt in fidibus, [h] aut in tibijs, quamuis paullum diſcrepent, tamen id à ſciente animaduerti ſolet: ſic videndum eſt in vita, ne fortè quid diſcrepet, vel multo etiam magis, quo maior, & melior actionũ, quàm ſonorum concẽtus eſt. Itaque, vt in fidibus muſicorum aures vel minima ſentiunt: ſic nos, ſi acres, ac diligẽtes iudices eſſe volumus, animaduerſoresq́; vitiorum, magna intelligemus ſæpe ex paruis. Ex oculorum obtutu, ex ſuperciliorũ aùt remiſſione, aut cõtractione, ex mæſtitia, ex hilaritate, ex riſu, ex locutione, ex reticentia, ex contentione vocis, [i] ex ſubmiſſione, ex cæteris ſimilibus, facilè iudicabimus: quid eorũ aptè fiat, quid ab officio, naturaq́; diſcrepet. Quo in genere non eſt incommodum, quale quodq́; eorum ſit, ex alijs iudicare: vt, ſi quid dedeceat [k] in alijs, vitemus & ipſi. fit enim neſcio quo modo, vt magis in alijs cernamus, quàm in nobiſmetipſis, ſiquid delinquitur. Itaque facillimè corriguntur [l] illi in diſcendo, quorum vitia imitantur, emendandi cauſa, magiſtri. Nec verò alienum eſt, ad ea eligenda, quæ dubitationem afferant, adhi-

a *v. t. Pericle.*
b *v. c. Sophocle.*
c *al. Atqui.*
d *L. probatione.*
e *q. v. c. ſiqui.*
f *L. inſcitiã.*
g *q. v. c. cantet, aut in funerè, aut ſiqua eſt.*
h *L. aut tibijs.*
i *L. & ſubmiſſ.*
k *L. in illis.*
l *prouocabulum, illi, deſet L.*

adhibere doctos homines, vel etiam vſu peritos, & quid his de vnoquoque officij genere placeat, exquirere. Maior enim pars eò ferè deferri ſolet, quo à natura ipſa deducitur. in quibus videndum eſt, non modò quid quiſque loquatur, ſed etiam, quid quiſque ſentiat, atque etiam, [a] de qua cauſa, [b] quiſque ſentiat. Vt enim pictores, & ij, qui ſigna [c] fabricant, [d] & veri etiam poëtæ, ſuum quiſque opus à vulgo conſiderari vult: vt, ſi quid reprehenſum ſit à pluribus, id corrigatur: hiſque & ſecum, & cum alijs, quid in eo [e] peccatum ſit, exquirunt: ſic aliorum iudicio permulta nobis & facienda, & non facienda, & mutanda, & corrigenda ſunt. Quæ verò more aguntur, & inſtitutis ciuilibus, de ijs nihil eſt præcipiendum. illa enim ipſa præcepta ſunt: nec quemquam hoc errore duci oportet, vt, ſi quid Socrates, aut Ariſtippus contra morem, conſuetudinemque ciuilem fecerint, locutiue ſint, idem ſibi arbitretur licere. Magnis illi, & diuinis bonis hanc licentiam aſſequebantur. Cynicorum verò rario tota eſt eijcienda. eſt enim inimica verecundiæ, ſine qua nihil rectum eſſe poteſt, nihil honeſtum. Eos autem, quorum vita perſpecta in rebus honeſtis, atque magnis eſt, bene de rep. ſentienteis, ac bene meritos, [f] ac merenteis, aliquo honore, aut imperio affectos, obſeruare, & colere debemus: tribuere etiam multum ſenectuti: cedere ijs, qui magiſtratum habebunt: habere [g] delectum ciuis, & peregrini: [h] in ipſo quoque peregrino, priuatimne, an publicè venerit: ad ſummam, ne agam de ſingulis, communem totius generis hominum conciliationem, & conſociationem colere, tueri, ſeruare [i] debemus.

a *al. qua de cauſa.*
b *v.c. non habent hoc totum, quid ſentiat.*
c *fabricãtur.*
d *L. & verè etiam p.*
e *q.v.c. peccati ſit.*
f *L. aut merenteis.*
g *q.v.c. dilectum.*
h *L. in ipſoq; peregrino.*
i *debemus, abeſt à v.c.*

*Quæ artes, & qui quæſtus ſordidi, qui contra liberales.*

IAM de artificijs, & quæſtibus qui liberales habendi, qui ſordidi ſint, hæc ferè accepimus. Primùm improbantur ij quæſtus, qui in odia hominum incurrunt: vt

portitorum, & fœneratorum. Illiberales autem, & ſordidi quæſtus mercenariorum,[a] omnium, quorum operæ, non quorum artes emuntur. Eſt enim in illis ipſa merces, auctoramentum ſeruitutis. ſordidi etiam[b] putandi, qui mercantur à mercatoribus,[c] quod ſtatim vendant. nihil enim proficiunt, niſi admodum mentiantur. nec verò quidquã eſt turpius vanitate. opificesq; omnes in ſordida arte verſantur. [d] nec verò quidquam ingenuum poteſt habere officina: minimeq; artes hæ probandæ, quæ miniſtræ ſunt voluptatum, cetarij, lanij, [e] coqui, ſartores, piſcatores, vt ait Terentius, [f] adde his, ſi placet, vnguẽtarios, ſaltatores, [g] totumq; ludum talarium. Quibus autem artibus aut prudentia maior ineſt, aut non mediocris vtilitas quæritur, vt medicina, vt architectura, vt doctrina rerum honeſtarũ, hæ ſunt ijs, quorum ordini cõueniunt, honeſtæ. Mercatura autem, ſi tenuis eſt, ſordida putanda eſt. ſin magna & copioſa, multa vndique apportans, multisq; ſine vanitate[h] impartiens: non eſt admodum vituperanda. atque etiam, ſi ſatiata quæſtu, vel contenta potiùs, vt ſæpe ex alto in portũ, ex ipſo portu ſe in agros poſſeſſionesq; contulerit, videtur iure optimo poſſe laudari. Omnium autẽ rerũ 7[2] ex quibus aliquid acquiritur, nihil eſt agricultura melius, nihil vberius, nihil dulcius,[i] nihil homine libero dignius. De qua quoniã in Catone Maiore ſatis multa diximus, illinc aſſumes, quæ ad hunc locũ pertinebunt.

a *al. omniumq;.*
b *q.v.c puzantur.*
c *q.v.c.quod ſtatim vendant carius.*
d *L.nec enim quidquam.*
e *al. coci.*
f *v c. adde huc, ſi pl.*
g *L totum denique ludũ talarium.*
h *L.impertiens.*
i *L.nihil homine, nihil libero dign.*

*E duobus honeſtis, verum honeſtius.*

SED ab ijs partibus, quæ ſunt honeſtatis,[k] quemadmodum officia ducerentur, ſatis expoſitum videtur. Eorum autẽ ipſorum, quæ honeſta ſunt, poteſt incidere ſæpe contentio, & comparatio: de duob. honeſtis vtrum honeſtius: qui locus à Panętio eſt prętermiſſus. Nã cùm omnis honeſtas manet à partibus quatuor, quarũ vna ſit cognitionis, altera, cõmunitatis: tertia, magnanimitatis, quarta, moderationis: hæ in diligẽdo officio ſæpe

k *q.v.c. quo modo off.*

inter

inter se comparentur, necesse est. Placet igitur, aptiora esse naturæ ea officia, quæ ex communitate, quàm ea, quæ ex cognitione ducantur: idq; hoc argumento confirmari potest, quòd, si contigerit ea vita sapienti, [a] vt omniũ rerum affluentibus copijs ditetur: quamuis omnia, quæ cognitione digna sunt, summo otio secum ipse consideret, & contempletur: tamen, si solitudo tanta sit, vt hominem videre non possit, excedat è vita. Princepsque omnium virtutum [b] est illa sapientia: quam σοφίαν Græci vocant: prudentiam enim, quàm Græci φρόνησιν dicunt, aliam quandam intelligimus: quæ est rerum expetendarum, fugiendarumq; scientia: illa autem sapientia, quam principẽ dixi, rerũ est diuinarũ, atque humanarum scientia: in qua continetur deorum, & hominum cõmunitas, & societas inter ipsos. ea si maxima est, [c] vt certè necesse est, quod à communitate ducatur officium, id esse maximum. Etenim cognitio, contemplatioq; naturæ, manca quodam modo, atq; inchoata sit, si nulla actio rerum cõsequatur, ea verò actio in hominum commodis tuendis maximè cernitur. pertinet igitur ad societatem generis humani. ergo hæc cognitioni anteponẽda est, atque id optimus quisque [d] reipsa ostẽdit, [e] & iudicat. Quis est enim [f] tam cupidus in perspicienda, cognoscendaq; rerum natura, vt, si ei tractãti, contemplantiq; res cognitione dignissimas, subitò sit allatum periculum, discrimenq; patriæ, cui subuenire, opitulariq; possit: non illa omnia relinquat, atque abijciat, etiamsi dinumerare se stellas, aut metiri mũdi magnitudinem posse arbitretur? Atque hoc idem in parentis, in amici re, aut periculo fecerit. Quibus rebus intelligitur, studijs, officijsq; scientiæ, præponenda esse officia iustitiæ, quæ pertinent ad hominum vtilitatem: qua nihil homini debet esse antiquius. Atque illi, quorum studia, vitaq; omnis in rerum cognitione versata est, tamen ab augendis hominum vtilitatibus, &

a *L. vt in omniũ rerum aff. cop. quamuis omnia, quæ cogn.*
b *est, non reperitur in v.c.*
c *L. vt est certè q.*
d *q. v. c. reapse.*
e *L. & iudicat.*
f *fort. tam cupidus perspiciendæ, cognoscendæq; rer. naturæ, vt, si.*

commodis non receſſerunt. Nam erudierunt multos quo meliores ciues,[a] vtilioresque in rebus ſuis publicis eſſent: vt Thebanum Epaminõdam[b] Lyſias Pythagorêus, Syracuſium Dionem Plato, multiq; multos: nósque ipſi, quidquid ad remp. attulimus, (ſi modò aliquid attulimus,) à doctoribus, atque doctrina inſtructi ad eam, & ornati acceſſimus. Neq; ſolum viui, atque præſentes ſtudioſos diſcendi erudiunt, atq; docent: ſed hoc idem etiam poſt mortem monumentis literarum aſſequuntur. nec enim locus vllus prætermiſſus eſt ab ijs, qui ad leges, qui ad mores, qui ad diſciplinam reip. pertineret: vt otium ſuum ad noſtrum negotium cõtuliſſe videantur. ita illi ipſi doctrinæ ſtudijs, & ſapientiæ dediti, ad hominum vtilitatem ſuam prudentiam, intelligentiamq; potiſſimùm conferunt. Ob eam etiam cauſam eloqui copioſè, modò prudenter melius eſt, quàm vel acutiſſimè ſine eloquentia cogitare: quod cogitatio in ſe ipſa vertitur, eloquentia[c] verò complectitur eos, quibus cum communitate iuncti ſumus. Atq;[d] vt apum examina non fingendorum fauorum cauſa congregãtur, ſed, cùm congregabilia natura ſint, fingunt fauos: ſic homines, ac multo etiam magis, natura congregati, adhibent agendi, cogitandique ſolertiam. Itaque niſi ea virtus, quæ conſtat ex hominibus tuendis, id eſt, ex ſocietate generis humani, attingat rerum cognitionẽ, ſoliuaga cognitio, & ieiuna videatur. itemq; magnitudo animi,[e] remota comitate, coniunctioneq; humana, feritas fit quædam, & immanitas. Ita fit, vt vincat cognitionis ſtudium conſociatio hominum, atque communitas. Nec verum eſt, quod dicitur à quibuſdam, propter neceſſitatẽ vitæ, quòd ea, quæ natura deſideraret, conſequi ſine alijs, atque efficere non poſſemus, idcircò iſtam eſſe cum hominibus communitatem, & ſocietatem: quòd ſi omnia nobis, quæ ad victum, cultumque pertinẽt, quaſi virgula diuina, vt aiunt,[f] ſuppeditarẽtur, tum

a *L. vtilioresq; rebus & ſius. & publ.*
b *L. Lyſis Pythag.*
c *verò, abeſt ab. o. v. c.*
d *L. vt apiũ exam.*
e *L. remota cõmunitate, coniunct.*
f *q. v. c. ſuppeditarent.*

tum optimo quiſq; ingenio, negotijs omnibus omiſſis, totum ſe in cognitione, & ſcientia collocaret. Non eſt ita.nam & ſolitudinẽ fugeret,& ſocium ſtudij quęreret: tum docere,tum diſcere vellet,tum audire,tum dicere. Ergo omne officium,quod ad coniunctionem hominũ, & ad ſocietatem tuendam valet,anteponendum eſt illi officio,quod cognitione,& ſcientia continetur.

*Iuſtitiane, an temperantia potior.*

ILLVD forſitan quærendum ſit,num hæc communitas, quæ maximè eſt apta naturæ, ſit etiã moderationi,modeſtiæq; ſemper anteponenda. Non placet.ſunt enim quædam partim ita fœda,[a] quædã partim ita flagitioſa,vt ea,ne conſeruandæ quidem patriæ cauſa, ſapiens facturus ſit. ea Poſidonius collegit permulta, ſed ita tetra quędam,ita obſcœna,vt dictu quoque videantur turpia.Hæc igitur nõ ſuſcipiet[b] quiſquam reip. cauſa,[c] nec reſp.quidẽ pro ſe ſuſcipi volet. Sed hæc commodiùs ſe res habet,[74] quòd non poteſt accidere tempus,vt interſit reipub.quidquam illorum facere ſapientem.Quare hoc quidem effectum ſit,in officijs diligendis id genus officiorũ excellere, quod teneatur hominum ſocietate. etenim cognitionem, prudentiamq; ſequitur conſiderata actio,ita fit,vt cõſideratè agere pluris ſit,quàm cogitare prudenter. Atque hæc quidẽ hactenus.[d] patefactus eſt enim locus ipſe, vt non ſit difficilè in exquirendo officio, quod cuique ſit præponendum,videre. In ipſa autẽ communitate ſunt gradus officiorum: ex quibus,quod cuique præſtet,intelligi poſſit: vt prima dijs immortalibus: ſecunda,patriæ:tertia, parẽtibus,deinceps gradatim reliquis debeantur. Quibus ex rebus breuiter diſputatis intelligi poteſt,non ſolùm id homines ſolere dubitare,honeſtúmne,an turpe ſit: ſed etiam,duobus propoſitis honeſtis,vtrum honeſtius. Hic locus à Panætio eſt, vt ſuprà dixi,prætermiſſus. Sed iam ad reliqua pergamus.

a *vox, quædam, abeſt à v.c.*

b *vox, quiſquam,non reperitur in. v. cod.*

c *L. ne reſp.*

d *v.c.patefactus enim locus eſt ipſe.*

# M. T. CICERONIS DE OFFICIIS, LIBER SECVNDVS.

ARGV. PER DES. ESAS. ROTER.

*Superiore libro duas propoſitæ initio diuiſionis partes abſoluit, quid honeſtum, quid contrà, & in honeſtis vtrum honeſtius: in hoc de alteris duabus promittit, quid vtile, quid inutile, tum inter vtilia vtrum vtilius, aut quid vtiliſſimum. Deinde inconſtantiæ reprehẽſionem deprecatur, quod à ciuili vita, quam ſæpe prætulerit, nunc ad otium ſtudiorum ſe conuerit: tum cur ad philoſophiã potius, quàm aliud ſtudiorũ genus: Poſtremò, cur Academicus de officijs præcipiat, rationem reddit.*

QVEMADMODVM officia ducerẽtur ab honeſtate, Marce fili, atq; ab omni genere virtutis, ſatis explicatum arbitror libro ſuperiore. Sequitur, vt hæc officiorũ genera perſequar, quæ pertinent ad vitæ cultum, & ad earum rerum quibus vtuntur homines, facultatem, ad opes, ad copias. [c] in quo tum quæri dixi, quid vtile quid inutile: [a] tum ex vtilibus quid vtilius, aut quid maximè vtile. de quibus dicere aggrediar, ſi pauca priùs de inſtituto, ac de iudicio meo dixero. Quãquã enim libri noſtri complureis non modò ad legendi, ſed etiã ad ſcribendi ſtudium excitauerũt: tamen interdũ vereor ne quibuſdam bonis viris philoſophiæ nomen ſit inuiſum: mirenturq;, in ea tãtum me operæ, & temporis ponere. Ego autem quamdiu reſp. per eos gerebatur, quibus ſe ipſa commiſerat, omneis meas curas, cogitationesq; in eam cõferebam: cùm autem dominatu vnius omnia tenerentur, neq; eſſet vſquam conſilio, aut auctoritati locus, ſocios denique

a *L. tum ex duobus vtilib. quid vtilius, aut ex pluribus quid maximè vtile.*

denique tuendę reip. ſummos viros, amiſiſſem: nec me angoribus dedidi, quibus eſſem cõfectus,[a] niſi ijs reſtitiſſem: nec rurſum indignis homine docto voluptatib⁹, Atq; vtinam reſp. ſtetiſſet quo cæperat ſtatu: nec in homines non tam commutandarum rerũ, quàm euertẽdarum cupidos, incidiſſet. primùm enim, vt ſtante rep. facere ſolebamus, in agendo plus, quàm in ſcribendo, operæ ponęremus, deinde ipſis ſcriptis nõ ea, quę nũc, ſed actiones noſtras mãdaremus, vt ſępè fecimus. Cùm autẽ reſp. in qua omnis mea cura, cogitatio, opera poni ſolebat, nulla eſſet omnino, illæ ſcilicet litteræ cõticuerunt, forenſes, & ſenatoriæ. nihil autem agere cùm animus non poſſet: in ijs ſtudijs ab initio verſatus ætatis, [b]exiſtimaui honeſtiſſimẽ [c]moleſtias deponi poſſe, ſi me ad philoſophiam retuliſſem. cui cùm multùm adoleſcens, diſcendi cauſa, temporis tribuiſſem: poſteà quàm honoribus inſeruire cœpi, méque totum reip. tradidi, tantum erat philoſophiæ loci,[z] quantum ſuperfuerat amicorum, & reip. [d] temporibus, Id autem omne conſumebatur in legendo: ſcribendi otium non erat. Maximis igitur in malis [e]hoc tantum boni aſſecuti videmur, vt ea literis mandaremus, quæ nec ſatis erant nota noſtris & erant cognitione digniſſima. Quid eſt enim, per deos, optabilius ſapientia? [f] quid præſtantius? quid homini melius? quid homine dignius? Hanc igitur, qui expetunt, philoſophi nominantur: nec quidquã aliud eſt philoſophia, ſi interpretari velis, quàm ſtudium ſapientiæ. Sapiẽtia autem eſt, (vt à veteribus philoſophis definitum eſt,) rerum diuinarũ, & humanarũ, cauſarũmque, quibus hæ res continentur, ſcientia: cuius ſtudium qui vituperat, haud ſanè intelligo, quidnã ſit, quod laudandum putet. Nam ſiue oblectatio quæritur animi, requiésque curarum: quæ cõferri cum eorum ſtudijs poteſt, qui ſemper aliquid [g]acquirunt, quod ſpectet, & valeat ad bene, beatéque viuendum, ſiue ratio conſtantiæ,

a *v.c. niſi hinc reſt.*

b *L. exiſtimaui honeſtiſſimè poſſe poni, ſi me.*

c *vox, moleſtias, abeſt à v.c.*

d *L. tẽporis.*

e *L. hoc tamen boni aſſ.*

f *al. quid præſtabilius?*

g *L. anquirunt, & ita v.c.*

virtutisq́; quæritur: aut hæc ars eſt, aut nulla omnino, per quam eas aſſequamur. nullā verò dicere maximarum rerum artem eſſe, cùm minimarum ſine arte nulla ſit, hominum eſt parum conſideratè loquentium, atque in maximis rebus errātium. [a] Si autem eſt aliqua diſciplina virtutis, vbi ea quæretur, cùm ab hoc diſcendi genere diſceſſeris? Sed hæc, cùm ad philoſophiam cohortamur, accuratius [b] ſolent diſputari: quod alio quodam libro fecimus. Hoc autem tempore tantum nobis declarandum fuit, cur orbati reip. muneribus, ad hoc nos ſtudium potiſſimum contuliſſemus. Occurritur autem nobis, & quidem à doctis, & eruditis, quærentibus, ſatísne conſtanter facere videamur, qui, cum percipi nihil poſſe dicamus, tamen & alijs de rebus diſſerere ſoleamus, & hoc ipſo tempore præcepta officij perſequamur. Quibus vellem ſatis cognita eſſet noſtra ſententia. non enim ſumus ij, quorum vagetur animus errore, nec habeat vmquā, quid ſequatur. quæ enim [c] iſta eſſet mens, vel quæ vita potiùs, [d] non ſolùm diſputandi, ſed etiam viuendi ratione ſublata? Nos autē, vt ceteri, qui alia, certa, alia incerta eſſe dicunt: ſic ab his diſſentientes, alia probabilia, cōtra, alia [e] improbabilia eſſe dicimus. [f] Quid eſt ergo, quod me impediat, ea, quæ mihi probabilia videantur, ſequi: quæ cōtra, improbare: atq; affirmandi arrogantiam vitātem, fugere temeritatem, quæ à ſapientia diſſidet plurimum? Contrà autē omnia diſputantur à noſtris, quòd hoc ipſum probabile elucere non poteſt, niſi ex vtraq; parte, cauſarum eſſet facta contentio. Sed hæc explanata ſunt in Academicis noſtris ſatis, vt arbitror, diligenter. Tibi autem, mi Cicero, quamquam in antiquiſſima, nobiliſſimaq́; philoſophia, Cratippo auctore, verſaris, ijs ſimillimo, qui iſta præclara pepererunt: tamen hæc noſtra, finitima veſtris, ignota eſſe nolui. Sed iam ad inſtituta pergamus.

a *L. Sin autem.*

b *L. diſputari ſolent.*

c *aleſſet iſta mens.*

d *L. non modo diſputādi, & ita v.c.*

e *vox, improbabilia, abeſt à v.c.*

f *v.c. Quid, eſt igitur.*

*Vtilitatem non eam hic accipi, quam vulgus pecuniario lucro metitur, &*

*tur, & commoditate undecunq; parta: sed eam, quæ cum honesto sit coniuncta & ad vitæ societatem pertineat.*

QVINQVE igitur rationibus propositis officij persequendi, quarum duæ ad decus, honestatem q́ue pertinẽt: duæ ad cõmoda vitæ, copias, opes, facultates, quinta ad eligendi iudicium, si quando ea, quæ dixi, pugnare inter se viderẽtur: honestatis pars, [a] perfecta est: quam quidem tibi cupio esse notissimam. Hoc autem, de quo nũc agimus, idipsum est, quod vtile appellatur, in quo verbo lapsa cõsuetudo deflexit de via, sensimq́; eò deducta est, vt honestatem ab vtilitate secerneret, & constitueret [b] honestum aliquod, quod vtile non esset: & vtile, quod non honestum: qua nulla pernicies maior hominum vitæ potuit afferri. Summa quidẽ auctoritate philosophi scuerè sanè, atq; honestè, hæc tria genera [c] cõfusa, cogitatione distinguunt quidquid enim iustum sit, id vtile etiam esse censent: itemq́ue quod honestum, [d] idem esse iustũ. ex quo efficitur, vt, quidquid honestum sit, idem sit vtile. Quod qui parum perspiciunt, hi sæpe versutos homines, & callidos admirãtes, [e] eorum malitiam, sapientiam iudicant. quorum error eripiendus est, omnisq́; opinio ad eam [f] spem traducẽda, vt honestis consilijs, iustisq́ue factis, non fraude, & malitia se intelligant ea, quæ velint consequi posse.

a *L. confecta.*
b *v. c. esse hon.*
c *fort. re confusa.*
d *L. idem iustum ex.*
e *vox, eorũ, abest à v. c.*
f *v. c. specie.*

*Quæ quaque ex re commoda, aut incommoda capiantur, quæ Græci euchrestemata, & dischrestemata nominant. Colligatq́; quidquid est ferè in vita commodi aut incommodi, id homini ab homine nasci.*

QVAE ergo ad vitam hominũ tuendam pertinent, [2] partim sunt [g] inanimata, vt aurum, argentum, vt ea, quæ gignuntur è terra, & alia eiusdem generis: partim [h] animata, quæ habẽt suos impetus, & rerum appetitus. Eorum autẽ alia rationis expertia sunt, alia ratione vtentia. Expertes rationis [i] sunt equi, boues, reliquæ pecudes, apes, [3] quarum opera efficitur aliquid ad hominũ vsum, atque vitam. Ratione autem vtentium duo

g *L. inanima.*
h *L. animalia.*
i *verbũ, sunt, delet. L.*

genera ponuntur: vnum,deorum: alterum,hominum.
a *L.proximè autem secundum deos.* deos,placatos pietas efficiet,& sanctitas: [a] proximè autem, & secundum deos, homines hominibus maximè vtiles esse possunt.Earumq; item rerũ, quæ noceant,& obsint,eadem diuisio est. Sed quia deos nocere nõ putãt,[b] his exceptis homines hominibus plurimũ obesse,
b *has duas voces, his exceptis, non agnoscit L.* vel prodesse arbitrantur.ea enim ipsa,quæ [c] inanimata
c *L.inanima.* diximus,pleraq; sunt hominum operis effecta,quæ nec haberemus,nisi manus,& ars accessissent: nec his sine hominũ administratione vteremur. neq; enim valetudinis curatio,neq; nauigatio,neque agricultura,neque frugum,fructuumq; reliquorum perceptio,& cõseruatio, sine opera hominum vlla esse potuisset. Iam verò & earum rerum, quibus abundaremus, exportatio, & earum,quibus egeremus,inuectio,certè nulla esset,nisi his muneribus homines fungerentur.eademque ratione nec lapides è terra exciderentur ad vsum nostrum
d *v.c.effoderetur penitus abditum.* necessarij: nec ferrum,aurum,æs, argentum [d] effoderentur penitus abdita, sine hominum labore, & manu. Tecta verò quibus & frigorum vis pelleretur, & calorum molestiæ sedarentur, vnde aut initio generi humano dari potuissent, [e] aut posteà [e] subuenire, si aut vi
e *al. subueniri, al. submuniri.* tempestatis, aut terræ motu, aut vetustate cecidissent, nisi communis vita ab hominibus harum rerum auxilia petere didicisset? Adde ductus aquarum,deriuationes
f *L.quæ vnde sine hom. opera habere possemus?* fluminum, agrorum irrigationes, moles oppositas fluctibus, portus manu factos, [f] quæ non sine hominum opera habere possemus: ex quibus omnibus, multis-
g *L.quæ sint inanimæ.* que alijs perspicuum est, qui fructus,quæque vtilitates ex rebus ijs, [g] quæ sunt inanimatæ, percipiantur, eos nos nullo modo sine hominum manu, atque opera capere potuisse. Qui denique ex bestijs fructus, aut quæ commoditas,nisi homines adiuuarent, percipi posset? nam & qui principes inueniendi fuerunt,quem ex quaque bellua vsum habere possemus, homines certè fuerunt:

runt: nec hoc tempore ſine hominum opera aut paſcere eas, aut domare, aut tueri, aut tempeſtiuos fructus ex his capere poſſemus. ab eis deniq; & eæ, quæ nocẽt interficiuntur: & quæ vſui poſſunt eſſe, capiuntur. Quid enumerem artium multitudinẽ, ſine quibus vita omnino nulla eſſe potuiſſet? quis enim ægris ſubueniret: quę eſſet oblectatio valẽtium, qui victus, aut cultus, niſi tam multæ nobis artes [a] miniſtrarẽtur? quibus rebus excultа hominum vita tantum deſtitit à victu, & cultu beſtiarum. Vrbes verò ſine hominum cœtu non potuiſſent nec ædificari, nec frequentari: ex quo leges, moresque conſtituti: tum iuris æqua deſcriptio, certáque viuendi diſciplina, [b] per quas bene, beatéque viuitur, quas res & manſuetudo animorum conſecuta, & verecũdia eſt: effectumque, vt eſſet vita munitior, atque vt dando, & accipiendo, [c] permutandisque facultatibus, & commodis nulla re egeremus. Longiores hoc loco ſumus, quàm neceſſe eſt. Quis enim eſt, cui non perſpicua ſint illa, quæ pluribus verbis à Panætio commemorantur, neminem [d] neque ducem in bello, nec principem domi, magnas res, & ſalutareis ſine hominum ſtudijs gerere potuiſſe? Commemoratur ab eo Themiſtocles, Pericles, Cyrus, Ageſilaus, Alexander, quos negat ſine adiumentis hominum tantas res efficere potuiſſe. Vtitur in re non dubia, teſtibus non neceſſarijs. Atque vt magnas vtilitates adipiſcimur cõſpiratione hominum, atque conſenſu: ſic nulla tam deteſtabilis peſtis eſt, quę non homini ab homine naſcatur. Eſt Dicæarchi liber de interitu hominum, Peripatetici magni, & copioſi: qui collectis ceteris cauſis, eluuionis, peſtilentiæ, vaſtitatis, belluarum etiam repentinæ multitudinis, quarum impetu docet quædam hominum genera eſſe cõſumpta: deinde comparat, quanto plures deleti ſint homines hominum impetu, id eſt, bellis, [e] aut ſeditionibus, quàm omni reliqua calamitate. Cùm igitur hic

a *v.c. miniſtrarent.*

b *hoc totum, per quas bene beateq; viuitur, abeſt à v.c.*

c *L mutandis & facult.*

d *v.c. nec ducem belli.*

e *L. & ſeditionib.*

locus nihil habeat dubitationis, quin homines plurimũ hominibus & prosint, & obsint: proprium hoc statuo esse virtutis, conciliare [a] sibi animos hominum, & ad vsus suos adiungere. Itaque, quæ in rebus inanimis, quæque in vsu, & tractatione beluarum fiunt vtiliter ad hominum vitam, artibus ea tribuuntur operosis: hominum autẽ studia ad amplificationem nostratũ rerum promta [b] & parata, virorum præstantium sapientia, & virtute excitãtur. Etenim virtus ferè omnis in tribus rebus vertitur: quarum vna est in perspiciendo, quid in quaq; re verum, sincerumq; sit, quid cõsentaneum cuique, quid consequẽs, ex quo quæq; gignantur, quæ cuiusque rei sit causa: [c] alterũ cohibere motus animi turbatos, quos Græci πάθη nominãt: appetitionésque, quos illi ὁρμὰς, obedienteis efficere rationi: [d] tertium, ijs, quibuscum [e] cõgregamur, vti moderatè, & scienter, quorum studijs ea, quæ natura desiderat, expleta, cumulatáque habeamus: per eos denique, siquid importetur nobis incommodi propulsemus, vlciscamurque eos, qui nocere nobis conati sunt, tantáque pœna afficiamus, [f] quantum æquitas, humanitásque patitur. Quibus autem rationibus hanc facultatem assequi possimus, vt hominum studia complectamur, eaq; teneamus, dicemus: neque ita multo post: sed pauca antè dicenda sint. Magnam vim esse in fortuna in vtramque partem, vel secũdas ad res, vel aduersas, quis ignorat? nam & cum prospero flatu eius vtimur, [g] ad exitus prouehimur optatos: & cum reflauit, affligimur. Hæc igitur ipsa fortuna ceteros casus rariores habet, primùm ab inanimis procellas, tẽpestates, naufragia, ruinas, incendia: deinde, à bestijs ictus, morsus, impetus. Hæc igitur, vt dixi, rariora. At verò interitus exercituum, vt proximè trium, sæpe multorum, clades imperatorum, vt nuper summi, ac singularis viri: inuidiæ præterea multitudinis, atque ob eas, benemeritorum sæpe ciuium expulsiones, calamitates, fugæ: rursusque

a *v.c. non habent, sibi.*
b *v.c. ac.*
c *fort. altera.*
d *fort. tertia.*
e *v.c. congregemur.*
f *L. quanta.*

ſusque ſecundæ res, honores, imperia, victoriæ, quamquam fortuita ſunt, [7] tamen [a] ſine hominum opibus, & ſtudijs neutram in partem effici poſſunt. Hoc igitur cognito, dicendum eſt, quónam modo hominum ſtudia ad vtilitates noſtras allicere, atque excitare poſſimus, quæ ſi longior fuerit oratio, cum magnitudine vtilitatis comparetur: ita fortaſſis etiam breuior videbitur.

a *L. ſine hominum operis, & ſt.*

*Quibus rebus commoueantur homines, vt quempiam magiſtratu dignum putent, eiq; parere velint.*

QVAECVNQVE igitur homines homini tribuunt ad eum agendum, atque honeſtādum, aut beneuolētiæ gratia faciunt, cùm aliqua de cauſa quempiam diligunt: aut honoris, ſi cuius virtutem ſuſpiciunt, [b] & ſi quem dignum fortuna quam ampliſſima putent: [c] aut cui fidem habent, & bene rebus ſuis conſulere arbitrātur: [d] aut cuius opes metuunt: aut contra, à quibus aliquid exſpectant: vt cùm reges, populares ſque homines largitiones aliquas proponūt: aut poſtremò, pretio, aut mercede ducūtur: [e] quæ ſordidiſſima quidem eſt ratio & inquinatiſſima, & ijs, qui ea tenentur, & illis, qui ad eam confugere conantur. Malè enim ſe res habet, cum quod virtute effici debet, id tentatur pecunia. Sed quoniam nonnūquam hoc ſubſidiū neceſſarium eſt: quemadmodum ſit vtendum eo, dicemus, ſi prius ijs de rebus, quæ virtuti propriores ſunt, dixerimus. Atq; etiam ſubijciūt ſe homines imperio alterius, & poteſtati pluribus dē cauſis. ducūtur enim aut beneuolentia, aut beneficiorum magnitudine, aut dignitatis præſtantia, aut ſpe, ſibi id vtile futurū, aut metu. ne vi parêre cogantur, aut ſpe largitionis, promiſſionibusq; capti: aut poſtremò, vt ſæpe in noſtra rep. videmus, mercede conducti.

b *v.c. quemque dign. fort. ſi quemque.*
c *fort. aut ſi cui fid.*
d *fort. aut ſi cuius opes.*
e *L. quæ ſordidiſſima eſt illa quidem rat. & ita v.c.*

*Vtiliſſimum ijs, qui cum imperio ſunt, ab omnibus amari: metui cum turpe, tum minimè tutum.*

RERVM autem omnium nec aptius eſt quidquā ad opes [f] tuēdas, quàm diligi: nec alienius, quā timeri.

f *v.c. tuēdas, ac tenendas.*

Præclarè Ennius : Quem metuunt, oderunt. Quem quiſque odit, perijſſe expetit. Multorum autem odijs nullas opes poſſe obſiſtere, ſi anteà fuit ignotum, nuper eſt cognitum. Nec verò huius tyranni ſolùm, quem armis oppreſſa pertulit ciuitas, interitus [8] declarat, quantum odium hominum valeat ad peſtem: ſed reliquorũ ſimiles exitus tyrannorum? quorum haud ferè quiſquã interitum ſimilem effugit. Malus enim [a] cuſtos diuturnitatis metus: contrà; beneuòlentia, fidelis [b] eſt, vel ad perpetuitatem. Sed ijs, qui vi oppreſſos imperio coërcent, ſit ſanè adhibenda fæuitia, vt heris in famulos, ſi aliter teneri non poſſunt; qui verò in libera ciuitate ita ſe inſtruunt, vt metuantur: his nihil eſſe poteſt dementius. quamuis enim demerſæ ſint leges alicuius opibus, [9] quamuis [c] tremefacta libertas, emergunt tamen hæc aliquãdo aut iudicijs tacitis, aut occultis de honore ſuffragijs. Acriores autem morſus ſunt intermiſſæ libertatis, quàm retentæ. Quod igitur latiſſimè patet, neque ad incolumitatem ſolùm, ſed etiam ad opes, & potentiam valet plurimùm, id amplectamur, vt metus abſit, caritas retineatur, ita facillimè, quæ volumus, & priuatis in rebus, & in rep. conſequemur. etenim, qui ſe metui volent, à quibus [d] metuuntur, eoſdem metuant ipſi, neceſſe eſt. Quid enim cẽſemus ſuperiorem illum Dionyſium? quo cruciatu timoris angi ſolitum, qui cultros metuens tonſorios, candenti carbone ſibi adurebat capillum? quid? Alexandrum Pheræum, quo animo vixiſſe arbitramur? qui (vt ſcriptum legimus) cùm vxorem Theben admodum diligeret, tamen ad eam ex epulis in cubiculum veniens, barbarum, & eum quidem, vt ſcriptum eſt, [10] compunctum notis Threcijs, [e] diſtricto gladio iubebat anteire: præmittebatque de ſtipatoribus ſuis, qui perſcrutarentur arculas muliebreis, & ne quod in veſtimentis occultaretur telum, exquirerent. O miſerum, qui fideliorem & barbarum,

a *L. eſt cuſtos diut.*
b *verbũ, eſt, abeſt à. v. c.*
c *L. timefacto.*
d *L. metuẽtur, & ita. v. c.*
e *L. deſtricto gl.*

[a] & ſtigmaticum putaret, quàm coniugem. Nec eum fefellit opinio. ab ea eſt enim [b] ipſe, propter pellicatus ſuſpicionem, interfectus. Nec verò vlla vis imperij tanta eſt, quæ, premente metu, poſſit eſſe diuturna. Teſtis eſt Phalaris, cuius eſt præter cęteros nobilitata crudelitas: qui non ex inſidijs interijt, vt is quem modò dixi, Alexander: non à paucis, vt hic noſter: ſed in quem vniuerſa Agrigentinorum multitudo impetum fecit. Quid? Macedones nónne Demetrium reliquerunt, vniuerſiq; ſe ad Pyrrhum contulerunt? Quid? Lacedæmonios iniuſtè imperanteis nónne repęte omnes ferè ſocij deſeruerunt, ſpectatoresq; ſe otioſos præbuerunt Leuctricæ calamitatis? Externa libętiùs in tali re, quàm domeſtica, recordor. verumtamen quandiu imperium populi R. beneficijs tenebatur, nõ iniurijs, bella aut pro ſocijs, aut de imperio gerebãtur: exitus erant bellorum aut mites, aut neceſſarij. Regum, populorum, nationum portus erat, [c] & refugium, ſenatus. Noſtri autem magiſtratus, imperatoresque ex vna hac re maximam laudem capere ſtudebant, ſi prouincias, ſi ſocios æquitate, & fide defendiſſent. Itaq; illud patrocinium orbis terræ verius, quàm imperium poterat nominari. Senſim hanc conſuetudinem, & diſciplinam iam antea minuebamus: poſt verò Syllæ victoriam penitus amiſimus. deſitum eſt enim videri quidquam in ſocios iniquum, cum exſtitiſſet etiam in ciueis tanta crudelitas. Ergo in illo ſecuta eſt honeſtam cauſam non honeſta victoria. eſt enim auſus dicere, haſta poſita, cum bona in foro venderet & bonorum virorum, [d] & locupletum, & certè ciuium, prædam ſuam ſe vendere. ſecutus eſt, qui in cauſa impia, victoria etiam fœdiore, non [e] ſolum ſingulorum ciuium bona publicaret, ſed vniuerſas prouincias, regionesque [11] vno calamitatis genere comprehenderet. Itaque, vexatis, & perditis exteris nationibus, ad exemplum amiſſi imperij portari in triumpho

a *L. & ſtigmatiam put.*
b *L. ipſa, & ita q.v.c.*
c *L. & perfugium.*
d *L. & locupletium.*
e *vox, ſolum abeſt à v.c.*

Massiliam vidimus, & ex ea vrbe triumphari, sine qua nũquam nostri imperatores ex trãsalpinis bellis triumpharũt. multa præterea commemorarem nefaria in socios, si hoc vno sol quidquam vidisset indignius. Iure igitur plectimur. nisi enim [a] multorum impunita scelera tulissemus, numquam ad vnum tanta peruenisset licentia: à quo quidem rei familiaris, ad paucos: cupiditatum, ad multos improbos venit hæreditas. Nec verò vnquam bellorum ciuilium semen, & causa deerit, dum homines perditi hastam illam cruẽtam & meminerint, & sperabũt. quam P. Sylla cùm vibrasset, dictatore propinquo suo: idem sexto, [b] & tricesimo anno post à scelera tiore hasta [c] eadem non recessit. alter autem, qui in illa dictatura scriba fuerat, in hac fuit quæstor vrbanus. Ex quo debet intelligi, talibus præmijs propositis, numquam defutura bella ciuilia. Itaque parietes vrbis modò stant, & manent, ijsque ipsi iam extrema scelera metuentes: rem verò publicam penitus amisimus: atque in has cladeis incidimus (redeũdum est enim ad propositum) dum metui, quàm cari esse, & diligi maluimus. Quæ si populo R. iniustè imperanti accidere potuerunt, quid debent putare singuli? quod cùm perspicuum sit, beneuolentiæ vim esse magnam, metus imbecillam: sequitur, vt differamus, quibus rebus possimus facillimè eam, quàm volumus, adipisci cum honore, & fide caritatem. Sed ea non pariter omnes egemus, nam ad cuiusque vitam instituendam accommodãdum est, à multísne opus sit, an satis à paucis diligi. Certum igitur hoc sit, idque & primum, & maximè necessarium familiaritates habere fides amãtium nos amicorum, & nostra mirantium. hæc enim est vna res prorsus, vt non differat multùm inter summos, & mediocreis viros [d] eáque vtrisque propemodum comparanda. Honore, & gloria, & beneuolentia ciuium fortasse non æquè omnes egent, sed tamen sicui hæc suppetunt, adiuuant, ali-

quantum

a *al. multorum impunitates scelerũ tul.*

b *q.v.c. non habent hic copulationẽ &.*

c *vox eadẽ, non reperitur in libris manuscr.*

d *L. eáq; vtrisq; est pr.*

quantum [c] tum ad cætera, tum ad amicitias comparãdas. Sed de amicitia alio libro dictũ eſt, qui inſcribitur Lælius. Nũc dicamus de gloria quãquam ea quoq; de re duo ſunt noſtri libri: ſed attingamus, quandoquidem ea in rebus maioribus adminiſtrandis adiuuat plurimum.

c *Lælium ad.*

*Tribus maximè adduci multitudinem, vt honore dignum aliquem ducat: benuolentia, fide, & admiratione.*

SVMMA igitur, & perfecta gloria cõſtat ex tribus his: ſi diligit multitudo: ſi fidem habet: ſi cum admiratione quadam honore [a] nos dignos putat. Hæc autem ſi eſt ſimpliciter, breuiterque dicendum, quibus rebus pariuntur à ſingulis, eiſdem ferè á multitudine. Sed eſt alius quidam aditus ad multitudinem, vt in vniuerſorum animos tanquam influere poſſimus.

a *nos, abeſt à v.c.*

*Quæ res homini multitudinis benevolentiam concilient.*

AC primùm de illis tribus, quæ antè dixi [12 b] benuolentiæ præcepta, videamus: quæ quidem beneficijs capitur maximè: ſecũdo autem loco benefica voluntate [c] beneuolentia mouetur, etiam ſi res fortè non ſuppetit. vehementer autem amor multitudinis commouetur ipſa fama, & opinione liberalitatis, beneficentiæ, iuſtitiæ, fidei, omniumq; earum virtutum, quæ pertinent ad manſuetudinem morum, ac facilitatem. Etenim illud ipſum, quod decorum, honeſtumq; diximus, quia per ſe nobis placet, animosque omnium natura, & ſpecie ſua commouet, maximeq; quaſi perlucet ex eis, quas commemoraui, virtutibus: idcirco illos in quibus eas virtutes eſſe remur, à natura ipſa diligere cogimur. Atque hæ quidem ſunt cauſæ diligendi grauiſſimę: poſſunt enim præterea nonnullæ eſſe leuiores.

b *fort. benevolentia multitudinis præcepta, v.*
c *vocem, benevolẽtia, hic delet L.*

*Quibus rebus efficiatur, vt nobis habeatur fides.*

FIDES, autem vt habeatur, duabus rebus effici poteſt. ſi exiſtimabimur adepti cõiũctam cum iuſtitia prudentiam. nam & ijs fidem habemus, quos plus intelligere, quàm nos, arbitramur, quosque & futura pro-

ſpicere credimus,& cùm res agatur,in diſcrimenq; vẽtum ſit expedire rem, & conſilium ex tempore capere poſſe. hanc enim omnes exiſtimant vtilem, verámque prudentiam. Iuſtis autem, & fidis hominibus, [a] id eſt, bonis,ita fides habetur, vt nulla ſit in his fraudis, iniurięq; ſuſpicio.Itaque his ſalutem noſtram,his fortunas, his liberos rectiſſimè committi arbitramur.Harũ igitur duarum ad fidem faciendam iuſtitia plus pollet:quippe cùm ea ſine prudentia ſatis habeat auctoritatis,prudẽtia ſine iuſtitia nihil valeat ad faciendam fidem. quo enim quis verſutior,& callidior eſt,hoc inuiſior,& ſuſpectior, detracta opinione probitatis. Quamobrẽ intelligẽtię iuſtitia coniuncta,quantũ volet,habebit ad faciẽdam fidem virium. iuſtitia ſine prudẽtia multũ poterit: ſine iuſtitia nihil valebit prudẽtia.Sed,ne quis ſit admiratus,cur,cùm inter omneis philoſophos cõſtet,à meq; ipſo ſæpe diſputatum ſit,qui vnam haberet,omneis habere virtutes:nunc ita ſeiungam,quaſi poſſit quiſquam, qui non idẽ prudens ſit,iuſtus eſſe: alia eſt illa,cùm veritas ipſa limatur in diſputatione,ſubtilitas:alia,cùm ad opinionem communem omnis accommodatur oratio. Quamobrem,vt vulgus, ita nos hoc loco loquimur, vt alios forteis, alios bonos viros, alios prudenteis dicamus. Popularibus enim verbis eſt agendum,& vſitatis, [b] cùm loquimur de opinione populari,idq; eodẽ modo fecit Panætius. Sed ad propoſitum reuertamur.

[a] *v.c. id eſt, viros bonos.*

[b] *al. cùm loquimur.*

*Quæ res multitudinis admirationem moueat. quæ contrà contemptum.*

ERAT igitur ex tribus,quæ ad gloriã pertinent,hoc tertium,vt cum admiratione hominum,honore ab ijs digni iudicaremur. Admirantur igitur communiter illi quidem omnia, quæ magna, & præter opinionem ſuam animaduerterũt:ſeparatim autẽ in ſingulis,ſi perſpiciũt nec opinata quædam bona. itaque eos viros ſuſpiciunt, maximisq; efferunt laudibus,in quibus exiſtimant

mant ſe excelléteis quaſdã, & ſingulareis virtuteis perſpicere: diſpiciunt autem eos, & contemnunt, in quibus nihil virtutis, nihil animi, nihil neruorum putant. non enim omneis eos contemnunt, de quibus malè exiſtimant. nam quos improbos, maledicos, fraudulétos putant, & ad faciendã iniuriã inſtructos, eos haud cõtemnũt quidẽ, ſed de his male exiſtimãt. Quamobrem, (vt antè dixi) contemnũtur ij, qui nec ſibi, nec alteri [a] proſunt, vt dicitur, in quibus nullus labor, nulla induſtria, nulla cura eſt. [14] [b] Admiratione quadã verò afficiuntur ij, qui anteire ceteros virtute putãtur, & cùm omni carere dedecore, tùm verò ijs vitijs, quibus alij nõ facilè poſſunt obſiſtere. nam & voluptates blandiſſimæ dominæ, ſæpe maiores parteis [c] animæ à virtute detorquẽt: & dolorũ cùm admouentur faces, præter modum pleriq; exterrentur: vita, mors, diuitiæ, paupertas, omneis homines vehemẽtiſſimè permouẽt. Quæ qui in vtramque partem excelſo animo, magnoq; deſpiciunt, cúmque aliqua his ampla, & honeſta res obiecta eſt, totos ad ſe conuertit, & rapit, tùm quis non admiretur ſplendorem, pulchritudinemque virtutis? Ergo & hæc animi deſpicientia admirabilitatem magnam facit: & maximè iuſtitia: ex qua vna virtute viri boni appellantur, mirifica quædam [d] res multitudini videtur: nec iniuria: nemo enim iuſtus eſſe poteſt, qui mortem, qui doloré, qui exilium, qui egeſtatẽ timet, aut qui ea, quæ his ſunt cõtraria, æquitati anteponit, maximeq; admirantur eum, qui pecunia non mouetur: quod in quo viro perſpectũ ſit, [15] [e] hunc dignum ſpectatu arbitrãtur. Itaq; illa tria, quæ propoſita ſunt ad gloriam, omnia iuſtitia cõficit, & beneuolẽtiam, quòd prodeſſe vult plurimis: & ob eandem cauſam fidem, & admirationẽ, quòd eas res ſpernit, & negligit, ad quas pleriq; inflammati auiditate rapiuntur. Ac mea quidem ſententia omnis ratio, & inſtitutio vitæ adiumenta hominum deſiderat: in primisq;,

a *verbũ, proſunt, nullo in cod. manuſcr. reperitur.*

b *L. Admiratione autẽ afficiuntur ij.*

c *L. animi.*

d *vox, res non reperitur in v.c.*

e *L. hunc tãquã igni ſpectatum.*

vt habeas, quibus cum possis familiareis conferre sermones: quod est difficile, nisi speciem præ te boni viri feras. Ergo etiam solitario homini, atque in agro vitam agenti, opinio iustitiæ necessaria est: eóq; etiam magis, quòd si eam non habebunt, iniusti habebuntur: nullis præsidijs septi, multis afficientur iniurijs. Atq; ijs etiã, qui vendunt, emunt, conducunt, locant, cõtrahendisq; negotijs implicãtur, [16] iustitia ad rem gerendam necessaria est. cuius tanta vis est, [a] vt nec illi quidem qui maleficio, & scelere pascuntur, possint sine vlla particula iustitiæ viuere. nam qui eorum cuipiam, qui vnà latrocinãtur, furatur aliquid, aut clam eripit, is sibi ne in latrocinio quidem relinquit locum: ille autem, qui archipirata dicitur, nisi æquabiliter prædam dispertiat, [b] aut occidetur à socijs, aut relinquetur. quinetiam leges latronum esse dicuntur, quibus pareant, quas obseruent. Itaque propter æquabilem prædæ [c] portionem, & Bargulus Illyrius latro, de quo est apud Theopompũ, magnas opes habuit: & multo maiores Viriatus Lusitanus: cui quidem etiam exercitus nostri, imperatoresq; cesserunt: quem C. Lælius, is, qui sapiens vsurpatur, prætor fregit, & comminuit: ferocitatemq́ue eius ita repressit, vt facile bellum reliquis traderet. Cùm igitur tanta vis iustitiæ sit, vt ea etiam latronum opes firmet, atque augeat, quantam eius vim inter leges, [d] & iudicia, & instituta reip. fore putamus? Mihi quidem nõ apud Medos solùm, vt ait Herodotus, sed etiã apud maiores nostros, seruãdæ iustitiæ causa vidẽtur olim bene morati reges constituti. Nam cùm premeretur initio multitudo ab ijs, qui maiores opes habebant: ad vnum aliquem cõfugiebant, virtute præstantem: qui cùm prohiberet iniuria tenuiores, æquitate constituenda [17] summos cum infimis pari iure retinebat. Eademq́; constituendarum legum fuit causa, quæ regum. Ius enim semper quæsitũ est æquabile. neq; enim aliter esset ius. id si ab vno iusto,

a *L. vt ne illi quidem.*

b *v. c. aut interficiatur à socijs, aut relinquatur.*

c *L. partitionem.*

d *L. & iudicia, & instituta rep. f.*

&

& bono viro consequebãtur, eo erant contenti. cùm id minùs cõtingeret, leges sunt inuentæ quæ cum omnibus semper vna, atque eadem voce loquerentur. Ergo hoc quidem perspicuum est, eos ad imperãdum deligi solitos, quorum de iustitia magna esset opinio multitudinis. [a] Adiũcto verò hoc, vt ijdem etiam prudẽtes haberentur, nihil erat, quod homines his auctoribus non posse cõsequi se arbitrarentur. Omni igitur ratione colenda, & retinẽda iustitia est, tum ipsa propter sese: nam aliter iustitia non esset: tum propter amplificationẽ honoris, & gloriæ. Sed vt pecuniæ quærẽdæ nõ solùm ratio est, sed etiã collocandæ quæ perpetuos sumtus suppeditet, nec solùm necessarios, sed etiã liberaleis: [18] [b] sic gloria & quærenda, & collocanda ratione est. Quamquam prẽclarè Socrates, hanc viam ad gloriam proximam, & quasi compendiariã dicebat esse, siquis id ageret, vt, qualis haberi vellet, talis esset. Quòd siqui simulatione, & inani ostentatione, & ficto nõ modò sermone: sed etiam vultu, stabilem se gloriam consequi posse rentur, vehemẽter errant. Vera gloria radices agit, atq; etiam propagatur: ficta omnia celeriter, tanquã flosculi, decidunt, nec simulatum potest quidquam esse diuturnum. Testes sunt permulti in vtramq; partem: sed breuitatis causa, familia erimus contenti vna. [c] Tiberius enim Gracchus, Publij filius, tamdiu laudabitur, dum memoria rerum Romanarum manebit. at eius filij, nec viui probabãtur à bonis, [19] [d] & mortui obtinent nomen iure cæsorum. Qui igitur adipisci veram gloriam volet, iustitię fungatur officijs ea quę essent, dictũ est libro superiore. Sed vt facillimè quales simus, tales esse videamur, etsi in eo ipso vis maxima est, vt simus ij, qui haberi velimus, tamẽ quædam præcepta danda sunt. nam siquis ab ineunte ætate habet causam celebritatis, & nominis, aut à patre acceptam, (quod tibi, mi Cicero, arbitror contigisse) aut aliquo casu, atq; fortuna: in hunc

a *L. adiuncto verò, vt ijdẽ.*

b *al. sic gloriæ & quærẽdæ, & collocandæ ratio est.*

c *L. Ti. enim Gracchus. P. F.*

d *v. c. & mortui, numerum obtin. &c.*

oculi omnium conijciuntur, atque in eo, quid agat, quemadmodum viuat, [a] inquiritur: & tanquam in clarissima luce versetur, ita nullum obscurum potest nec dictum eius esse, nec factum. Quorum autem prima ætas propter humilitatem, & obscuritatem in hominum ignoratione versatur: hi simul ac iuuenes esse cœperunt, magna spectare, & ad ea rectis studijs debẽt contendere: quod eo firmiore animo facient, quia non modò non inuidetur illi ætati, verùm etiam fauetur.

a L. anquiritur.

*Adolescentes quibus rebus populo primùm commendantur.*

PRIMA igitur est adolescenti commendatio ad gloriã, siqua ex bellicis rebus comparari potest: in qua multi apud maiores nostros exstiterunt: semper enim ferè bella gerebantur. Tua autem ætas incidit in id bellum, cuius altera pars, sceleris nimiũ habuit: altera, felicitatis parum. Quo tamen in bello, cùm te Pompeius alæ alteri præfecisset, magnã laudem & à summo viro, & ab exercitu consequebare equitãdo, iaculando, omniaq́ne militari labore tolerando. atque ea quidem tua laus pariter cùm rep. cecidit. Mihi autem hæc oratio susceptа non de te est, sed de genere toto, quamobrem ad ea, quæ restãt, pergamus. Vt igitur in reliquis rebus multo maiora sunt opera animi, quam corporis: [b] sic hæ res, quas persequimur ingenio, ac ratione, grauiores sunt quàm illæ, quas viribus. Prima igitur commẽdatio proficiscitur à modestia, tum pietate in parenteis, tum in suos beneuolẽtia. Facillimè autem, & in optimã partem cognoscuntur adolescentes, qui se ad claros, & sapienteis viros, benè consulenteis reip. contulerunt: quibuscum si frequentes sunt, opinionem afferunt populo, eorum fore se similes, quos sibi ipsi delegerunt ad imitandum. P. Rutulij adolescentiam ad opinionẽ & innocentiæ, & iuris scientiæ P. Mucij commendauit domus. nam Lucius quidem Crassus, cùm esset admodũ adolescens, non aliunde mutuatus est, sed sibi [c] ipsi peperit maxi-

b al. sic ea res.

c q. v. t. ipsi.

maximam laudem ex illa accuſatione nobili, & glorioſa,&,qua ætate qui exercétur,laudibus affici ſolent: vt de Demoſthene accepimus:ea ætate L.Craſſus [a]oſtendit, ſe in foro optimè iam præmeditatum facere, quod etiam tum poterat domi cum laude meditari.Sed cùm duplex ſit ratio orationis,quarum in altera ſit ſermo:in altera, contentio: non eſt id quidem dubium, [b] quin contentio orationis plurimùm poſſit, & maiorem vim habeat ad gloriam.Ea eſt enim,quam eloquentiã dicimus.ſed tamen difficile dictu eſt,quantopere conciliet animos hominum comitas, affabilitasq́; ſermonis, Exſtant epiſtolæ Philippi ad Alexandrum, & Antipatri ad Caſſandrum, & Antigoni ad Philippum filiũ, trium prudẽtiſſimorum, (ſic enim accepimus) quibus præcipiunt, vt oratione benigna multitudinis animos ad beneuolentiam alliciant,militesq́; [20 c] blandè appellando ſermone deliniant.Quæ autẽ in multitudine cum contentione habetur oratio, [21] ea ſæpe vniuerſam excitat [d] gloriã. Magna eſt enim admiratio copioſè,ſapiẽterq́; dicentis: quem qui audiunt,intelligere etiam, & ſapere plus,quàm ceteros,arbitrantur. Si verò ineſt in oratione miſta modeſtiæ grauitas, nil admirabilius fieri poteſt,eoq́; magis,ſi ea ſunt in adoleſcẽte.Sed cùm ſint plurima cauſarum genera,quæ eloquentiam deſiderãt, multiq́; in noſtra rep. adoleſcentes & apud iudices, & apud ſenatum dicẽdo laudem aſſecuti ſint,maxima admiratio eſt in iudicijs:quorum ratio,duplex eſt.nam ex accuſatione, & defenſione cõſtat:quarum etſi laudabilior eſt defenſio,tamen etiã accuſatio probata perſæpe eſt.Dixi paullò ante de Craſſo idem fecit adoleſcẽs M. Antonius. Etiam P.Sulpicij eloquẽtiam accuſatio illuſtrauit, cùm ſeditioſum, & inutilem ciuem, C. Norbanum,in iudiciũ vocauit. Sed hoc idem non eſt ſæpe faciendũ,nec vmquã,[e] niſi aut reip.cauſa,vt duo Luculli: aut patrocinio, vt nos pro Siculis, [22 f] pro Sardis: pro

a *L. & v.c. oſtendit. id ſe in foro opt. iã facere. quod etiam t.*

b *L.quin cõtentio orationis plus poſſit, maiorẽque vim habeat & ad gratiã, & ad gloriã.*

c *L. blãdo appellãdo ſermone del.*

d *vocẽ, gloriam, non agnoſcit L.*

e *L.niſi aut reip.cauſa,vt ij, quos ante dixi, aut vlciſcendi, vt duo Luculli, aut patrocinũ, vt nos pro Siculis: pro Sardis Iulius In accuſando etiam M. Aquillio L.Eufij cogn.*

f *L pro Sardis cõtra Albutium Iulius Cæſar.*

M. Albucio Iulius Cæſar. 23. in accuſando etiam Mãlio L. Fuſij cognita induſtria eſt. Semel igitur, aut non ſæpè certè. Sin erit, cui faciẽdum ſit ſæpius, reip. tribuat hoc muneris, cuius inimicos vlciſci ſæpius, nõ eſt reprehẽdẽdum. modus tamen adſit. duri enim hominis, vel potius vix hominis videtur, periculũ capitis inferre multis. id enim cum periculoſum ipſi eſt, tum etiam ſordidũ ad famã, cõmittere, vt accuſator [a] nominetur: quod cõtigit M. Bruto, ſummo genere nato, illius filio, qui iuris ciuilis in primis peritus fuit. Atq; etiam hoc præceptũ officij diligenter tenendũ eſt, nequem vmquam innocentem iudicio capitis acceſſas: id enim ſine ſcelere fieri nullo pacto poteſt. Nam quid eſt tam inhumanũ, quàm eloquentiam, à natura ad ſalutem hominũ, & ad conſeruationem datam, ad bonorum peſtem, perniciemq; conuertere? Nec tamen vt hoc fugiendum eſt, [b] ita habẽdum eſt religioni [c] contrarium, nocẽtem aliquãdo, & nefarium impiumq; defendere. vult hoc multitudo, patitur conſuetudo, fert etiã humanitas. Iudicis eſt, ſemper in cauſis verum ſequi: patroni, nonnũquam veriſimile, etiam ſi minùs ſit verum, defendere: quod ſcribere, præſertim cùm de philoſophia ſcriberem, non auderem, niſi idem placeret grauiſſimo Stoicorum Panætio. Maximè autem & gloria paritur, & gratia defenſionibus: eoq́ue maior, ſiquando accidit, vt ei ſubueniatur, qui potentis alicuius opibus circumueniri, vrgeriq́; [d] videtur: vt nos & ſæpè alias, & adoleſcentes contra L. Syllæ dominantis opes pro Sex. Roſcio Amerino fecimus: quæ, vt ſcis, exſtat oratio.

a *L. nominare.*

b *L. item.*

c *vox, contrarium, abeſt à v. b.*

d *L. videatur.*

*Duplex liberalitatis genus, & quatenus ad conciliandam multitudinem adhibendum.*

SED, expoſitis adoleſcentium officijs, quæ valeant ad gloriam adipiſcendã, deinceps de [e] beneficentia, ac liberalitate dicendũ eſt. Cuius eſt ratio duplex. nam aut opera benignè fit indigẽtibus, aut pecunia. [f] facilior eſt

e *v. c. beneficentia.*

f *L. facilior eſt hac locupl.*

eſt hæc poſterior, locupleti præſertim: ſed illa lautior, ac ſplendidior, & viro forti, claróq; dignior. quamquã enim in vtroque ineſt gratificandi liberalis voluntas, 24 tamen altera ex arca, altera ex virtute depromitur: largitióq;, quæ fit ex re familiari, fontem ipſum benignitatis exhaurit. ita benignitate benignitas tollitur: qua quo in plureis vſus ſis, eo minùs in multos vti poſſis. At qui opera, id eſt, virtute, & induſtria benefici, & liberales erũt, primùm quo pluribus profuerint, eo plures ad benignè faciendum adiutores habebunt: deinde conſuetudine [a] beneficentiæ paratiores erunt, & tanquam exercitatiores ad bene de multis promerendum. Præclarè in epiſtola quadã Alexandrum filium Philippus accuſat, quòd largitione beneuolentiam Macedonum conſectetur. Quæ te, malùm, inquit, ratio in iſtam ſpem induxit, vt eos tibi fideleis putares fore, quos pecunia corrupiſſes? An tu id agis, vt Macedones non te regem ſuum, ſed miniſtrum & [b] præbitorem putent? 25 Bene miniſtrum, & præbitorem, quia ſordidum regi: melius etiam quòd largitionẽ corruptelam dixit eſſe. Fit enim deterior, qui accipit, atq; ad idem ſemper expectandũ paratior. Hoc ille filio: ſed præceptum putemus omnibus. Quamobrem id quidem non eſt dubium, quin illa benignitas, quæ conſtat ex opera, & induſtria, & honeſtior ſit, & latiùs pateat, & poſſit prodeſſe pluribus. nonnunquam tamen eſt largiendum, nec hoc benignitatis genus omnino repudiandum eſt. & ſæpe idoneis hominibus indigentibus, de re familiari impertiendum: ſed diligenter atq; moderatè. Multi enim patrimonia effuderunt, inconſultè largiendo. Quid autem eſt ſtultius, quàm quod libenter facias, curare, vt id diutius facere non poſſis? Atq; etiam ſequuntur largitionem rapinæ. Cùm enim dando egere [c] cœperint, alienis bonis manus afferre coguntur. ita, cùm beneuolentiæ cõparandæ cauſa benefici eſſe velint: nõ tanta ſtudia aſſequun-

a *v. c. beneficientiæ.*

b *al. diribitorem.*

c *L. cœperunt.*

tur eorum, quibus dederunt, quanta odia eorũ, quibus ademerunt. Quamobrem nec ita claudenda eſt res familiaris, vt eam benignitas aperire non poſſit: nec ita reſeranda, vt pateat omnibus. modus adhibeatur, isque referatur ad facultates. Omnino meminiſſe debemus id, quod à noſtris hominibus ſæpiſſimè vſurpatum, iam in prouerbij conſuetudinem venit, LARGITIONEM FVNDVM NON HABERE. etenim [a] quis poteſt eſſe modus, [b] cùm & ijdem qui conſueuerunt, & illud idem alij deſiderent? Omnino duo ſunt genera largorũ: quorum alteri, prodigi [c] dicuntur: alteri, liberales: prodigi, qui epulis, & viſcerationibus, & gladiatorum muneribus, ludorum, venationumque apparatu, pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut breuem, aut nullam ſint relicturi omnino. Liberales autem, qui ſuis facultatibus aut captos à prædonibus redimunt, aut æs alienum ſuſcipiunt amicorum [d] cauſa, aut in filiarum collocatione adiuuant, aut opitulantur vel in re quærenda, vel augenda. Itaque miror, quid in mentem venerit Theophraſto, in eo libro, quem de diuitijs ſcripſit: in quo multa præclarè: illud abſurdè. Eſt enim multus in laudanda magnificentia, & apparatione popularium munerum: taliumque ſumtuum, facultatem, fructum diuitiarum putat. Mihi autem ille fructus liberalitatis, cuius exempla pauca poſui, multo & maior videtur, & certior. Quanto Ariſtoteles [e] grauiùs, & veriùs nos reprehendit, qui has effuſiones pecuniarum non admiremur, quæ fiunt ad multitudinem deliniendam. At ij, qui ab hoſtibus obſidẽtur, ſi emere aquæ ſextarium mina cogerentur, hoc primò incredibile videri, omneisque mirari: [e] ſed, cùm intenderimus, veniam neceſſitati dare: in his immanibus iacturis, infinitisque ſumtibus nihil nos magnopere mirari, cùm præſertim nec neceſſitati ſubueniatur, nec dignitas augeatur, ipſaq; illa delinitio multitudinis [f] ad breue tẽpus, exiguumq; duratura

a *L. qui poteſt.*
b *L. cùm ijdem, & qui cenſuerũt, & idem illud alij deſ.*
c *verbũ, dicuntur, abeſt à v.c.*
d *vocẽ cauſa, delet L.*
e *L. ſed cùm attenderint.*
f *L. ſit ad breue, exiguumq; tempus eaq; à leuiſſ. q. in quot.*

tura ſit,eaq; à Ieuiſſimo quoq; animo: in quo tamẽ ipſo vnà cum ſacietate, memoria quoq; moriatur voluptatis Bene etiam [a]colligitur,hæc pueris,& mulierculis,& ſeruis,& ſeruorũ ſimillimis liberis eſſe grata:graui verò homini,&,ea,quæ fiunt,iudicio certo ponderanti, probari poſſe nullo modo,quãquam intelligo, in noſtra ciuitate inueteraſſe [b] iam bonis temporibus, vt ſplendor ædilitatũ ab optimis viris poſtuletur. itaq; & P.Craſſus cùm cognomine diues, tum copijs,functus eſt ædilitio maximo munere.Et paullo pòſt L.Craſſus cum omniũ hominum moderatiſſimo,Q.Mucio,magnificentiſſima ædilitate functus eſt: deinde C.Claudius, Appij filius: multi pòſt,[c] Lucullus,Hortẽſius,[d] Syllanus omneis autem P.Lentulus, me conſule, vicit ſuperiores. hunc eſt Scaurus imitatus. Magnificẽtiſſima verò noſtri Põpeij munera ſecũdo cõſulatu: in quibus omnibus quid mihi placeat,vides.Vitãda tamen eſt ſuſpicio auaritiæ. Nam Mamerco, homini [e] ditiſſimo, prætermiſſio ædilitatis cõſulatus repulſam attulit. Quare & ſi poſtulatur à populo,bonis viris ſi non deſiderantibus, attamen approbantibus, faciẽdum eſt,modò pro facultatibus, nos ipſi vt fecimus: &,ſi quando aliqua res maior,atque vtilior populari largitione acquiritur:vt Oreſti nuper prandia in ſemitis [f] decimæ nomine magno honori fuerunt.ne Marco quidẽ Seio vitio datum eſt,quòd in caritate annonæ aſſe modium populo dedit.magna enim ſe,& inueterata inuidia, nec turpi iactura,quando erat ædilis, nec maxima liberauit.Sed honori ſummo nuper noſtro Miloni fuit, quòd gladiatoribus emptis reip.cauſa,quæ ſalute noſtra cõtinebatur,omnes P.Clodij conatus,furoresq; cõpreſſit. Cauſa igitur largitionis eſt,ſi aut neceſſe eſt,aut vtile.In his autẽ ipſis mediocritatis regula optima eſt.L.quidem Philippus [g]Q.Fabij filius,magno vir ingenio, in primisq; clarus, gloriari ſolebat, ſe ſine vllo munere adeptũ eſſe omnia,quę haberẽtur ampliſ-

a *L.colligit.*

b *L.iam à bonis temp.*

c *L.Luculli.*
d *L.Sillanus.*

e *L. diuitiſſimo, & ita. v.c.*

f *L.decumæ.*

g *L.Q.F. magn.*

a *L. Dicebat idē C. Curiot.*

fima :[a] dicebat idem Cotta, Curio. Nobis quoque licet in hoc quodammodo gloriari. Nam pro amplitudine honorum, quos cunctis ſuffragijs adepti ſumus noſtro quidem anno quod cōtigit eorum nemini, quos modò nominaui, ſanè exiguus ſumptus ædilitatis fuit. Atque etiā illæ impenſæ, meliores [b]ſunt, muri, naualia, portus, aquarum ductus, omniaq́;, quæ ad vſum reip. pertinent. [c] quamquam quod præſens tanquam[d] manu datur, iucundius eſt: tamen hæc in poſterum gratiora. Theatra, porticus, noua templa, verecūdiùs reprehēdo, propter Pompeium: ſed doctiſſimi improbant, vt & hic ipſe Panætius, quem multùm in his libris ſecutus ſum, non interpretatus: & Phalereus Demetrius, qui Periclē, principem Græciæ, [e] vituperabat, quòd tantam pecuniam in præclara illa propylæa cōiecerit. Sed de hoc genere toto in ijs libris, quos de rep. ſcripſi, diligēter eſt diſputatum. Tota igitur ratio talium largitionum, genere, vitioſa eſt: temporibus, neceſſaria[f] & tum ipſa & ad facultates accommodanda, & mediocritate moderanda eſt.

b *verbum, ſunt, abeſt à v.c.*

c *fort. nam quāquam q.*

d *L. in manum d.*

e *L. vituperat.*

f *v.c. & tum ipſum, al. & tamē ipſa & ad f.*

*Priuata liberalitas in quos, & quatenus exercenda.*

IN illo autem altero genere largiendi, quod à liberalitate proficiſcitur, nō vno modo in diſparibus cauſis affecti eſſe debemus. Alia cauſa eſt eius, qui calamitate premitur, & eius, qui res meliores quærit, nullis ſuis rebus aduerſis. Propēſior benignitas eſſe [g] debebit in calamitoſos, niſi fortè erunt digni calamitate.[27] [h] in ijs tamen, qui ſe adiuuari volent, non vt ne affligantur, ſed vt ad altiorem gradum aſcendant, reſtricti omnino eſſe nullo modo debemus: ſed in diligendis idoneis iudicium, & diligentiam adhibere: Nam præclarè Ennius.

Benefacta malè locata, malefacta arbitror.

Quod autem tributū eſt bono viro & grato in eo cùm ex ipſo fructus eſt, tum etiā ex ceteris. temeritate enim remota, gratiſſima eſt liberalitas: eóque eam ſtudioſius plerique laudant, quòd ſummi cuiuſque bonitas, commune

g *al. debet.*

h *fort. in eos tamen.*

mune perfugium eſt omnium. Danda igitur opera eſt, vt hos beneficijs quàm plurimis afficiamus, quorum liberis, poſterisque prodatur memoria, vt his ingratis eſſe non liceat. omnes enim immemorem beneficij oderunt: eámque iniuriam [a] in deterrenda liberalitate ſibi etiam fieri eumque, qui faciat, communem hoſtem tenuiorum putant. Atque hæc benignitas etiam reip. vtilis eſt, redimi è ſeruitute captos, locupletari tenuiores: quod quidem vulgò ſolitum fieri ab ordine noſtro, in oratione Craſſi ſcriptũ copioſè videmus. Hanc ergo cõſuetudinem benignitatis largitioni munerum longè antepono. hæc eſt grauium hominum, atque magnorum: illa quaſi aſſentatorũ populi, multitudinis leuitatem voluptate quaſi titillantium. [b] Cõuenit autem tum in dãdo munificum eſſe, tum in exigẽdo non acerbum: in omnique re contrahenda [c] vendendo, emendo, conducẽdo, locando, in vicinitatibus, & confinijs, æquum, & facilem, multa multis de iure ſuo [d] cõcedentẽ: à litibus verò, quãtum liceat, & neſcio an paullò plus etiam quàm liceat abhorrẽtem. Eſt enim non modò liberale, paullum nonnunquam de ſuo iure decedere, ſed interdum etiam fructuoſum. Habẽda autem eſt ratio rei familiaris, quam quidem dilabi ſinere, flagitioſum eſt: ſed ita, vt illiberalitatis, auaritiæ q; abſit ſuſpicio. Poſſe enim liberalitate vti, non ſpoliantem ſe patrimonio, [e] nimirũ eſt pecuniæ fructus maximus. Rectè etiam à Theophraſto eſt laudata hoſpitalitas. eſt enim (vt mihi quidem videtur) valde decorum, patẽre domos hominum illuſtrium illuſtribus hoſpitibus: idque etiam reip. eſt ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere in vrbe noſtra non egere. [f] Eſt etiam vehementer vtile ijs, qui honeſtè poſſe [g] multa volunt, per hoſpites apud externos populos valere opibus, & gratia. Theophraſtus quidem ſcribit, Cimonem [h] Athenis etiam in ſuos curiales Laciadas hoſpitalẽ fuiſſe. ita enim inſtituiſſe,

a *al. in deterrẽdo à liberal.*

b *L. conueniet autem cum.*

c *al. emendo, vendendo.*

d *v. c. cedẽtem.*

e *L. ii eſt nimirum pec.*

f *L. eſt aut etiam veh.*

g *L. multum vol.*

h *fort. Athenienſem.*

& villicis imperauiſſe, vt omnia præberentur, quicumque Laciades in villam ſuam [a] diuertiſſet.

a *L. deuerſiſſet.*

*In altero beneficentiæ genere, quod operis conſtat, multùm valere iuris prudentiam, longè plurimum eloquentiam.*

b *L. cùm.*

QVAE autem opera, nõ largitione, beneficia dãtur, hæc[b] tum in vniuerſam remp. tum in ſingulos ciueis cõferuntur. nam in iure cauere, conſilio iuuare, atq; hoc ſcientiæ genere prodeſſe quàm plurimis, vehementer & ad opes augendas pertinet, & ad gratiam. Itaq; cùm multa præclara maiorum, tum quòd optimè conſtituti iuris ciuilis ſummo ſemper in honore fuit cognitio, atq; interpretatio: quam quidem ante hanc cõfuſionem temporum in poſſeſſione ſua principes retinuerunt: nunc vt honores, vt omnes dignitatis gradus, ſic huius ſcientiæ ſplẽdor deletus eſt: idq; eo indignius, quòd eo tempore [c] contigit, [28] cùm is eſſet, qui omneis ſuperiores, quibus honore par eſſet, ſcientia facilè viciſſet. Hæc igitur opera, grata multis, & ad beneficijs [d] adſtrigendos homines accommodata. Atq; huic arti finitima eſt dicendi grauior facultas, & gratior, & ornatior. Quid enim eloquentia præſtabilius, vel admiratione audientium, vel ſpe indigentiũ, vel eorum, qui defenſi ſunt, gratia? huic quoque ergo à maioribus noſtris eſt [e] in tota dignitate principatus datus. Diſerti igitur hominis, & facilè laborantis, quodq; in patrijs eſt moribus, multorum cauſas, & non grauatè, & gratuitò defendẽtis, beneficia, & patrocinia latè patent. Admonebat me res, vt hoc quoq; loco intermiſſionẽ eloquẽtiæ, ne dicam interitum, deplorarem: niſi vererer, ne [f] de meipſo aliquid viderer queri. Sed tamen videmus, quibus exſtinctis oratoribus, quàm in paucis ſpes, quanto in paucioribus facultas, quã in multis ſit audacia. Cùm autem omnes non poſſint, ne multi quidẽ, aut iuriſperiti eſſe, aut diſerti: licet tamen opera prodeſſe multis beneficia petentem, commendantem iudicibus, & magiſtratibus,

c *L. hoc contigit.*

d *L. obſtringendos hom.*

e *L. in toga dignitatis princ. & ita v. c.*

f *L. de me ipſe.*

giſtratibus,vigilantem pro re alterius,eos ipſos,qui aut conſuluntur, aut defendunt rogantem: quod qui faciunt, plurimum gratiæ conſequuntur, latiſſimeq; eorum manat induſtria. Iam illud non ſunt admonẽdi (eſt enim in promptu) vt animaduertant, cùm alios iuuare velint, ne quos offendant. ſæpe enim aut eos lædunt, quos non debent: aut eos,quos non expedit. ſi imprudentes,negligentiæ eſt: ſi ſcientes, temeritatis. [a] Vtendum eſt excuſatione aduerſus eos, quos inuitus offendas, quacumque poſſis, quare id quod feceris, neceſſe fuerit,nec aliter facere potueris: [b] certiſque operis, & officijs erit, quod violatum eſt,compenſandum.

a *L. vtendum eſt autẽ etiam exc.*

b *L. cæteriq;*

*Operam apud tenues,& bonos rectiùs,quàm apud locupletes collocari. Nulli tamen niſi iuſta in re præſtandam eſſe.*

SED cùm in hominibus iuuãdis aut mores ſpectari, aut fortuna ſoleat:dictu quidem eſt procliue.itaque vulgò loquuntur,ſe in beneficijs collocãdis mores hominum,nõ fortunam ſequi.honeſta oratio eſt. ſed quis eſt tãdem,qui inopis,& optimi viri cauſæ non anteponat,in opera dãda,gratiam fortunati,& potentis? à quo enim expeditior, & celerior remuneratio fore videtur, in eum ferè eſt voluntas noſtra propẽſior. Sed animaduertendum eſt diligẽtius, quæ natura rerum ſit. nimirũ enim inops ille,ſi bonus eſt vir,etiam ſi referre gratiam non poteſt, habere certè poteſt. [29] Commodè autem, quicũque dixit, PECVNIAM QVI HABEAT, NON REDDIDISSE: qui reddiderit, non habere: gratiam autem & qui [c] retulerit, habere: & qui habeat, [d] retuliſſe. At, qui ſe locupleteis, honoratos, & beatos putant, hi ne obligari quidem beneficio volunt. quinetiam beneficium ſe dediſſe arbitrantur, cum ipſi, quamuis aliquod magnum acceperint: [e] æquè etiam à ſe aut poſtulari,aut exſpectari aliquid ſuſpicantur: patrocinio verò ſe vſos, & clienteis appellari, mortis inſtar putãt. At verò ille tenuis,cum,quidquid factum ſit,ſe ſpe-

c *q.v.c.reddiderit.*

d *q.v.c.reddidiſſe.*

e *L. atque etiam.*

ctatum,nõ fortunam putet, non modò illi,qui eſt meritus,ſed etiam illis,à quibus exſpectat (eget enim multis) gratum ſe videri ſtudet.neq; enim verbis auget ſuũ munus,ſi quo fortè, fungitur, ſed etiam extenuat. [a] Videndumq́; illud eſt, quod ſi opulentum, fortunatumq́; defenderis, in illo vno, aut fortè in liberis eius manet gratia.ſin autem inopem,probum tamen,& modeſtum: omnes non improbi humiles (quæ magna in populo multitudo eſt) præſidium ſibi paratum vident. Quamobrẽ melius apud bonos,quàm apud fortunatos,beneficium collocari puto.Dãda omnino opera eſt,vt omni generi ſatisfacere poſſimus.ſed ſi res in contentionem veniet,nimirũ Themiſtocles eſt auctor adhibẽdus, qui cùm conſuleretur,vtrùm bono viro pauperi, an minus probato diuiti filiam collocaret:Ego verò,inquit,malo virum,qui pecunia egeat,quàm pecuniã,quæ viro. Sed corrupti mores, deprauatiq́; ſunt admiratione diuitiarum:quarũ magnitudo quid ad vnumquemq́; noſtrũm pertinet? Illum fortaſſe adiuuat, qui habet:ne id quidẽ ſemper.ſed fac iuuare: [30] [b] potentior ſanè ſit:honeſtior verò quomodo? Quod ſi etiam bonus erit vir,ne impediãt diuitiæ,quo minùs iuuetur,modò ne adiuuẽt: vtq́; omne iudiciũ,non quàm locuples, ſed qualis quiſq; ſit. Extremũ autem præceptũ in beneficijs, operaq́; dãda eſt,ne-quid cõtra æquitatẽ contẽdas,ne-quid [c] per iniuriam:fundamentũ enim perpetuæ commendationis, & famæ,eſt iuſtitia,ſine qua nihil poteſt eſſe laudabile.

*Liberalitas in vniuerſam multitudinem modicè exercenda,exactiones non niſi in iuſta neceſſitudine.*

SED quoniam de eo genere beneficiorum dictũ eſt, quæ ad ſingulos ſpectãt deinceps de ijs,quę ad vniuerſos, quæq́; ad remp.pertinent,diſputãdũ eſt. [31] Eorum autẽ ipſorum partim eiuſmodi ſunt, vt ad vniuerſos ciueis pertineant,partim ſingulos vt attingant,quæ ſunt etiã gratiora.danda eſt opera omnino,ſi poſſit,[d] vtriſ-

a *L. videndũ quoque illud.*

b *L. opulentior ſanè ſit.*

c *L. pro iniuria, & ita v.c.*

d *L. vt vtriſq́.*

triſque,nec minus,vt etiam ſingulis conſulatur: ſed ita, vt ea res aut proſit,aut certè non obſit reip. C.Gracchi frumentaria magna largitio fuit: exhauriebat igitur ærarium: modica M.Octauij, & reip. tolerabilis & plebi neceſſaria,ergo & ciuibus & reip.ſalutaris.In primis autem videndum erit ei,qui remp. adminiſtrabit,vt ſuum quiſque teneat, neque de bonis priuatorũ publicè [a] diminutio fiat. perniciosè enim Philippus in tribunatu, cùm legem agrariam ferret,quam tamẽ antiquari facilè paſſus eſt, & in eo vehementer ſe moderatum præbuit:ſed cũ in agẽdo multa populariter,tum illud malè: nõ eſſe in ciuitate duo millia hominum,qui rem haberent.Capitalis [b] omnino oratio,& ad æquationẽ bonorum pertinens:qua peſte quæ poteſt eſſe maior? Hanc enim ob cauſam maximè, vt ſua tenerẽtur,reſp. ciuitatesque conſtitutæ ſunt.Nam etſi duce natura cõgregabantur homines,tamen ſpe cuſtodiæ rerum ſuarum,vrbium præſidia quærebant. Danda etiam opera eſt, ne (quod apud maiores noſtros ſæpe fiebat,propter ærarij tenuitatem,aſſiduitatemque bellorum)tributum ſit cõferendum:idque ne eueniat,multò antè erit prouidendum. ſin qua neceſſitas huius muneris alicui reip. obuenerit: ([32] malo enim [c] alteri, quàm noſtræ ominari, neque tantum de noſtra,ſed de omni rep.diſputo) danda erit opera, vt omnes intelligant, (ſi ſalui eſſe velint) neceſſitati eſſe parendum.atque etiã omnes,qui remp. gubernabunt,conſulere debebunt,vt earum rerum copia ſit,quæ ſunt neceſſariæ.quarum qualis comparatio fieri ſoleat,& debeat,nõ eſt neceſſe diſputare. eſt enim in promptu: tantum locus attingendus fuit.

a *Deminutio f.*

b *vox,omnino, non comparet in v.c.*

c *al. alienę, Lalij.*

*Ad gratiam multitudinis comparandam maximè valere abſtinentiam,contraq; ex inuaſione alieni ſummam exiſtere perniciem.*

CAPVT autem eſt in omni procuratione negotij,& muneris publici, vt auaritiæ pellatur etiã minima ſuſpicio.Vtinam,inquit C.Pontius Samnis, ad illa tem-

pora [a] fortuna me ſeruaſſet,& tunc eſſem natus,quãdo Romani dona accipere cœpiſſent.nõ eſſem paſſus diutiùs eos imperare. 33 [b]Ne illi quidem multa ſæcula exſpectanda fuerunt.modò enim hoc malũ in hanc remp. inuaſit. itaque facilè patior nũc potiùs Pontium fuiſſe, ſi quidem in illo tãtum fuit roboris. Nondum centum, & decem anni ſunt, cum de pecunijs repetũdis à L. Piſone lata eſt lex,nulla anteà cũ fuiſſet. At verò poſteà tot leges,& proximæ quæq; duriores: tot rei,tot damnati,tantum Italicum bellum propter iudiciorum metũ excitatum: tanta,ſublatis legibus, & iudicijs,expilatio, direptioq; ſociorum,vt imbecillitate aliorum, non noſtra virtute valeamus.Laudat Africanũ Panætius,quòd fuerit abſtinẽs. Quid ni laudet? Sed in illo alia maiora. Laus enim abſtinẽtiæ,nõ hominis eſt ſolum, ſed etiam temporum illorum. Omni Macedonum gaza, quæ fuit maxima,potitus eſt Paullus: tantum in ærarium pecunię inuexit,vt vnius imperatoris præda finem attulerit tributorum: at hic nihil in domum ſuam intulit,præter memoriam nominis ſempiternam. Imitatus patrem Africanus,nihilo locupletior,Karthagine euerſa. Quid? qui eius collega in cenſura fuit L. Mummius,numquid copioſior,cum copioſiſſimam vrbẽ funditus ſuſtuliſſet? Italiam ornare,quàm domum ſuam,maluit. Quãquam Italia ornata, domus ipſa mihi videtur ornatior. Nullũ igitur vitiũ tetrius,(vt eò vndè [c]egreſſa eſt,referat ſe oratio,)quàm auaritia,præſertim in principibus,& remp. gubernantibus.habere enim quæſtui remp. non modò turpe eſt,ſed ſceleratum etiam,& nefarium.Itaq; quod Apollo Pythius [d]oraculo edidit,Spartam nulla re alia, niſi auaritia eſſe perituram,id videtur non ſolum Lacedæmonijs, ſed & omnibus opulẽtis populis prædixiſſe. Nulla autem re cõciliare facilius beneuolentiam multitudinis poſſunt ij,qui reip. præſunt,quàm abſtinentia, & continentia. Qui verò populares eſſe volunt, ob eamque

a *L. me fortuna reſeruaſſet.*

b *L. Næ vlli multa ſæcula.*

c *L. digreſſa eſt.*

d *L. oraculum edidit.*

eamque cauſam aut agrariam rem tentant: vt poſſeſſores ſuis ſedibus pellãtur: aut pecunias creditas debitoribus condonandas putant, ij labefactant fundamenta reip concordiam primùm[a] tollunt, quæ eſſe non poteſt cùm alijs adimuntur, alijs cõdonantur pecuniæ: deinde æquitatem, quæ tollitur omnis, ſi habere ſuum cuique non licet. id enim eſt proprium, (vt ſupra dixi,) ciuitatis, atque vrbis, vt ſit libera, & non ſolicita ſuæ rei cuiuſque cuſtodia. Atque in hac pernicie reip. ne illam quidem conſequuntur, quam putant, gratiam. nam cui res erepta eſt, eſt inimicus: [b] cui data, etiam diſſimulat ſe accipere voluiſſe: & maximè in pecunijs creditis occultat ſuum gaudium, ne videatur non fuiſſe ſoluendo. At verò ille, qui accipit iniuriam, & meminit, & præ ſe fert dolorem ſuum: nec, ſi plures ſunt ij, quibus improbè datum eſt, quàm illi, quibus iniuſtè ademtũ eſt, idcirco plus etiam valent. Non enim numero hæc iudicantur, ſed pondere. Quam autem habet æquitatem, vt agrum multis annis, aut etiam ſæculis antè poſſeſſum, qui nullum habuit, habeat: qui autem habuit, amittat? Ac propter hoc iniurię genus Lacædęmonij Lyſandrũ Ephorum expulerunt: Agin regem (quod numquam antea apud eos acciderat) necauerunt: ex coque tempore tantæ diſcordiæ ſecutæ ſunt, vt & tyranni exſiſterent, & optimates exterminarentur, & præclariſſimè conſtituta reſp. dilaberetur. nec verò ſolùm ipſa cecidit, ſed etiam reliquam Græciam euertit contagionibus malorum, quæ à Lacedæmonijs profectæ, manarunt latiùs. Quid? noſtros Gracchos, ſi Gracchi, ſummi viri, filios, Africani nepotes, nónne agrariæ contentiones perdiderunt? At verò Aratus Sicyonius iure laudatur, qui cùm eius ciuitas quinquaginta annos à tyrannis teneretur, profectus [c] Argis Sicyonẽ, clandeſtino introitu [d] vrbe eſt potitus. Cumq; tyrannũ [e] Nicoclẽ improuiſò oppreſſiſſet, ſex centos exſules, qui fuerãt eius ciuita-

a *verbũ, tollunt, delet L.*

b *al. cui data eſt.*

c *al. ab Argis.*

d *L. vrbem eſt pot.*

e *al. Mitodaum.*

tis locupletiſſimi,reſtituit, remque p.aduentu ſuo liberauit. Sed cùm magnam animaduerteret in bonis, & poſſeſſionibus difficultatem, quòd & eos quos ipſe reſtituerat, quorũ bona alij poſſederant, egere iniquiſſimum arbitrabatur, & quinquaginta annorũ poſſeſſiones mouere non nimis æquũ putabat, propterea quòd tam lõgo ſpatio multa hæreditatibus, multa emptionibus, multa dotibus tenebantur ſine iniuria: iudicauit, neq; illis adimi,neque his non ſatisfieri,quorũ illa fuerant oportere. Cùm igitur ſtatuiſſet, opus eſſe ad eam rem conſtituẽdã pecunia,Alexandriã ſe proficiſci velle dixit,remq; integram ad reditum ſuum iuſſit eſſe:iſque celeriter ad Ptolemæum, ſuum hoſpitẽ venit, qui tùm regnabat alter poſt Alexandriã cõditam: cui cùm expoſuiſſet, patriam ſe liberare velle,cauſamque docuiſſet: â rege opulento vir ſummus facilè impetrauit, vt grandi pecunia adiuuaretur. Quam cùm Sycionem attuliſſet, [a] adhibuit ſibi in conſiliũ quindecim principes, cum quibus cauſas cognouit & eorum, qui aliena [b] detinebant,& eorum,qui ſua amiſerant: perfecitque æſtimandis poſſeſſionibus, vt perſuaderet alijs, vt pecuniã accipere mallent, & poſſeſſionibus cederẽt:alijs, vt cõmodius putarent numerari ſibi quod tanti eſſet, quàm ſuum recuperare.Ita perfectum eſt,vt omnes conſtituta concordia ſine querela diſcederent. O virum magnum,dignumq; qui in noſtra rep. natus eſſet! Sic par eſt agere cum ciuibus,non, vt bis iam vidimus, haſtam in foro ponere, & bona ciuiũ voci ſubijcere præconis. At ille Græcus(id quod fuit ſapientis,& præſtãtis viri) omnibus conſulendum putauit:eaque eſt ſumma ratio, & ſapientia boni ciuis, [c] commoda ciuium defendere, non diuellere,atq; omneis æquitate eadem continere: [d]Habitant gratis in alieno. Quid ita?Vt,cùm ego emerim,ædificarim, tuear, impendam, tu,me inuito,fruare meo? [e] Quid eſt aliud,quàm alijs ſua eripere,alijs dare aliena?

a *L.adhibuit in conſilium.*
b *L.tenebãt.*
c *L commoda ciuium nõ diuellere.*
d *L.Habitẽt gratis in alieno?*
e *L.Quid eſt aliud alijs ſua eripere,alijs.*

aliena ? Tabulæ verò nouæ quid habent argumenti, niſi vt emas mea pecunia fundum : eum tu habeas,ego non habeam pecuniam ? Quamobrem ne ſit æs alienũ, quod reip. noceat, prouidendum eſt : quod multis rationibus caueri poteſt: [a] ſi hoc non fuerit,vt locupletes ſuum perdant, debitores lucrentur alienum. nec enim vlla res vehementiùs remp.continet,quàm fides : quæ eſſe nulla poteſt, niſi erit neceſſaria ſolutio rerũ creditarum. Numquam enim vehementiùs actum eſt,quàm me conſule, [b] ne ſoluerentur, armis, & caſtris tentata res eſt ab omni genere hominum,& ordine : quibus ſic reſtiti, vt hoc tantum malum de rep. tolleretur. numquam nec maius æs alienum fuit : nec meliùs,nec faciliùs diſſolutum eſt. fraudãdi enim ſpe ſublata,ſoluendi neceſſitas conſecuta eſt. [36] At verò hic [c] noſter victor, [d]nunc quidẽ victus,quæ cogitarat,ea perfecit,cùm eius iam nihil intereſſet. tanta in eo peccandi libido fuit vt hoc ipſum eum delectaret, peccare etiam ſi cauſa non eſſet. Ab hoc igitur genere largitionis, vt alijs detur, alijs auferatur,aberũt ij,qui remp.tuebũtur:in primisq; operam dabunt, vt iuris, & iudiciorum æquitate ſuum quiſq; teneat:& neque tenuiores [37] propter [e] imbecillitatem,circumueniãtur,neque locupletibus ad ſua vel tenenda, vel recuperanda obſit inuidia : præterea quibuſcumque rebus vel belli, vel domi poterũt,remp.augeant imperio,agris,vectigalibus. Hæc magnorum hominum ſunt: hæc apud maiores noſtros factitata : hæc genera officiorum qui perſequuntur, cum ſumma vtilitate reip. [f] magnam ſibi adipiſcentur & gratiam,& gloriam.In his autem vtilitatũ præceptis Antipater Tyrius Stoicus,qui Athenis nuper eſt mortuus, duo præcepta cenſet eſſe à Panætio prætermiſſa:valetudinis curationem,& pecuniæ. quas res à ſummo philoſopho præteritas arbitror,quòd eſſent faciles: ſunt certè vtiles.

a *L. non ſi fuerit.*

b *v.c.ne ſoluerentur.*

c *v.c.nunc victor.*

d *L. tam quidem.*

e *v.c.humilitatem.*

f *L.magnam ipſi adip.*

*Quibus rationibus valetudo, & res familiaris tũ parãda, tum tuenda.*

SED valetudo ſuſtentatur notitia ſui corporis, & obſeruatione [a] earum rerum, quæ res aut prodeſſe ſoleant, aut obeſſe: & continentia in victu omni, atque cultu, corporis tuendi cauſa, & prætermittendis voluptatibus, poſtremò arte eorum, quorum ad ſcientiam hæc pertinẽt. Res autem familiaris quæri debet ijs rebus, à quibus abeſt turpitudo: conſeruari autem diligentia, & parſimonia: ijſdẽ etiam rebus augeri. has res commodiſſimè Xenophõ Socraticus perſecutus eſt in eo libro, qui Oeconomicus inſcribitur: quem nos iſta ferè ætate cùm eſſemus, qua es tu nunc, è Græco in Latinum conuertimus.

[a] *Hæ duæ voces, earum rerum, nullis in v.c. reperiuntur.*

*Quartum genus deliberationis, inter vtilia vtrum vtilius, aut quid vtiliſſimum.*

SED vtilitatum comparatio, quoniam hic locus erat quartus à Panętio prætermiſſus, ſæpe eſt neceſſaria. Nam & corporis commoda cum externis, & externa cum corporis, & ipſa inter ſe corporis, & externa cum externis comparari ſolent. Cum externis, corporis, hoc modo comparantur: Valere vt malis, quàm diues eſſe. Cum corporis, externa, hoc modo: Diues eſſe potiùs, quàm maximis corporis viribus. Ipſa inter ſe corporis comparantur ſic: [b] bona valetudo voluptati anteponatur, vires celeritati. externorum autem, vt gloria diuitijs, vectigalia vrbana ruſticis. Ex quo genere comparationis illud eſt Catonis ſenis: à quo cùm quæreretur, quid maximè in re familiari expediret? reſpondit, Bene paſcere. Quid ſecundum? Satis bene paſcere. Quid tertium? Bene [c] veſtire. Quid quartum? Arare. Et, cùm ille, qui quæſierat, dixiſſet, Quid fœnerari? Tum Cato, Quid hominem, inquit, occidere? Ex quo, & multis alijs, intelligi debet, vtilitatum comparationes ſolere fieri, rectéque hoc adiunctum eſſe quartum exquirendorum officiorum genus. Sed toto hoc de genere, de quærenda, de collocanda pecunia, [d] etiam de vtenda

[b] *L. vt bona val.*

[c] *al. vitire.*

[d] *L. velle etiam de vtẽda.*

vtenda, commodiùs à quibuſdam optimis viris ad medium Ianum ſedentibus, quàm ab vllis philoſophis vlla in ſchola diſputatur. Sunt tamen ea cognoſcenda. pertinent enim ad vtilitatem, de qua hoc libro diſputatum eſt. Reliqua deinceps perſequemur.

# M. T. CICERONIS DE OFFICIIS, LIBER TERTIVS.

PVBLIVM Scipionem, Marce fili, eum, qui primus Africanus appellatus eſt, dicere ſolitum ſcripſit Cato, qui fuit ferè eius æqualis, Numquam ſe minùs otioſum eſſe, quàm cùm otioſus: nec minùs ſolum, quam cùm ſolus eſſet. Magnifica verò vox, & magno viro, ac ſapiente digna: quæ declarat, illum & in otio de negotijs cogitare, & in ſolitudine ſecum loqui ſolitum: vt neque ceſſaret vmquam, & interdum colloquio alterius non egeret. Itaque duæ res, quæ languorem afferunt ceteris, illum acuebant, otium & ſolitudo. [a] Vellem & nobis hoc idem verè dicere liceret: ſed ſi minùs imitatione tantam ingenij præſtantiam conſequi poſſumus, voluntate certè proximè accedimus. nam & à rep. forenſibuſq; negotijs, armis impijs, viq; prohibiti, otiũ perſequimur: & ob eam cauſam, vrbe relicta, rura [b] peragrantes, ſæpe ſoli ſumus. Sed nec [c] otium hoc cùm Africani otio, nec hæc ſolitudo cum illa comparãda eſt. Ille enim requieſcens à reip. pulcherrimis muneribus, otiũ ſibi ſumebat

a *L. Vellem nobis hoc idẽ dicere liceret & ita v. c.*

b *al. peregrinantes.*

c *L. hoc otiũ*

aliquando, & à cœtu hominum, frequẽtiaq́; interdum, tãquam in portum ſe in ſolitudinem recipiebat. noſtrũ autem otium negotij inopia, non requieſcendi ſtudio, conſtitutum eſt. exſtincto enim ſenatu, deletisque iudicijs, quid eſt, quod dignum nobis aut in curia, aut in foro agere poſſimus? [a] Itaque in maxima celebritate, [b] atque in oculis ciuium quondam viximus: nunc fugientes conſpectum ſceleratorum, quibus omnia redundãt, abdimus nos, quãtum licet, & ſæpe ſoli ſumus. Sed quia ſic ab hominibus doctis accepimus, nõ ſolum ex malis eligere minima oportere: ſed etiam excerpere ex his ipſis, ſi quid ineſſet boni: propterea & otio fruor nõ illo quidem, quo debeat is, qui quondam peperiſſet otium ciuitati: nec eam ſolitudinẽ languere patior, quam mihi adfert neceſſitas, non voluntas. Quamquam Africanus maiorem laudem vel meo iudicio aſſequebatur: [c] nulla tamen eius ingenij monumenta mandata literis, nullum opus otij, nullum ſolitudinis munus extat. ex quo intelligi debet, illum mẽtis agitatione, inueſtigationeq́; earum rerum, quas cogitando cõſequebatur, nec otioſum, nec ſolum vmquam fuiſſe. nos autem, qui non tantum roboris habemus, vt cogitatione tacita à ſolitudine abſtrahamur, ad hanc ſcribendi operam omne ſtudium curámque conuertimus. itaq; plura breui tẽpore, euerſa, quàm multis annis ſtãte rep. ſcripſimus. Sed cùm tota philoſophia, mi Cicero, frugifera, & fructuoſa, nec vlla pars eius, inculta, ac deſerta ſit: [d] tamẽ nullus feracior in ea locus eſt, nec vberior, quàm de officijs, à quibus conſtanter, honeſteq́; viuendi præcepta ducuntur. Quare, quamquam à Cratippo [e] noſtro, principe huius memoriæ philoſophorum, hæc te aſſiduè audire, atque accipere cõfido: tamen conducere arbitror, talibus aureis tuas vocibus vndique circunſonare, nec eas, ſi fieri poſſit, quidquam aliud audire. Quod cùm omnibus eſt faciendum, qui vitam honeſtam ingredi cogitant, tum haud

a *L. Ita qui in max.*

b *L. atque in oculis quondã viximus.*

c *q.v.c. nulla enim eius in.*

d *L. tũ nullus fera.*

e *L. veſtro.*

haud ſcio, an nemini potiùs, quàm tibi. ſuſtines enim non paruam expectationẽ imitandæ induſtriæ noſtræ, magnam honorũ, nonnullã fortaſſe nominis. Suſcepiſti onus præterea graue & Athenarum, & Cratippi: [a] ad quos [a] cùm tanquam [b] ad mercaturam bonarũ artium ſis profectus, inanem redire turpiſſimũ eſt, dedecorantem & vrbis auctoritatem, & magiſtri. Quare quantum conniti animo potes, quãtum labore contendere, (ſi diſcendi labor eſt potiùs, quàm voluptas) tãtùm fac vt efficias: néue committas, vt, cùm omnia ſuppeditata ſint à nobis, tute tibi defuiſſe videare. Sed hæc hactenus. multa enim ſæpe ad te cohortandi gratia ſcripſimus. nunc ad reliquam partem propoſitæ diuiſionis reuertamur.

a *al. quòcùm tanq.*

b *al. ad mercatum bon.*

*Reprehenſus Panætius, quod tria genera pollicitus, tertium non exoluerit. Ab alijs item notatus, quòd eam partem homo Stoicus induxerit, in qua diceretur cum honeſtate pugnare vtilitas, atque à Ciceronedefenſus.*

PANAETIVS igitur, qui ſine controuerſia de officijs accuratiſſimè diſputauit, quemque nos, correctione quadã adhibita, potiſſimùm ſecuti ſumus, tribus generibus propoſitis, in quibus deliberare homines, & conſultare de officio ſolerent, vno, cùm dubitarent, honeſtúmne id eſſet, de quo ageretur, an turpe: altero, [c] vtiléne, an inutile: tertio, ſi id, quod ſpeciẽ haberet honeſti pugnaret cum eo, quod vtile videretur, quomodo ea diſcerni oporteret: de duobus generibus primis, tribus libris explicauit: de tertio autem genere deinceps ſe ſcripſit dicturum, nec exſoluit, quod promiſerat. Quod eò magis miror, quia ſcriptum à diſcipulo eius Poſidonio eſt, triginta annis vixiſſe Panætium pòſt quàm eos libros ediderat. quem locum miror à Poſidonio [d] breuiter eſſe tractatum in quibuſdam commentarijs, præſertim cùm ſcribat, nullum eſſe locum in tota philoſophia tam neceſſariũ. minimè verò aſſentior ijs, qui negant, eum locum à Panætio prætermiſſum, ſed conſul-

c *L. vtile, an inutile.*

d *L. breuiter eſſe tactum.*

tò relictum,nec omnino ſcribendum fuiſſe: quia numquam poſſet vtilitas cum honeſtate pugnare:de quo alterum poteſt habere dubitationem,adhibēdúmne fuerit hoc genus,quod in diuiſione Panætij tertium eſt,an planè omittendum:alterum dubitari non poteſt, [4] quin à Panætio ſuſceptum ſit,[a] ſed derelictum.nam qui,è diuiſione [b] tripartita,duas partеis abſoluerit,huic neceſſe eſt reſtare tertiam.Prætereà in extremo libro tertio de hac parte pollicetur ſe deinceps eſſe dicturū. [5] Accedit eodem teſtis [c] locuples,Poſidonius,qui etiam ſcribit in quadā epiſtola, Publium Rutilium Rufum dicere ſolere,qui Panætium audiuerat, vt nemo pictor eſſet inuētus, [d] qui Veneris eam partē,quam Apelles inchoatam reliquiſſet, abſolueret ( oris enim pulchritudo reliqui corporis imitādi ſpem auferebat:) ſic ea,quæ Panætius prætermiſiſſet, & non perfeciſſet, propter eorum,quæ [e] feciſſet,præſtantiā,neminem eſſe [f] perſecutū.Quamobrem de iudicio Panætij dubitari non poteſt, recténe autem hanc tertiam partem ad exquirendum officium adiunxerit,an ſecus, [6] de eo fortaſſe dubitari poteſt.Nā ſiue honeſtum ſolum bonum eſt, vt Stoicis placet: ſiue quod honeſtum eſt, id ita ſummū bonum eſt, quemadmodū Peripateticis noſtris videtur , vt omnia ex altera parte collocata , vix minimi momenti inſtar habeant: dubitandum non eſt,quin numquam poſſit vtilitas cum honeſtate contēdere. Itaque accepimus, Socratem ſolitum execrari eos,qui primùm hæc natura cohærētia, opinione diſtraxiſſent.Cui quidé ita ſunt Stoici aſſenſi, vt etiā,quidquid honeſtum eſſet,id vtile eſſe cenſerent: nec vtile quidquā,quod non honeſtum.Quòd ſi is eſſet Panætius , qui virtutem propterea colendam diceret, quòd ea efficiens vtilitatis eſſet:vt ij,qui res expetēdas vel voluptate,vel indolētia metiuntur: liceret ei dicere honeſtatem aliquando cum vtilitate pugnare.Sed,cum ſit is, quis id ſolum bonum iudicet, quod honeſtum ſit:

quæ

[a] *al.ſed relictum.*
[b] *L. tripertita.*
[c] *al. locupletis.*
[d] *L. qui Coa Veneris eam.*
[e] *al. perfeciſſet.*
[f] *q.v.c.perſecuturum.*

quæ autẽ huic repugnent ſpecie quadam vtilitatis, eorum neq; acceſſione meliorem vitam fieri, nec deceſſione peiorem: non videtur[a] huiuſmodi debuiſſe deliberationem[b] introducere, in qua, quod vtile videretur, cum eo, quod honeſtum eſt,[c] comparetur. Etenim quod ſummum bonum à Stoicis dicitur, conuenienter naturę viuere: id habet[d] hanc (vt opinor) ſententiam, cum virtute congruere ſemper: cetera autem, quæ ſecundũ naturã eſſent, ita legere, ſi ea virtuti nõ repugnarent. quod cùm ita ſit, putant quidem, hanc comparationem non rectè eſſe introductã, nec omnino de eo genere quidquam pręcipiendum fuiſſe. Atq; illud quidem honeſtũ, quod propriè, vereq́ue dicitur, id in ſapiẽtibus eſt ſolis, neque à virtute diuelli vmquam poteſt: in ijs autem, in quibus ſapientia perfecta non eſt, ipſum illud quidem perfectum honeſtum,[e] nullo modo eſſe poteſt, ſimilitudines honeſti eſſe poſſunt. [f] Hæc igitur omnia officia, de quibus his libris diſputamus, media Stoici appellãt. ea, cõmunia ſunt, & latè patent: quæ & ingenij bonitate multi aſſequuntur, & progreſſione diſcendi. Illud autem officium, quod rectum ijdem appellant, perfectum, atq; abſolutũ eſt: &, vt ijdem dicunt, omnes numeros habet: nec, præter ſapientem, cadere in quẽquam poteſt. Cùm autẽ aliquid actum eſt, in quo media officia,[g] cõparãtur, id cumulatè videtur eſſe perfectum: propterea quòd vulgus, quid abſit à perfecto,[h] ferè nõ ex toto intelligit: quatenus autẽ intelligit, nihil putat prætermiſſum.[7] [i] Quod autem in poëmatibus, & picturis vſu euenit, in alijſq; compluribus, vt delectentur imperiti, laudentq́; ea, quæ laudanda non ſint: ob eã, credo, cauſam, quòd inſit in his aliquid probi, quod capiat ignaros, qui ijdem, quid in vnaquaq; re vitij ſit, nequeant iudicare. Itaq; cùm ſint docti à peritis, facilè deſiſtunt à ſententia. Hæc igitur officia, de quibus his libris[k] diſſerimus, quaſi ſecunda quædam honeſta dicunt eſſe, non ſapientum

a *L. eiuſmodi deb.*
b *L. inducere*
c *L. compararetur.*
d *L. hic opinor ſentent.*
e *L. nullo modo, ſimilitudines honeſti eſſe p.*
f *L. hæc enim officia, de.*
g *L. comparant.*
h *L. non ferè intelligit.*
i *L. Quod autem in poëmatis picturis vſu venit.*
k *L. diſſerimus.*

modo propria, ſed cum omni hominũ genere communia. [a]Itaq; ij omnes, in quibus virtutis eſt indoles, commouentur. Nec verò cùm duo Decij, aut duo Scipiones, fortes viri commemorãtur, aut cum Fabricius, aut Ariſtides iuſtus nominatur: aut ab illis, fortitudinis: aut ab his, iuſtititiæ, tanquã à ſapientibus, petitur exemplũ. nemo enim horum ſic ſapiens eſt, vt ſapiẽtem intelligi hîc volumus: nec ij, qui ſapientes habiti ſunt, & nominati, M. Cato, & C. Lælius, ſapientes fuerũt: ne illi quidem ſeptem: ſed ex mediorum officiorum frequentia ſimilitudinem quandam gerebant, ſpeciemq́ue ſapientum. Quocirca nec id, quod verè honeſtum eſt, fas eſt cum vtilis repugnantia comparari: nec id, quod communiter appellamus honeſtum, [b]quodq́; colitur ab ijs, qui bonos ſe viros haberi volunt, cum emolumentis vmquam eſt comparandum: tamq́; id honeſtum, quod in noſtram intelligentiam cadit, tuendum, conſeruandumq́; eſt nobis, quàm id quòd propriè dicitur, vereq́; eſt honeſtum, ſapientibus: aliter enim teneri nõ poteſt, ſi qua ad virtutem eſt facta progreſſio. Sed hęc quidem de ijs, qui conſeruatione officiorum exiſtimãtur boni. Qui autem omnia metiuntur emolumentis & commodis, neque ea volunt præponderari honeſtate, hi ſolent in deliberando honeſtum cum eo, quod vtile putant, cõparare: boni viri non ſolent. Itaq; exiſtimo, Panætiũ, cùm dixerit, homines ſolere in hac cõparatione dubitare, hoc ipſum ſenſiſſe, quod dixerit, ſolere modò, non etiam oportere. etenim non modò pluris putare quod vtile videatur, quàm quod honeſtum: ſed hæc etiã inter ſe comparare, & in his addubitare, turpiſſimum eſt. Quid eſt ergo, quod nonnũquam dubitationem afferre ſoleat, conſiderandumq́ue videatur? Credo, ſi quando dubitatio accidit, quale ſit id, de quo conſideretur. Sępe enim tempore fit, vt, quod plerunq; turpe haberi ſoleat, inueniatur non eſſe turpe. Exempli cauſa, ponatur aliquid

a *L. itaque his omnes.*

b *L. quod colitur.*

aliquid,quod pateat latiùs.Quod potest esse maius scelus,quàm non modo hominem, [a]sed etiam familiarem occidere? Num igitur se obstrinxit scelere, si quis tyrannum occidit,quamuis familiarem? Populo quidem Rom. non videtur, qui ex omnibus præclaris factis illud pulcherrimum existimat. Vicit igitur vtilitas honestatem, imò verò honestas vtilitatem secuta est.

a *q.v.c. sed etiam familiarem hominem occ.*

*Formula præscripta,ne quando nos falsa vtilitatis species ab honestate abducat, vt iustitiam, vel solum vel maximum bonum statuamus, iniustitiam malorum maximum nihilq; ad priuatum commodum, sed ad communem societatem referantur omnia.*

ITAQVE, vt sine vllo errore dijudicare possimus, si quãdo cum illo,quod honestũ intelligimus,pugnare id videbitur, quod appellamus vtile, formula quædam constituenda est: quam si sequemur in cõparatione rerum,ab officio numquam recedemus. Erit autem hæc formula,Stoicorum rationi,disciplinæq; maximè consentanea:quam quidẽ in his libris propterea sequimur, quòd quanquã à veterib. Academicis,& à Peripateticis [b]nostris,qui quondam ijdem erant,qui Academici,quę honesta sunt,anteponuntur ijs,quæ videntur vtilia: tamen splẽdidiùs hæc ab eis differũtur,quibus, quidquid honestũ est,idẽ vtile videtur:nec vtile quidquam,quod non honestum: quam ab ijs,quibus est honestũ aliquid non vtile,aut vtile non honestum Nobis autem nostra Academia magnam licentiam dat,vt,quodcumq; maximè probabile occurrat,id nostro iure liceat defendere.Sed redeo ad formulam. Detrahere igitur aliquid alteri, & hominẽ hominis incõmodo suum augere cõmodum, magis est contra naturam, quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor,quàm cetera, quæ possunt aut corpori accidere,aut rebus externis. nam principio tollit conuictũ humanum,& societatem.si enim sic erimus affecti,vt propter suum quisque emolumentum spoliet, aut violet alterum,disrumpi necesse est eam,quę maxi-

b *L. vestris.*

mè eſt ſecundum naturam, humani generis ſocietatem.
a L. vt enim, ſi vnũquodq;. [a] Vt, ſi vnumquodq; membrum ſenſum hunc haberet, vt poſſe putaret ſe valere, ſi proximi mẽbri valetudinẽ ad ſe traduxiſſet: debilitari, & interire totum corpus neceſſe eſt: ſic, ſi vnuſquiſq; noſtrũm rapiat ad ſe commoda aliorum, detrahatq;, quod cuique poſſit, emolumenti ſui gratia: ſocietas hominum, cõmunitaſq;, euertatur neceſſe eſt. nam, ſibi vt quiſq; malit, quod ad vſum vitæ pertinet, quã alteri acquirere, conceſſum eſt, non repugnante natura. [b] illud quidem natura nõ patitur, vt aliorũ ſpolijs noſtras facultates, copias, opes augeamus
b L. illud natura non p. Neque vero hoc ſolum natura, id eſt, iure gentium, ſed etiam legibus populorum, quibus in ſingulis ciuitatibus [c] reſp. continentur, eodem modo conſtitutum eſt, [d] vt non liceret ſui commodi cauſa nocere alteri. hoc enim ſpectant leges, hoc volunt, incolumem eſſe ciuium cõiunctionem: quam qui dirimunt, eos morte, exilio, vinculis, damno coërcent, atque hoc multo magis [e] exegit ipſa naturæ ratio, quæ eſt lex diuina, & humana: cui parere qui velit (omnes autem parebunt, qui ſecundũ naturã [f] volent viuere) nũquam cõmittet, vt alienũ appetat, & id, quod alteri detraxerit, ſibi aſſumat. Etenim multo magis eſt ſecundum naturam [g] celſitas animi, & magnitudo, itemq; cõmunitas, iuſtitia, liberalitas, quàm voluptas, quàm vita, quàm diuitiæ. quæ quidem contemnere, & pro nihilo ducere, comparantem cum vtilitate cõmuni, magni animi, & excelſi eſt. Detrahere autem [h] alteri ſui commodi cauſa, magis eſt contra naturam, quàm mors, quàm dolor, quàm cetera generis eiuſdem: itemq; magis eſt ſecundum naturam, pro omnibus gentibus, ſi fieri poſſit, conſeruandis, aut iuuãdis maximos labores, moleſtiaſq; ſuſcipere, imitãtem Herculem illum, quem hominum fama, beneficiorum memor, in concilio cæleſtium collocauit: quàm viuere in ſolitudine, non modo ſine vllis moleſtijs, ſed etiam in maximis

c al. reſp. continetur.
d L. vt non liceat.
e v. c. efficit ipſa nat.
f v. c. volunt
g v. c. excelſitas animi.
h v. c. de altero.

maximis voluptatibus,abundantem omnibus copijs, vt excellas etiã pulchritudine,& viribus. Quocirca optimo quiſque, ſplendidiſſimóque ingenio longè illam vitam huic [a] anteponit. ex quo efficitur, hominem naturæ obedientem,homini nocere non poſſe. Deinde,qui alterum violat, vt ipſe aliquid commodi conſequatur, aut nihil ſe exiſtimat contra naturam facere: aut magis fugiendam cenſet mortem, paupertatem,dolorem, amiſſionem etiam liberorum,propinquorũ,amicorum, quàm facere cuipiam iniuriam.ſi nihil exiſtimat [b] contra naturam fieri in hominibus violandis: quid cum eo diſſeras, qui omnino hominẽ ex homine tollat? ſin fugiendum id quidẽ cenſet,ſed & multo illa peiora, mortem,paupertatem,dolorem:errat in eo,quòd vllum aut corporis,aut fortunæ vitium,animi vitijs grauius exiſtimat.Ergo vnum debet eſſe omnibus propoſitum,vt eadem ſit vtilitas vniuſcuiuſque,& vniuerſorum: quam ſi ad ſe quiſque rapiat [8] diſſoluetur omnis humana [c] conſociato. Atque ſi etiam hoc natura præſcribit,vt homo homini, quicunque ſit, ob eam ipſam cauſam, quòd is homo ſit,conſultum velit:neceſſe eſt ſecundum eãdem naturam omnium vtilitatem eſſe communem. quod ſi ita eſt, vna continemur omnes, & eadem lege naturæ: idque ipſum ſi ita eſt,certè violare alterum lege naturę prohibemur,verum autem primum,verum igitur & extremum. Nam illud quidem abſurdum eſt,quod quidã dicunt,parenti ſe,aut fratri nihil detracturos,commodi ſui cauſa: aliam rationem eſſe ciuium reliquorum:hi ſibi nihil iuris,& nullam ſocietatem, communis vtilitatis cauſa,ſtatuunt eſſe conciuibus:quæ ſententia omnẽ ſocietatem diſtrahit ciuitatis. Qui autem ciuium rationẽ dicunt eſſe habendam, externorum negant:hi dirimũt communem humani generis ſocietatem: qua ſublata, [d] beneficẽtia, liberalitas,bonitas, iuſtitia funditus tollitur: quæ qui tollunt,etiam aduerſus deos immortaleis

a *al.anteponat.*

b *L. contra naturam fieri hominibus violandis.*

c *L.conſortio.*

d *v.c. beneficientia.*

impij iudicandi ſunt. ab ijs enim conſtitutam inter ho-
a *v.c. artiſſimum.* mines ſocietatem euertunt: cuius ſocietatis [a] arctiſſimũ vinculum eſt, magis arbitrari eſſe cõtra naturam, hominem homini detrahere, ſui commodi cauſa, quàm omnia incommoda ſubire vel externa, vel corporis, [9] vel etiã ipſius animi, quæ vacẽt iuſtitia. Hæc enim vna virtus, omniũ eſt domina, & regina virtutum. Forſitã quiſpiam dixerit: Nónne igitur ſapiẽs, ſi fame ipſe cõficiatur, abſtulerit cibum alteri, homini ad nullam rem vtili? Minimè verò. Nõ enim mihi eſt vita mea vtilior, quàm animi talis affectio, neminem vt violem commodi mei gratia. Quid, ſi Phalarim, crudelem tyrannum, & immanem, vir bonus, ne ipſe frigore conficiatur, veſtitu ſpoliare poſſit, nónne faciat? Hæc ad iudicãdũ ſunt facillima. [b] nam, ſiquid ab homine ad nullam partẽ vtili, quæ vtilitatis cauſa detraxeris: inhumanè feceris, contraq; naturæ legem, ſin autem is tu ſis, qui multam vtilitatem reip. atq; hominum ſocietati, ſi in vita remaneas, afferre poſſis: ſi quid ob eam cauſam alteri detraxeris, non ſit reprehendendum: ſin autem id non ſit eiuſmodi: ſuum cuiq; incommodum ferẽdum eſt potiùs, quàm de alterius commodis detrahẽdum. Non igitur magis eſt cõtra naturam morbus, aut egeſtas, aut quid huiuſmodi, quàm detractio, aut appetitio alieni. Sed cõmunis vtilitatis derelictio contra naturam eſt. eſt enim iniuſta. itaq; lex ipſa naturæ, quæ vtilitatẽ hominum cõſeruat,
b *L. nam ſi quid homini homo ad nullam rem vtilis, vtilitatis tuæ.*
c *v.c. decernit prof.* & continet, [c] decernit profectò, vt ab homine inerit, atque inutili, ad ſapientem, bonum, fortemq; virum trãſferantur res ad viuendum neceſſariæ: qui ſi occiderit, multum de communi vtilitate detraxerit: modò hoc ita faciat, vt ne ipſe de ſe bene exiſtimans, [d] ſeq; diligens, hanc cauſam habeat ad iniuriam. [e] Itaque ſemper officio fungetur, vtilitati conſulens hominum, & ei, quam ſæpe commemoro, humanæ ſocietati. Nam, quod ad Phalarim attinet, perfacile iudicium eſt. nulla enim nobis
d *L. ſeſeq; dil.*
e *L. Ita ſemper off.*

bis ſocietas cum tyrannis,[1] ſed potiùs ſumma[a] diſtractio: neque eſt contra naturam,ſpoliare eum, ſi poſſis, quem honeſtum eſt necare:atque hoc omne genus peſtiferum, atque impium, ex hominũ communitate exterminandum eſt. Etenim,vt membra quædam amputantur,ſi & ipſa ſanguine,& tanquam ſpiritu carere cœperunt, & nocent reliquis partibus corporis: ſic iſta in figura hominis feritas, & immanitas belluæ, à cõmuni tanquã humanitate corporis ſegreganda eſt.Huius generis ſunt quæſtiones omnes eæ,in quibus ex rempore officium exquiritur.Eiuſmodi igitur credo res Panætiũ perſecuturum fuiſſe,[b] niſi aliquis caſus, aut occupatio conſilium eius[c] præueniſſet:ad quas ipſas conſultationes ex ſuperioribus libris ſatis multa præcepta ſunt, quibus perſpici poſſit,quid ſit propter turpitudinem fugiendum:quid ſit id,quod idcirco fugiendũ non ſit,quia omnino turpe non eſt. Sed quoniam operi inchoato, propè tamen abſoluto,tanquam faſtigium imponimus: vt geometræ ſolent non omnia docere, ſed poſtulare, vt quædã ſibi concedantur,quò facilius,quæ velint,explicẽt: ſic ego à te poſtulo,mi Cicero,vt mihi cõcedas, ſi potes,nihil,præter id,quod honeſtum ſit,eſſe propter ſe expetendum.ſin hoc non licet per Cratippum : at illud certè dabis,quod honeſtum ſit,id eſſe maximè propter ſe expetendum. Mihi vtrumuis ſatis eſt: & cùm hoc,tum illud probabilius videtur, nec præterea quidquam probabile.Ac primùm Panętius in hoc defendẽdus eſt, quòd non vtilia cum honeſtis pugnare dixerit aliquando poſſe(neq; enim ei fas erat)ſed ea,quæ[d] videntur vtilia.Nihil verò vtile,quod non idẽ honeſtum: nihil honeſtum,quod non idẽ vtile ſit,ſæpe teſtatur:negatque,vllam peſtem maiorem[e] vitam hominum inuaſiſſe,quam eorum opinionem,qui iſta diſtraxerint. Itaque non vt aliquando anteponeremus vtilia honeſtis, ſed vt ea ſine errore diiudicaremus, ſi quando incidiſ-

a *v.c.diſtractio eſt, neque*

b *v.c. Niſi aliqui caſ.*

c *l. peremiſſet.*

d *v.c. videantur.*

e *Lan vitam hominum.*

sent,induxit eam,quæ videretur esse,non quæ esset,repugnantiam. Hanc igitur partem relictam explebimus, nullius adminiculis,sed (vt dicitur) Marte nostro. Neque enim quidquam de hac parte post Panætium explicatum est, [a] quod mihi probaretur, de ijs, quæ in manus meas venerunt.

a L. *quod quidem mihi.*

*Nequa nos commoditas quantaxis cum summa etiam impunitate coniuncta permoueat, vt vel tantillum ab honesto recedamus, sine quo nihil non perniciosum.*

CVM igitur aliqua species vtilitatis obiecta est, [b] nos commoueri necesse est. sed si cùm animum attenderis,turpitudinẽ videas adiũctam ei rei, [c] quæ speciem vtilitatis attulerit: [11] [d] tunc vtilitas non requirenda est, sed intelligendum, vbi turpitudo sit, ibi vtilitatem esse non posse. Quòd si nihil est tam contra naturam,quàm turpitudo(recta enim,& cõuenientia,& constantia natura desiderat, aspernaturq́; contraria) nihilq́; tam secundum naturam,quàm vtilitas:certè in eadem re & vtilitas,& turpitudo esse non potest.itemq́; , si ad honestatem nati sumus, eaq́; aut sola expetenda est, (vt Zenoni est visum) aut certè omni pondere grauior est habenda,quàm reliqua omnia,quòd Aristoteli placet:necesse est,quod honestum sit,id esse aut solum, aut summum bonum: quod autem bonum, id certè vtile: [e] itaque quidquid honestum,id vtile.quare error hominum non proborum [12] cùm aliquid,quod vtile visum est, arripuit,id continuò secernit ab honesto. Hinc sicæ,hinc venena, hinc falsa testamenta nascuntur: [f] hinc furta, hinc peculatus, expilationes, direptionesq́; sociorum, & ciuium, hinc opum nimiarum potentiæ non ferẽdæ: postremo etiam in liberis ciuitatibus exsistunt regnãdi cupiditates, quibus nihil nec tetrius, nec fœdius excogitari potest.emolumenta enim rerũ fallacibus iudicijs vident: pœnam non dico legum, quas sæpe perrumpunt,sed ipsius turpitudinis,quæ acerbissima est,nõ vident.

b *nos, abest ab o.v.c.*

c *al.quæ spẽ.*

d *L.tum non vtilitas relinquenda est.*

e *L.Ita,quidquid bon.*

f *L.hinc furta, peculatus, expil.*

dent. Quamobrem hoc quidem deliberantium genus pellatur è medio(eſt enim totum ſceleratum,& impiũ) qui deliberãt,vtrum id ſequantur, quod honeſtum eſſe videant,an ſe ſcientes ſcelere contaminẽt:in ipſa enim dubitatione facinus ineſt,etiã ſi ad id non peruenerint. Ergo ea deliberanda omnino nõ ſunt,in quibus eſt turpis ipſa deliberatio.atque etiam in omni deliberatione celandi,& occultandi ſpes, opinioque remouenda eſt. ſatis enim nobis (ſi modo in philoſophia aliquid profecimus) perſuaſum eſſe debet, ſi omneis deos, homineſq; celare poſſimus, nihil tamen auarè, nihil iniuſtè, nihil libidinosè,nihil incontinenter eſſe faciendũ.Hinc ille Gyges inducitur à Platone:qui, [13] cùm terra [a] deceſſiſſet magnis quibuſdam imbribus, in illum hiatum deſcendit,æneumq; equũ ([b]vt ferunt fabulæ) animaduertit,cuius in lateribus fores eſſent:quibus apertis,hominis mortui vidit corpus magnitudine inuſitata,annulumq; aureum in digito: quem vt detraxit, ipſe induit: (erat autem regius paſtor)tum in conciliũ paſtorum ſe recepit.ibi cum palam eius annuli ad palmam cõuerterat,à nullo videbatur, ipſe autem omnia videbat. idem rurſus videbatur,[14] cùm [c]in lucem annulum inuerterat. Itaque hac oportunitate annuli vſus, reginæ ſtuprum intulit:eaq; adiutrice regem dominum interemit,ſuſtulitque quos obſtare arbitrabatur: nec in his eum quiſquam facinoribus potuit videre. ſic repentè annuli beneficio rex exortus eſt Lydiæ. Hũc igitur ipſum annulum ſi habeat ſapiẽs,[d]nihil plus ſibi licere putet peccare, quàm ſi non haberet. honeſta enim bonis viris,non occulta quæruntur. Atque hoc loco philoſophi quidã, minimè mali illi quidem, ſed non ſatis acuti,fictam, & commentitiam fabulam dicunt prolatam à Platone: quaſi verò ille aut factum id eſſe, aut fieri potuiſſe defendat. Hæc eſt vis huius [e] annuli,& huius exempli: ſi nemo ſciturus,nemo ne ſuſpicaturus quidem ſit, cùm

a *L. diſceſſiſſet.*

b *hoc totum, vt ferunt fabulæ, non videtur eſſe Ciceronis.*

c *o.v.c. in locum.*

d *L. nihilo plus.*

e *v.c.anuli.*

aliquid, diuitiarum, potentiæ, dominationis, libidinis cauſa, feceris, ſi id dijs, hominibuſque futurum ſit ſemper ignotum, ſiſne facturus. negant id fieri poſſe: quanquam [a] poteſt id quidem. ſed quæro, quod negãt poſſe, id ſi poſſet, quidnã facerent? Vrgent ruſticè ſanè. negant enim poſſe, & in eo perſtant: hoc verbum quid valeat, non vident. Cum enim quærimus, ſi poſſint celare, quid facturi ſint, non quærimus, poſsintne celare: ſed tanquam tormenta quædam adhibemus, vt, ſi reſponderint, ſe impunitate propoſita, facturos quod expediat, facinoroſos ſe eſſe fateantur: ſi negent, omnia turpia per ſeipſa fugienda eſſe concedant. Sed iam ad propoſitum reuertamur. Incidunt ſæpe multæ cauſæ, quæ [b] conturbant animos vtilitatis ſpecie, non cum hoc deliberetur, relinquendáne ſit honeſtas propter vtilitatis magnitudinem: (nam id quidem improbum eſt) ſed illud, poſſitne id, quod vtile videatur, fieri nõ turpiter. Cum Collatino Tarquinio collegæ Brutus imperium abrogabat, poterat videri facere id iniuſtè. fuerat enim in regibus expellendis ſocius Bruti, conſiliorum etiam adiutor. cum autem conſilium hoc principes cepiſſent, cognationem Superbi, nomenque Tarquiniorum, & memoriam regni, eſſe tollendam: quod erat vtile patriæ [c] conſulere, id erat ita honeſtum, vt etiam ipſi Collatino placere deberet. Itaque vtilitas valuit propter honeſtatem: ſine qua [d] nec vtilitas quidẽ eſſe potuiſſet. At in eo rege, qui vrbem condidit, [e] non ita. Species enim vtilitatis animum [f] impulit eius: cui cum viſum eſſet vtilius, [g] ſolum ſe, quàm cum altero regnare, fratrem interemit. Omiſit hic & pietatem, & humanitatem, vt id, quod vtile videbatur, neque erat, aſſequi poſſit: & tamen muri cauſam oppoſuit, ſpeciem honeſtatis neque probabilem, neque ſatis idoneam. Peccauit igitur, pace vel Quirini, vel Romuli dixerim.

a *L. non poteſt id q.*

b *L. conturbent.*

c *L. verbum, conſulere delet.*

d *L. ne vtilitas.*

e *L. non item*

f *L. pepulit eius: & ita v c.*

g *L. ſolùm quàm.*

*Proprijs*

*Proprijs commodis quatenus cuiq; inſeruire permiſſum.*

NEC tamen noſtræ nobis vtilitates omittendæ ſunt, alijſque tradendæ, cùm his ipſi egeamus: ſed ſuæ cuique vtilitati, quod ſine alterius iniuria fiat, ſeruiendum eſt. Scitè Chriſippus, vt multa: Qui ſtadium, inquit, currit, eniti,& contendere debet, quàm maximè poſſit, vt vincat: ſupplantare eum, quicum certet, aut manu depellere nullo modo debet. ſic in vita ſibi quẽque petere, [a] quod pertineat ad vſum, non iniquum eſt: alteri [b] ſurripere ius non eſt.

[a] *al. quod ad vſum pertinet.*

[b] *q. v. c. de ripere.*

*Formulæ in amicitijs, vt ſemper honeſtati cedat benevolentia amici, fides præſtetur, etiam maximis incommodis propoſitis. Communibus in rebus tantum charitati amicorum tribuatur, quantum religio, & honeſti ratio patitur: cæterum nequa res turpis aut petatur ab amico, aut præſtetur petenti.*

MAXIME autem perturbantur officia in amicitijs: quibus & non tribuere, quod rectè poſſis, & tribuere, quod non ſit æquum, contra officium eſt. Sed huius generis totius, breue,& non difficile præceptũ eſt. quæ enim videtur vtilia, honores, diuitiæ, voluptates, cetera generis eiuſdem, hæc amicitiæ numquam anteponẽda ſunt. At neque contra Remp. neq; contra iuſiurandum ac fidẽ, amici cauſa, vir bonus faciet, [c] nec ſi iudex quidem erit de ipſo amico. ponit enim perſonã amici, cùm induit iudicis. tantum dabit amicitiæ, vt veram amici cauſam eſſe malit: [d] vt perorandæ liti tempus, quoad per leges liceat, accommodet. Cùm verò iurato dicẽda ſententia ſit: meminerit, deũ ſe adhibere teſtem, id eſt, (vt arbitror) mentem ſuam, qua nihil homini dedit ipſe deus diuinius. Itaq; præclarum à maioribus accepimus morem rogandi iudicis, ſi eum teneremus, QVAE SALVA FIDE FACERE POSSIT. Hæc rogatio ad ea pertinet, quæ paullò antè dixi honeſtè amico à iudice poſſe concedi. nam, ſi omnia facienda ſint, quæ amici velint: non amicitiæ tales, ſed coniurationes putandæ

[c] *L. ne ſi iudex.*

[d] *L. & vt oranda.*

sunt. Loquor autem de cõmunibus amicitijs. nam in sapientibus viris, atq; perfectis nihil potest esse tale. Damonẽ & Pythiam, Pythagoreos, ferũt hoc animo inter se fuisse, vt, cùm eorum alteri Dionysius tyrannus diem necis destinauisset: & is, qui morti addictus esset, paucos sibi dies commendandorum suorum causa postulauisset: vas factus est alter eius sistendi: [16] vt si ille non reuertisset [a] ad diem moriendum [b] esset sibi ipsi. qui cum ad diem se recepisset, admiratus eorum fidem tyrãnus, petiuit, vt se in amicitiam tertium [c] adscriberent. Cum igitur id, quod vtile videtur in amicitia, cum eo, quod honestum est, cõparatur: iaceat vtilitatis species, valeat honestas. cum autem in amicitia, quæ honesta nõ sunt, postulabuntur, religio, & fides anteponantur amicitiæ: & sic habebitur is, quem exquirimus, [d] delectus officij.

a *Ad diem, in v.c. non comparent.*
b. *L. esset ipsi*
c *q.v.c. reciperent.*
d *v.c. dilectus est.*

*In publicis consultationibus semper honestum falsa vtilitate potiùs habendum, neque consilium vllum videri vtile oportere, quod cum honesto pugnet: Atque huius rei vtrãq; in partem exempla.*

SED vtilitas specie in rep. sæpissimè peccatur, vt in Corinthi disturbatione nostri. durius etiam Atheniẽses, qui sciuerunt, vt Æginetis, [e] qui classe valebant, pollices præciderentur. hoc visum est vtile. nimis enim imminebat, propter propinquitatẽ, Ægina [f] Piræo: sed nihil, quod crudele, vtile. est enim hominũ naturæ, quã sequi debemus, maximè inimica crudelitas. Malè etiam [g] qui peregrinos vrbibus vti prohibent, eosq; exterminãt, vt Pennus apud patres nostros, Papius nuper. Nam esse pro ciue, qui ciuis non sit, rectũ est non licere: quã tulerunt legẽ sapientissimi consules, Crassus & Scæuola: vsu vero vrbis prohibere peregrinos, sanè inhumanũ est. illa præclara, in quibus publicæ vtilitatis species præ honestate contemnitur. Plena exemplorũ est nostra resp. cum sæpe aliàs, tum maximè bello Punico secundo: quæ, Cannẽsi calamitate accepta, maiores animos habuit, quàm vnquam rebus secundis. Nulla timoris

e *q.v.c. quia classe.*
f *al Piræo.*
g *fort. qui pere: vrbes vrbib. prohibent.*

ris ſignificatio, nulla mentio pacis. tãta vis eſt honeſti, vt ſpeciem vtilitatis obſcuret. Athenienſes cum Perſarum impetũ nullo modo poſſent ſuſtinere, ſtatuerentq; vt vrbe relicta, coniugibus, & liberis Trœzene depoſitis, naueis conſcenderent, libertatemque Græciæ claſſe defenderent: Cyrſilum quendam, ſuadentem, vt in vrbe manerent, Xerxemque reciperent, lapidibus obruerunt. Atqui ille ſequi vtilitatem videbatur: ſed ea nulla erat repugnãte honeſtate. Themiſtocles poſt victoriam eius belli, quod cum Perſis fuit, dixit in cõcione, ſe habere conſilium reip. ſalutare, ſed id ſciri opus non eſſe poſtulauit, vt aliquem populus daret, qui cum cõmunicaret datus eſt Ariſtides. Huic ille, claſſem Lacedæmoniorum, quæ ſubducta eſſet ad Gytheum, clàm incendi poſſe: quo facto, frangi Lacedæmoniorum opes neceſſe eſſet. Quod Ariſtides cum audiſſet, in concionẽ magna expectatione venit: dixitq;, perutile eſſe cõſilium, quòd Themiſtocles afferret: ſed minimè honeſtum. Itaque Athenienſes, quod honeſtum non eſſet, id ne vtile quidem putauerunt: totamque eam rem, quam ne audiuerãt quidem, auctore Ariſtide repudiauerunt. Melius hi, quàm nos, qui piratas, immuneis: ſocios, vectigaleis habemus. Maneat ergo, quod turpe ſit, id numquam eſſe vtile: ne tum quidem, cum id [a] quod eſſe vtile putes, adipiſcare. Hoc enim ipſum vtile putare, quod turpe ſit, calamitoſum eſt.

[a] *L. quod vtile eſſe putes.*

*In contractibus communibus, quæ formula honeſti, & vtilis. Fingit autem ſpeciem quandam ture conſultorum more, dicq; ea duos Stoicos diuerſa ſentientes, quorum alter ad Stoicam rationem omnia refert, alter & hominum conſuetudine & iure ciuili moderatur.*

SED incidunt (vt ſuprà dixi) ſæpe cauſæ, cum repugnare vtilitas honeſtati videatur, vt animaduertendum ſit, repugnétne planè, an poſſit cum honeſtate cõiũgi. Eius generis hæ ſunt quæſtiones: [b] exempli gratia, Si vir bonus Alexandria Rhodum magnum frumenti

[b] *L. Si exempli gratia, vir bonus, &c.*

numerum aduexerit in Rhodiorũ inopia, & fame, ſummaque annonæ caritate: ſi idem ſciat, complures mercatores [a] Alexandria ſoluiſſe, nauesq; in curſu, frumẽto onuſtas, petenteis Rhodum, viderit, dicturúsne ſit id Rhodijs, an ſilentio ſuum quàm plurimo vẽditurus? Sapientem, & bonũ virum fingimus: de eius deliberatione, & conſultatione quærimus: qui celaturus Rhodios non ſit, ſi id turpe iudicet: ſed dubitet, an turpe non ſit. In huiuſmodi cauſis aliud Diogeni Babylonio videri ſolet, magno & graui Stoico: aliud Antipatro, diſcipulo eius, homini acutiſſimo. Antipatro, omnia patefaciẽda, vt nequid omnino, quod venditor norit, emptor ignoret: Diogeni, venditorem, quatenus iure ciuili cõſtitutum ſit, dicere vitia oportere: cetera ſine inſidijs agere: & quoniã vendat, velle quàm optimè vendere. Aduexi, expoſui: vendo meum non pluris, quàm ceteri: fortaſſe etiã minoris, cùm maior eſt copia, cui fit iniuria? Exoritur Antipatri ratio ex altera parte: Quid agis? tute cùm hominibus conſulere debeas, & ſeruire humanæ ſocietati, eaq; lege natus ſis, & ea habeas principia naturæ, quibus parẽre, & quæ ſemper ſequi debeas, vt vtilitas tua, communis vtilitas ſit: [b] viciſſim, & æquè communis vtilitas, tua ſit: celabis homines, quid ijs adſit commoditatis, & copiæ? Reſpondebit Diogenes fortaſſe ſic. Aliud eſt celare, aliud tacere, neque ego nunc te celo, ſi tibi nõ dico, quæ natura deorum ſit, quis ſit finis bonorum: quæ tibi plus prodeſſent cognita, quàm tritici vtilitas: ſed non, quidquid tibi audire vtile eſt, id mihi dicere neceſſe eſt. Imò verò, inquit ille, neceſſe eſt, ſi quidẽ meminiſti eſſe inter homines naturã coniũctam ſocietatem. Memini, inquit ille, ſed num iſta ſocietas talis eſt, vt nihil ſuum cuiuſq; ſit? quod ſi ita eſt, [c] nec vendendum quidem quidquam eſt, ſed donãdum. Vides in hac tota diſceptatione nõ illud dici, quamuis hoc turpe ſit: [d] tamen, quoniam expedit, faciam: ſed ita expedire, vt

a *Lab. Alexandr.*

b *v.c. viciſſimq; communis vtil. &c.*

c *Nec vẽdẽdum quidem.*

d *q.v.c. quoniam tamen exp.*

vt turpe non sit: ex altera autem parte, ea re, quia turpe sit, non esse faciendum. Vendat ædeis vir bonus propter aliqua vitia, quæ ipse norit, ceteri ignorent: pestilentes sint, & habeantur salubres: ignoretur in omnibus [a] cubiculis apparere serpenteis: [b] malæ materiæ, ruinosæ, sed hoc, præter dominũ, nemo sciat. quæro, si hoc emptoribus venditor non dixerit, ædeisq; vendiderit pluris multo, quàm se vẽditurum putarit, num [c] id iustè, an improbè fecerit. Ille verò, (inquit Antipater) improbè facit. Quid enim est aliud, erranti viam non monstrare, (quod Athenis execrationibus publicis [d] sancitum est) si hoc non est: emptorem pati ruere, & per errorem in maximam fraudem incurrere? plus etiam est, quàm viam non monstrare, nam est scientem in errorem alterum inducere. Diogenes contrà. Num te emere coegit, qui ne hortatus quidem est? ille, quod non placebat, proscripsit: tu, quod placebat, emisti, quòd si, qui proscribunt, VILLAM BONAM, beneq; ædificatam, non existimantur fefellisse, etiam si illa nec bona est, nec ædificata ratione, multò minus, qui domum nõ laudarũt. vbi enim iudicium emptoris est, ibi fraus venditoris quæ potest esse? sin autem dictum non omne præstandum est, quod dictum non est, id præstandum putas? Quid verò est stultius, quàm venditorem, eius rei, quam vendat vitia narrare? quid autem tam absurdũ, quàm si domini iussu ita præco prædicet? DOMVM PESTILENTEM VENDO. Sic ergo in quibusdam causis dubijs ex altera parte defenditur honestas, ex altera ita de vtilitate dicitur, vt id, quod vtile videatur, non modò facere honestum sit: sed etiam, non facere turpe. Hæc est illa, quæ videtur vtilium fieri cum honestis sæpe dissensio.

a *al. cubilibus.*
b *v. c. malè materiatæ.*
c *L. iniustè, aut improbè.*
d *v. c. sanctum.*

*Superiori altercationi philosophorũ suã interponit sententiã, omnino viro bono neq; simulandum esse quicquam, neq; dissimulandum sui commodi causa, etiam si mos legesq; ciuiles quædam reticeri non vetent.*

QVAE dijudicãda ſunt. Non enim, vt quæreremus, expoſuimus, ſed vt explicaremus. Non igitur videtur nec frumentarius ille Rhodius, nec hic ædium venditor, celare emptores debuiſſe. Neque enim id eſt celare, [a] quidquid reticeas: ſed cùm, quod tu ſcias, id ignorare emolumenti tui cauſa velis eos, quorum interſit id ſcire. Hoc autem celandi genus quale ſit, & cuius hominis, quis non videt? certè non aperti, non ſimplicis, non ingenui, non iuſti, non viri boni: verſuti potiùs, obſcuri, attuti, fallacis, malitioſi, callidi, veteratoris, vafri, hæc tota, & alia plura, nónne inutile eſt vitiorum ſubire nomina? Quòd ſi vituperandi ſunt, qui reticuerunt: quid de ijs exiſtimandum eſt, qui orationis vanitaté adhibuerunt? Caius Canius, eques Romanus, [b] homo nec infacetus, & ſatis literatus, cùm ſe Syracuſas [c] otiandi cauſa, non negotiandi, vt ipſe dicere ſolebat, contuliſſet, dictitabat ſe hortulos, aliquos velle emere, quò inuitare amicos, & vbi ſe oblectare ſine interpellatoribus poſſet. quod cùm [d] percrebuiſſet, Pythius ei quidã, qui argentariam faceret Syracuſis, dixit venaleis quidem ſe hortos non habere, ſed licere, vti Canio, ſi vellet, vt ſuis: & ſimul ad cenam hominem in hortos inuitauit in poſterum diem. cùm ille promiſiſſet tum Pythius, vt argentarius, qui eſſet apud omneis ordines gratioſus, piſcatores ad ſe [e] vocauit, & ab his petiuit, vt ante ſuos hortulos [f] poſtera die piſcarentur: dixitque, quid eos facere vellet. Ad cenam [g] tempore venit Canius: [h] opiparè paratum erat conuiuium: cymbarum ante oculos multitudo. pro ſe quiſque, quod ceperat, afferebat: ante pedes Pythij piſces abijciebantur. Tum Canius, Quæſo, inquit, [i] quid eſt, Pythi, tantúmne piſcium, tantúmne cymbarum? Et ille, Quid mirum? inquit, hoc loco eſt, Syracuſis quidquid eſt piſcium: hic aquatio: hac villa iſti carere non poſſunt. Incenſus Canius cupiditate, contendit à Pythio, vt venderet

a *q. v. e. cùm quid reticeas.*

b *vox, homo abeſt ab o. v. c.*

c *L. otiandi, vt ipſe dicere ſolebat, nó negotiandi cauſa, cõtuliſſet.*

d *L. percrebruiſſet.*

e *v. c. conuocauit.*

f *v. c. poſtridie piſc.*

g *L. tempori.*

h *L. opiparè à Pythio apparatum conuiuium.*

i *L. quid eſt hoc, Pythi, al. quid hoc? Pythi.*

deret. Grauatè ille primò, quid multa? impetrat. emit homo cupidus,& locuples,tanti,quanti Pythius voluit, & emit inſtructos: nomina facit: negotium conficit. inuitat Canius [a] poſtera die familares ſuos. venit ipſe maturè, ſcalmum nullum videt. quærit ex proximo vicino, num feriæ quædam piſcatorum eſſent, quòd eos nullos videret. Nullæ,(quod ſciam) inquit ille: ſed hic piſcari nulli ſolent. itaque heri mirabar, quid accidiſſet. Stomachari Canius. [17] Sed quid faceret nondum enim Aquillius, collega, & familiaris meus, [b] pertulerat de dolo malo formulas: in quibus ipſis cum ex eo quæreretur, quid eſſet dolus malus: reſpondebat, cum eſſet aliud ſimulatum, aliud actũ. Hoc quidem ſanè [c] luculẽ. ter, vt ab homine perito definiendi. Ergo & Pythius,& omnes aliud agentes, aliud ſimulantes, perfidi, improbi, malitioſi ſunt. Nullum igitur factum eorum poteſt vũle eſſe, cum ſit tot vitijs inquinatum. Quòd ſi Aquilliana definitio vera eſt: ex omni vita ſimulatio, diſſimulatioque tollenda eſt. ita nec, vt émat melius, nec vt vẽdat, quidquam ſimulabit, aut diſſimulabit vir bonus. Atque iſte dolus malus etiam legibus erat vindicatus, vt tutela XII. tabulis, & circumſcriptio adoleſcentium lege [d] Latoria: & ſine lege, iudicijs, [e] in quibus EX FIDE BONA AGITVR. Reliquorum autem iudiciorum hęc verba maximè excellunt, in arbitrio rei vxoriæ, MELIVS, AEQVIVS: in fiducia, VT INTER BONOS BENE AGIER. Quid ergo? aut in eo, quod MELIVS, AEQVIVS: poteſt vlla pars ineſſe fraudis? aut, cum dicitur, VT INTER BONOS BENE AGIER, quidquam agi dolosè, aut malitiosè poteſt? Dolus autem malus ſimulatione, & diſſimulatione, vt ait Aquilius, continetur. tollendum eſt igitur ex rebus contrahendis omne mendacium. non licitatorem venditor, nec qui contra ſe liceatur, emptor [f] opponet: vterque, ſi ad loquendũ venerit, non plus, quàm ſemel, eloquetur. Q.

a *v.c. poſtridie.*

b *L. protulerat.*

c *q. v. c. luculentè.*

d *L. Latorias & v. c.*

e *L. in quib. additur, EX FIDE BONA.*

f *v. c. opponat.*

quidé Scæuola,P. filius, cum poſtulaſſet,vt ſibi fundus, cuius emptor erat, ſemel indicaretur, idq; venditor ita feciſſet: dixit,ſe pluris æſtimare:addidit centum milia. nemo eſt,qui hoc boni viri fuiſſe neget, ſapiétis negãt: vt ſi minoris, quã potuiſſet, vendidiſſet. Hæc igitur eſt illa pernicies,quòd alios bonos,alios ſapientes exiſtimant. ex quo Ennius, Nequicquam ſapere ſapientem, qui ſibi ipſi prodeſſe nequiret. Verè id quidem,ſi, quid eſſet, PRODESSE, mihi cũ Ennio conueniret. Hecatonem quidem Rhodium, diſcipulum Panætij, v deo in ijs libris,quos[a] de officijs ſcripſit, Q. Tuberoni,dicere,Sapientis eſſe,nihil contra mores,leges,inſtituta facientẽ,habere rationem rei familiaris.neq; enim ſolum nobis diuites eſſe volumus,ſed liberis,propinquis,amicis,maximeq; reip. ſingulorum enim facultates, & copię,diuitię ſunt ciuitatis Huic Sceuolę factum,(de quo paullo antè dixi.) placere nullo modo poteſt. etenim omnino ſe negat facturum compendij ſui cauſa, quod non liceat.Huic[b] nec laus maxima tribuenda eſt, nec gratia. Sed ſiue & ſimulatio, & diſſimulatio, dolus malus eſt,perpaucę res ſunt,in quibus dolus iſte malus nõ verſetur:ſiue vir bonus eſt is,qui prodeſt,quibus poteſt, nocet nemini,[c] rectè iuſtum virum, bonũ non facilè reperiemus.Nunquam igitur eſt vtile peccare, quia ſemper eſt turpe:&,quia ſemper eſt honeſtũ,virum bonum eſſe, ſemper eſt vtile. Ac de iure quidem prædiorum, [d] ſancitum eſt apud nos iure ciuili, vt in his vendendis vitia dicerentur,quæ nota eſſent venditori. Nam, cùm ex XII. tabulis ſatis eſſet [e] cautũ ea præſtari,quæ eſſent LINGVA NVNCVPATA,quæ qui inficiatus eſſet,duplicem pœnam ſubiret:à iureconſultis etiam reticentiæ pœna eſt inſtituta. Quidquid enim [f] ineſt prædio vitij, id ſtatuerunt ſi venditor ſciret,niſi nominatim dictũ eſſet,præſtari oportere,Vt, cùm in arce auguriũ augures acturi eſſent,iuſſiſſentq; Titum Claudium[g] Centimalũ, qui

a *al.de officio*

b *al.nec laus magna, nec gratia tribuenda eſt.*

c *L.certè iſtũ virum bonũ non.*

d *v.c.ſanctũ eſt.*

e *vox, cautum,delenda.*

f *L.ineſſet in pr.*

g *al. Centimanum, al. Centhonem.*

qui ædeis in Cœlio monte habebat, demoliri[a] eas, quarũ altitudo officeret auſpicijs. Claudius proſcripſit inſulam, vendidit: emit P. Calpurnius Lanarius. huic ab auguribus illud idem denuntiatũ eſt. Itaq; Calpurnius cùm demolitus eſſet, cognouiſſetque, Claudium ædeis poſteà proſcripſiſſe, quàm eſſet ab auguribus demoliri iuſſus, [b]ad arbitriũ illum adegit, QVIDQVID SIBI DE eare FACERE OPORTERET EX FIDE BONA. M. Cato ſententiam dixit, huius noſtri Catonis pater: Vt enim cæteri ex patribus, ſic hic, qui lumen illud progenuit, ex filio eſt nominandus: Is igitur iudex ita pronuntiauit: cùm in venundando rem eam ſciſſet, & non pronuntiaſſet, emptori damnũ [c]præſtari oportere. Igitur ad fidem bonã ſtatuit pertinere, notũ eſſe emptori vitium, quod noſſet vẽditor. Quod ſi rectè iudicauit: nõ recte frumentarius ille, non rectè ędiũ peſtilentiũ venditor tacuit, ſed huiuſmodi reticentię iure ciuili omnes comprehendi non poſſunt: quæ autẽ poſſunt, diligenter tenẽtur. M. Marius Gratidianus, propinquus noſter, C. Sergio Oratæ vendiderat ædeis eas, quas ab eodem ipſe paucis ante annis emerat. hę Sergio ſeruiebant: ſed hoc in mancipio Marius nõ dixerat. Adducta res in iudicium eſt. Oratam Craſſus, Gratidianum defendebat Antonius. ius Craſſus vrgebat: [d]quòd vitium venditor non dixiſſet ſciens, id oportere præſtari: æquitatẽ Antonius: quoniam id vitium ignotum Sergio non fuiſſet, qui illas ædeis vendidiſſet, nihil fuiſſe neceſſe dici: nec eum eſſe deceptum, qui id, quod emerat, quo iure eſſet, teneret. Quorſum hæc? vt illud intelligas, [18] non placuiſſe maioribus noſtris aſtus. Sed aliter leges, aliter philoſophi tollũt aſtutias: leges, quatenus tenẽre manu [e]res poſſunt: philoſophi, quatenus ratione, & intelligẽtia. Ratio igitur hoc poſtulat, ne quid inſidioſè, ne quid ſimulatè, ne quid fallaciter. Súntne igitur inſidię, tẽdere plagas, etiam ſi excitaturus non ſis, nec agitaturus? ipſę

a *L. ea, quarum*

b *L. arbitriũ illum adegit.*

c *al præſtare*

d *L. quo vitij vend.*

e *vocula, res, non reperitur in v. c.*

enim feræ nullo inſequente ſæpe[a] incidunt: ſic tu cùm ædeis proſcribas, tabulam, tanquam plagam, ponas, domum propter vitia vendas, in eam aliquis incurrat imprudens? Hoc quanquam video propter deprauationem conſuetudinis, neque more turpe haberi, neque aut lege ſanciri, aut iure ciuili:[b] naturæ tamen lege ſancitum eſt, ſocietas enim eſt, (quod etſi ſæpe dictum eſt dicendum tamen eſt ſæpius) latiſſimè quidem quæ pateat, hominum inter homines. interior eorum, qui eiuſdem gentis ſunt: propior eorum, qui eiuſdem ciuitatis. Itaque maiores aliud ius gentium, aliud ius ciuile eſſe voluerunt. quod[c] enim ciuile, non idem continuò gentium: quod autem gentium, idem ciuile eſſe debet. Sed nos veri iuris, germanæque iuſtitiæ ſolidam, & expreſſam effigiem nullam tenemus: vmbra, & imaginibus vtimur:[d] eaſque ipſas vtinam ſequeremur. feruntur enim ex optimis naturæ principijs, & veritatis exemplis. Nam quanti verba illa, VT INE PROPTER TI, FIDEMVE TVAM CAPTVS, FRAVDATVS VE SIEM: quàm illa aurea: VT INTER BONOS BENE AGIER OPORTET, ET SINE FRAVDATIONE? Sed, qui ſint boni, & quid ſit, bene agi, magna quæſtio eſt. Qu. quidem Scæuola, pontifex max. ſummam vim dicebat eſſe in omnibus ijs arbitrijs, in quibus adderetur, EX FIDE BONA: fideique bonæ nomen exiſtimabat manare latiſſimè, idque verſari in tutelis, ſocietatibus, fiducijs, mandatis, rebus emptis, venditis, conductis, locatis, quibus vitæ ſocietas continetur: in his magni eſſe iudicis, ſtatuere, præſertim cùm in pleriſq; eſſent iudicia contraria, quid quemq; cuique prę-ſtare oportet. Quocirca aſtutiæ tollendæ ſunt, eaque malitia, quæ vult illa quidem videri ſe eſſe prudentiam, ſed abeſt ab ea, diſtátq; plurimum. Prudentia eſt enim locata[e] in delectu bonorum, & malorum: malitia, ſi omnia, quæ turpia ſunt, mala ſunt,[19] mala bonis anteponit

a *fort. in eas incidunt.*

b *L. tamen natura lex ſanctum eſt.*

c *particula enim, abeſt ab o.v.c.*

d *L. eas ipſas*

e *v.c. in delectu bon.*

ponit. Nec verò in prædijs ſolùm ius ciuile, ductum à natura, malitiam, fraudemq́; vindicat: ſed & in mancipiorum venditione vẽditorum fraus omnis excluditur. qui enim ſcire debuit, de ſanitate, de fuga, de furtis, præſtat edicto ædilium. hæredum alia eſt cauſa. ex quo intelligitur, quoniam iuris natura fons ſit, hoc ſecundum naturã eſſe, neminem id agere, vt ex alterius prædetur [a] inſcitia. nec vlla pernicies vitæ maior inueniri poteſt, quàm in malitia ſimulatio intelligentiæ: ex quo illa innumerabilia naſcuntur, vt vtilia cum honeſtis pugnare videantur. quotus enim quiſq; reperietur, qui, impunitate, & ignoratione omnium propoſita, abſtinere poſſit iniuria? Periclitemur, ſi placet, in ijs quidẽ exemplis, in quibus [b] peccare vulgus hominũ fortaſſe nõ putat. Neq; enim de ſicarijs, veneficijs, teſtamẽtarijs, furibus, peculatoribus hoc loco diſſerẽdum eſt: qui non verbis ſunt, & diſputatione philoſophorum, [20] ſed vinculis & carcere [c] caſtigandi: ſed hæc conſideremus, quæ faciunt ij, qui habentur boni. L. Minutij [d] Baſilij, locupletis hominis, falſum teſtamentũ quidem è Græcia Romam attulerunt: quod quo facilius obtinerent, ſcripſerunt heredes ſecum M. Craſſum, & Qu. Hortenſium, [21] homines [e] eiuſdem ciuitatis potentiſſimos: qui, cùm illud falſum eſſe ſuſpicarentur, ſibi autem nullius eſſent conſcij culpæ: alieni facinoris munuſculum non repudiauerunt. Quid ergo? ſatin' hoc eſt, vt non deliquiſſe videantur? mihi quidem non videtur: quãquam alterum amaui viuum, alterum non odi mortuum. Sed cùm [f] Baſilius M. [g] Satyrium, ſororis filium, nomen ſuum ferre voluiſſet, eumq́; feciſſet heredem: hunc dico patronum agri Piceni, & Sabini (ô turpẽ notam temporũ illorum) [22] num erat æquum, principes ciuitatis rẽ habere, [h] ad Satyrium nihil præter nomen, peruenire? Etenim, ſi is, qui nõ defendit iniuriã, neq; propulſat à ſuis, cùm poteſt, iniuſtè facit, vt in primo libro diſſerui: qualis habendus eſt is,

a *L. inſcientia.*

b *L. peccari.*

c *v. c. fatigandi.*

d *L. Baſili.*

e *v. c. eiuſdẽ ætatis pot.*

f *L. Baſilus.*

g *L. Satriũ.*

h *L. ad Satyrium.*

qui nõ modò non repellit, ſed etiam adiuuat iniuriam. Mihi quidem etiam veræ hæreditates non honeſtæ videntur, ſi ſint malitioſis blanditijs officiorum, non veritate, [a] ſed ſimulatione quæſitæ. Atqui in talibus rebus aliud vtile interdũ, aliud honeſtum videri ſolet. Falsò: nã eadem vtilitatis, quæ honeſtatis eſt regula: qui hoc non [b] præuiderit, ab hoc nulla fraus aberit, nullũ facinus. ſic enim cogitans: Eſt illud quidem honeſtum, verùm hoc expedit: res à natura copulatas audebit errore diuellere: [23] qui fons eſt [c] fraudum, maleficiorũ, ſcelerum omnium. Itaque ſi vir bonus habeat hanc vim, vt ſi digitis concrepuerit, poſſit in locupletiũ teſtamenta nomen eius irrepere, hac vi nõ vtatur, ne ſi exploratum quidem habeat, id omnino neminẽ vnquam ſuſpicaturum. At ſi dares hãc vim M. Craſſo, vt digitorum percuſſione hæres poſſet ſcriptus eſſe, qui re vera nõ eſſet hæres: in foro, mihi crede, ſaltaret. homo autem iuſtus, & is, quem ſentimus virum bonum, nihil cuiquam, quod in ſe trãſferat, detrahet. Hoc qui admiratur, is ſe, qui ſit vir bonus, neſcire fateatur. At verò [d] ſi quis voluerit animi ſui complicatam notionẽ euoluere, iam ſe ipſe doceat, eũ virũ bonũ eſſe, qui proſit quibus poſſit: noceat nemini, niſi laceſſitus iniuria. Quid ergo? hic non noceat, qui quodã quaſi veneno perficiat, vt veros hæredes moueat, in eorum locum ipſe ſuccedat? [e] Nõ ergo faciat, dixerit quis, quod vtile ſit, quodq; expediat? Immo intelligat, nihil nec expedire, nec vtile eſſe, quod ſit iniuſtum. hoc qui non didicerit, bonus vir eſſe non poterit. Fimbriam cõſularem, audiebam de patre noſtro puer, iudicem M. Lutatio Pinthiæ fuiſſe, equiti Romano, ſanè honeſto, cùm is ſponſionẽ feciſſet, NI BONVS VIR ESSET. itaq; ei dixiſſe Fimbriam, ſe illam rẽ nũquã iudicaturũ: ne aut ſpoliaret fama probatum hominem, ſi contrà iudicaſſet: aut ſtatuiſſe videretur, virum bonum aliquem eſſe, cùm ea res innumerabilib⁹ officijs, & laudibus cõtinere-

a *hortatum, ſed ſimulatione, delet L.*

b *L. perui-derit, & ita v.c.*

c *L fraudũ, & ita v.c.*

d *ve ſi qui vol.*

e *L. Negiguur.*

tineretur. Huic igitur viro bono, quem Fimbria etiam, non modò Socrates nouerat, nullo modo videri poteſt quidquam eſſe vtile, quod non honeſtum ſit Itaque talis vir nō modò facere, ſed [a] nec cogitare quidem quidquam audebit, quod non audeat prædicare Hęc nónne eſt turpe, dubitare philoſophos, quæ ne ruſtici quidem dubitent? à quibus natum eſt id, quod iam [b] tritum eſt vetuſtate prouerbium: cùm enim fidem alicuius, bonitatemque laudant: dignum eſſe dicunt, qui cum in tenebris mices. Hoc quam habet vim, niſi illam, nihil expedire, quod non deceat, etiam ſi id poſſis nullo refellente obtinere? Vidéſne igitur, hoc prouerbio, neque Gygi illi poſſe veniam dari, neq; huic, quem paullò antè fingebam digitorum percuſſione [25] hereditates omnium [c] poſſe ad ſeſe conuertere? Vt enim, quod turpe eſt, id quamuis occultetur, tamen honeſtum fieri nullo modo poteſt: ſic, quod honeſtum non eſt, id vtile vt ſit, effici non poteſt, aduerſante etiam, & repugnāte natura. At enim, cùm permagna præmia ſunt, eſt cauſa peccandi. C. Marius cùm à ſpe conſulatus longè abeſſet, & iam ſeptimum annum poſt præturam iaceret, neq; petiturus vnquam conſulatum videretur: Qu. Metellum, cuius legatus erat, ſummum virū, & ciuem, cùm ab eo, imperatore ſuo, Romam miſſus eſſet, apud populum R. criminatus eſt, bellum illum [d] producere: ſi ſe conſulem feciſſent, breui tempore aut viuum, aut mortuum, Iugurtham ſe in poteſtatem populi R. redacturum Itaque factus eſt ille quidem conſul, ſed à fide, iuſtitiaque diſceſſit, qui optimum, & grauiſſimum ciuem, cuius legatus, & à quo miſſus eſſet, in inuidiam falſo crimine adduxerit. [e] Nec noſter quidem Gratidianus officio boni viri functus eſt tum, cùm prætor eſſet, collegiumq; prętorum tribuni plebis adhibuiſſent, vt res nummaria de communi ſententia conſtitueretur.

a *L. ne cogitare quidem.*

b *L. contritum eſt.*

c *L. poſſe conuertere?*

d *L. Ducere.*

e *v.c. Ne noſter quidem.*

25 *Iactabatur enim temporibus illis nummus, ſic, vt nemo poſſet*

*ſcire, quid haberet.*

Conſcripſerũt communiter edictum cum pœna, atq; iudicio: conſtitueruntque, vt omnes ſimul in roſtra poſt meridiem [a] deſcenderẽt: & cæteri quidẽ alius aliò: Marius à ſubſellijs in roſtra recta: idq;, quod communiter compoſitum fuerat, ſolus edixit. & ea res (ſi quæris) ei magno honori fuit. Omnibus vicis ſtatuæ [b] factæ ſunt ad eas thus, & cerei. Quid multa? Nemo vnquã multitudini fuit carior. [26] Hæc ſunt, quæ conturbant [c] homines in deliberatione nonnunquam, cùm id, in quo violatur æquitas, non ita magnum: illud autem, quod ex eo paritur, permagnum videtur: vt Mario, præripere collegis, & tribunis pleb. popularem gratiam, non ita turpe: conſulem ob eam rem fieri, quod ſibi tunc propoſuerat, valdè vtile videbatur. Sed omniũ vna regula eſt, quam cupio tibi eſſe notiſſimam: aut illud, quod vtile videtur, turpe ne ſit: aut, ſi eſt turpe, ne videatur eſſe vtile. Quid igitur? poſſumúſne aut illum Marium, virum bonum iudicare, aut hũc? Explica, atque excute intelligentiam tuam, vt videas, quæ ſit in ea, ſpecies, forma, & notio viri boni. Cadit ergo in virum bonum, mentiri emolumenti ſui cauſa, criminari, præripere, fallere? nihil profectò minùs. Eſt ergo vlla res tanti, aut commodum vllum tam expetendum, vt viri boni, & ſplendorem, & nomen amittas? quid eſt, quod afferre tantum vtilitas iſta, quæ dicitur, poſſit, quantum auferre, ſi boni viri nomen eripuerit? fidem, iuſtitiamq; detraxerit? Quid enim intereſt, vtrum ex homine [27] ſe conuertat quis in beluam, an in hominis figura immanitatem gerat beluæ? Quid? qui omnia recta, & honeſta negligunt, dummodo potentiam conſequantur, nónne idem faciunt, quod is, qui etiam ſocerũ habere voluit eum, cuius ipſe audacia potens eſſet? Vtile [d] ei videbatur plurimũ poſſe alterius inuidia. id quàm iniuſtum in patriam, quàm inutile, quàm turpe eſſet, non videbat. Ipſe autem ſocer in

a *q.v.c. adſcenderent.*

b *hæ duæ voces faciæ ſunt ſilende.*

c *vox, homines, non reperitur in lib. manuſcr.*

d *alenim v.*

in ore ſemper Græcos verſus Euripidis de Phœniſſis habebat, quos dicam vt potero, inconditè fortaſſe, ſed tamen vt res poſſit intelligi.

Nam ſi violandum eſt ius, regnandi gratia
Violandum eſt: alijs rebus pietatem colas.

Capitalis Eteocles, vel potius Euripides, qui id vnũ, quod omnium ſceleratiſſimum fuerat, exceperit. Quid igitur minuta colligimus, hereditates, mercaturas, venditiones fraudulentas? Ecce tibi, qui rex populi R. dominuſq́ue omnium gentium eſſe concupierit, idq́ue perfecerit. [28] Hanc cupiditatem ſi quis honeſtam eſſe [a] dicit, amens eſt. probat enim legum, & libertatis interitum: earumq́ue oppreſſionem terram, & deteſtabilem, glorioſam putat. Qui autem [b] fateatur, honeſtum non eſſe in ea ciuitate, quæ libera fuit, quæq́ue eſſe debeat, regnare, ſed ei qui id facere poſſit, eſſe vtile: qua hunc obiurgatione, aut quo potiùs conuicio à tanto errore [29] coner [c] auertere? Poteſt enim, dij immortales, cuiquam eſſe vtile fœdiſſimum, & tæterrimum [d] parricidium patriæ quamuis eo qui ſe obſtrinxerit, ab oppreſſis ciuibus Parens nominetur? Honeſtate igitur dirigenda vtilitas eſt, & quidem ſic, [e] vt hæc duo [30] verba inter ſe diſcrepare, ſed tamen vnum ſonare videantur. Nunc [f] abeo ad vulgi opinionem. Quæ maior vtilitas, quàm regnandi, eſſe poſſit? nihil contra inutilius ei, qui iniuſtè conſecutus ſit, inuenio, cùm ad veritatem cœpi reuocare rationem. poſſunt enim cuiquam eſſe vtiles angores, ſollicitudines, diurni & nocturni metus, vita inſidiarum periculorumq́ue pleniſſima?

—Multi iniqui, atq; infideles regno, pauci ſunt boni,—inquit Accius. At cui regno? quod à Tantalo, & Pelope proditũ iure obtinebatur. Nam quãto plures ei regi putas, [g] qui cum exercitu populi R. populum ipſum R. oppreſſiſſet, ciuitatemq́; non modo liberam, ſed etiã gentibus imperantem, ſeruire ſibi coëgiſſet? Hunc tu

a *L. dicit.*

b *L. fatetur.*

c *q. v. c. auellere?*

d *L. patricidium.*

e *L. vt hæc duo, verbo vter ſe diſcrepare, re vnũ.*

f *v. c. adeo ad v.*

g *L. qui exercitu populi R.*

quas conſcientiæ labes [a] animo cenſes habuiſſe? quæ vulnera? Cuius autẽ vita ipſi poteſt vtilis eſſe, cùm eius vitæ ea conditio ſit, vt, qui illam eripuerit, in maxima & gratia futurus ſit, & gloria? Quod ſi hæc vtilia non ſunt, quæ maximè videntur, quia plena ſunt dedecoris, ac turpitudinis: ſatis perſuaſum eſſe debet, nihil eſſe vtile, quod non honeſtum ſit. Quanquam id quidem, cùm ſæpè aliâs, tum Pyrrhi bello à C. Fabricio, conſule iterum, & à ſenatu noſtro iudicatum eſt. Cùm enim rex Pyrrhus populo R. bellum vltro intuliſſet, cámque de imperio certamen eſſet cum rege generoſo, ac potẽte, perfuga ab eo venit in caſtra Fabricij, eiq; eſt pollicitus ſi præmium ſibi propoſuiſſet, ſe, vt clam veniſſet, ſic clàm in Pyrrhi caſtra rediturũ, & eum veneno necaturum. Hunc Fabricius reducendum curauit ad Pyrrhũ: idq; eius factum, à ſenatu laudatũ eſt. Atqui ſi ſpeciem vtilitatis, opinionemq; quærimus magnum illud bellũ perfuga vnus, & grauẽ aduerſarium imperij ſuſtuliſſet: ſed magnum dedecus, & flagitiũ, quicum laudis certamen fuiſſet, eum non virtute, ſed ſcelere ſuperatũ. Vtrũ igitur vtilius vel Fabricio, qui talis in hac vrbe, qualis Ariſtides Athenis fuit, vel ſenatui noſtro, qui nũquam vtilitatem à dignitate ſeiũxit, armis cum hoſte certare, an venenis? Si gloriæ cauſa imperium expetendum eſt, ſcelus abſit, in quo non poteſt eſſe gloria. ſin ipſæ opes expetuntur [b] quoquo modo, non poterunt vtiles eſſe cum infamia. Non igitur vtilis illa L. Philippi. Qu. filij, ſentẽtia, quas ciuitates L. Sylla, pecunia accepta, ex ſenatuſcõſulto liberauiſſet, vt hę rurſus vectigales eſſent: neq; his pecuniam, quam pro libertate dederant, redderemus. Eſt ei ſenatus aſſenſus turpe imperio, piratarum enim melior fides, quàm ſenatus. At aucta vectigalia, vtile igitur. Quouſque audebunt dicere quidquam vtile, quod non honeſtum? Poteſt autem vlli imperio, quod gloria debet fultum eſſe, & beneuolentia ſociorũ, vtile

a *L. in animo.*

b *q.v.c. quoquo modo.*

vtile esse odium, & infamia? Ego etiam cum Catone meo sæpe dissensi, nimis [a]enim mihi videbatur præfractè ærarium, vectigalháque defendere: omnia publicanis negare, multa socijs: cum in hos benefici esse deberemus: cum illis sic agere, vt cum colonis nostris soleremus: eoque magis, quod illa ordinum coniunctio ad salutem reip. pertinebat. Malè etiam Curio, cùm causam Transpadanorum æquam esse dicebat: semper autem addebat, [a1] Vincat vtilitas. Potiùs [b] diceret, nõ esse æquam, quia non esset vtilis reip. [c] quàm, cùm æquam esse diceret, non esse vtilem fateretur.

a *enim, abeſt ab o.v.s.*

b *L. doceret*

c *fort. quàm cùm vtile nõ eſſe diceret, eſſe æquã fateretur*

*Formulas aliquot, & rogatiuuculas collegit non inamœnas, in quibus videtur aliud hortari vtilitas, aliud honestas.*

PLENVS est sextus liber de officijs Hecatonis, taliũ quæstionum: Sitne boni viri, in maxima caritate annonæ, familiam non alere in vtramq; partem disputat: sed tamen ad extremum vtilitate putat officium dirigi magis, quàm humanitate. Quærit, si in mari iactura facienda sit, equíne pretiosa potius iacturam faciat, an seruuli vilis. hic aliò res familiaris, aliò ducit humanitas. Si tabulã de naufragio stultus arripuerit, extorquebitne eam sapiens, si potuerit? negat, quia sit iniurium. quid? dominus nauis, eripiétne suum? minimè, non plus quàm si nauigantem in alto, ejicere de naui velit, [d]quia sua nõ sit. quoad enim peruentũ sit eò, quò sumpta nauis est, non domini est nauis, sed nauigantium. [e]Quid, si vna tabula sit, duo naufragi, hiq; sapientes, [f]sibine vterque rapiat, an alter cedat alteri? cedat verò: sed ei, cuius magis interfit vel sua, vel reip. causa, viuere. Quid, si hęc paria in vtroque? nullum erit certamen, sed quasi forte, aut micãdo victus, alteri cedat alter. Quid si pater fana expilet, cuniculos agat [g]in ærarium: indicetne id magistratibus filius? nefas id quidem est. quin etiã defendat patrem, si arguatur. non igitur patria præstabit omnibus officijs: [h]imò verò: sed ipsi patriæ conducit, pios ciueis

d *v.c. quia sua sit*

e *q.v.c. Quid si in vna tabula sint duo naufragi, æquè sapientes, &c.*

f *fort. sibine vteruis rapiat*

g *q.v.c. ad ar.*

h *L. Imo verò ipsi.*

habere in parentẽis. Quid,ſi tyrannidem occupare, ſi patriam prodere conabitur pater? filebitne filius? imò verò obſecrabit patrem, ne id faciat. ſi nihil proficiet: accuſabit: minabitur etiam: ad extremum ſi ad perniciem patriæ res ſpectabit, patriæ ſalutem anteponet ſaluti patris. Quærit etiam,ſi ſapiens adulterinos nummos acceperit imprudens pro bonis: cum id reſcierit, ſoluturúſne ſit eos, ſi cui debeat, pro bonis. Diogenes ait: Antipater negat: cui potius aſſentior. [33] Qui [a] vinum fugiens vendat ſciens, debeátne dicere. Non neceſſe putat Diogenes: Antipater viri boni exiſtimat. [34 b] Hæ ſunt quaſi controuerſiæ in iure Stoicorum. In mancipio vendendo, dicendáne vitia,non ea, quæ niſi dixeris, redhibeatur mancipium iure ciuili: ſed hæc, mendacem eſſe, aleatorem, furacem,ebriоſum. Alteri dicenda videntur, alteri non videntur. Si quis aurum vendens, orichalchũ ſe putet vendere,indicétne ei vir bonus,aurum illud eſſe,an emat denario,quod ſit mille denarium? Perſpicuum iam eſt, & quid mihi videatur, & quæ ſit inter eos philoſophos,quos nominaui,cõtroueríia: pacta, & promiſſa ſempérne ſeruanda ſint, quæ nec vi,nec dolo malo, vt prætores ſolent [c] dicere, facta ſint. Si quis medicamentum cuipiam dederit ad aquam intercutem, [d] pepigeritque, ne illo medicamento vmquam poſtea vteretur, ſi eo medicamento ſanus factus fuerit: & annis aliquot poſt inciderit in eundem morbum: nec ab eo, quicum pepigerat, impetret,vt [e] item eo liceat vti, quid faciendum ſit,cum ſit is inhumanus, qui non concedat vti,nec ei quidquã ſiat iniuriæ? Vitæ, & ſaluti conſulendum eſt. Quid ſiquis ſapiens rogatus ſit ab eo, qui eum hæredem faciat, cum ei teſtamento ſeſtertiũm millies relinquatur,vt antè,quàm hæreditatem adeat, [35 f] luce palam in foro ſaltet, idque ſe facturum promiſerit, quod aliter eum heredem ſcripturus ille non eſſet: faciat, quod promiſerit illi, nécne? [36] Pro-

a *L. venenũ fugiens.*

b *L. Hæc ſunt quaſi controuerſia iura Stoic.*

c *v. c. edicere*

d *L. pepigerítq; ſi eo medicamento ſanus factus eſſet,ne illo medicamẽto vmquam poſtea vteretur & annis aliquot poſt. &c.*

e *aliter vim.*

f *al. duci.*

36 Promisisse nollem, & id arbitror fuisse grauitatis. sed quoniam promisit, si saltare in foro turpe ducet, honestius mentietur, si ex hereditate nihil ceperit, [a] quàm si ceperit: nisi fortè eam pecuniam in reip. magnum aliquod tempus contulerit: vt vel saltare eum, cum patriæ cōsulturus sit, turpe non sit. Ac ne illa quidem promissa seruanda sunt, quæ non sunt ijs ipsis vtilia, quibus illa promiseris. Sol Phaethonti filio (vt redeamus ad fabulas) facturum se esse dixit, quicquid optasset: optauit, vt in currum patris tolleretur: [b] sublatus est insanus, atque qua cōstitit, ictu fulminis deflagrauit. Quanto melius fuerat, in hoc, promissum patris non esse seruatum? Quid, quòd Theseus exegit promissum à Neptuno? Cui cum tres optiones Neptunus dedisset, optauit interitum Hippolyti, filij sui, cùm is patri suspectus esset de nouerca: quo optato impetrato, Theseus in maximis fuit luctibus. Quid? Agamemnon cùm deuouisset Dianæ, quod in suo regno pulcherrimum natum esset illo anno, immolauit Iphigeniam, qua nihil erat eo quidem anno natum pulchrius. promissum potiùs non faciendum, quàm tam tætrum facinus admittendum fuit. Ergo & promissa non facienda nonnunquam: neque semper depositа reddenda [c] sunt. Si gladium quis apud te sanæ mētis deposuerit, repetat insaniens: reddere, peccatum sit: non reddere, Officium. Quid? si is, qui apud te pecuniam deposuerit, bellum inferat patriæ, reddásne depositum? non, credo: facias enim contra remp. quę debet esse cariſſima. Sic multa, quę natura honesta videtur esse, temporibus fiunt non honesta. facere promissa, stare conuentis, reddere depositа, cōmutata vtilitate, fiunt nō honesta. Ac de ijs quidem, quæ videntur esse vtilitates contra iustitiam simulatione prudentiæ, satis arbitror dictum. Sed quoniam à quatuor fontibus honestatis primo libro officia duximus, in ijsdem versabimur, cùm docebimus, ea quæ videntur esse vtilia,

a *hoc totum quàm si ceperit videtur. non esse Ciceronis.*

b *L. sublatus est. Atque ita constant.*

c *Verbum, sunt abest ab o.v.c.*

neque ſunt, quàm ſint [a] virtutis inimica. Ac de prudentia quidem, quam vult imitari malitia: itemque de iuſtitia, quæ ſemper eſt vtilis, diſputatum eſt.

a *fort. virtuti.*

## DE FORTITVDINE.

RELIQVAE ſunt duæ partes honeſtatis, quarum altera in animi excellentis magnitudine, & præſtantia cernitur: altera in conformatione, & moderatione continentiæ & temperantiæ. Vtile videbatur Vlyſſi, vt quidem poëtæ tragici prodiderunt: nam apud Homerum, optimum auctorem, talis de Vlyſſe nulla ſuſpicio eſt: ſed inſimulant eum tragediæ, ſimulatione inſaniæ militiam ſubterfugere voluiſſe. non honeſtum conſilium. At vtile (vt aliquis fortaſſe dixerit) regnare, & Ithacæ viuere otioſè cum parentibus, cum vxore, cum filio. Vllum tu decus in quotidianis periculis, & laboribus cum tranquillitate hac conferendum putas? Ego verò iſtam contemnendam, & abiiciendam: quoniam, quæ honeſta non ſit, ne vtilem quidem eſſe arbitror. Quid enim auditurum putas fuiſſe Vlyſſem, ſi in illa ſimulatione perſeuerâſſet? qui cùm maximas res geſſerit in bello, tamen hæc [b] audiuit ab Aiace:

b *v. c. audiat ab.*

Cuius ipſe princeps iuſiurandi fuit
Quod omnes ſcitis, ſolus neglexit fidem.
Furere aſſimulauit, ne coiret, inſtitit.
Quòd ni Palamedis perſpicax prudentia
Iſtius percepſet malitioſam audaciam,
[c] Fidei ſacratæ ius perpetuò falleret.

c *al. Fide ſacratũ ius perpetuum.*

Illi verò nõ modò cum hoſtibus, verùm etiam cum fluctibus, id quod fecit dimicare melius fuit, quàm deſerere conſentientẽ Græciam ad bellũ barbaris inferendũ. Sed dimittamus & fabulas, & externa: [d] ad rem factam, noſtramque veniamus. M. Atilius Regulus, cùm conſul iterum in Africa ex inſidijs captus eſſet, duce Xantippo Lacedæmonio, imperatore autẽ patre Hannibalis, Hamilcare, auratus miſſus eſt ad ſenatũ, vt, niſi redditi eſſẽt

d *L. ad rem, noſtr. iquæ veniamus al. ad rem. fact. iquæ veniamus.*

Pœnis

Pœnis captiui nobiles quidam rediret ipſe Karthaginẽ. is cum Romam veniſſet, vtilitatis ſpeciem videbat, ſed eam vt res declarat, falſam iudicauit: 37 quæ erat talis, manere in patria, eſſe domi ſuæ cũ vxore, cum liberis: quam calamitatem accepiſſet in bello, communẽ fortunæ bellicæ iudicantem, tenere conſularis dignitatis gradũ. quis hæc neget eſſe vtilia? quid cenſes magnitudo animi & fortitudo negat. An locupletiores quæris auctores? Harũ enim eſt virtutũ proprium, nil extimeſcere, omnia humana deſpicere: nihil, quod homini accidere poſſit, intolerandum putare. itaq; quid fecit? In ſenatum venit: mandata expoſuit: ſententiã ne diceret, reculauit quãdiu iurei: rãdo hoſtiũ teneretur, non eſſe ſe ſenatorem. Atq; illud etiam (ô ſtultum hominẽ, dixerit quiſpiam, & repugnantem vtilitati ſuæ) reddi captiuos, negauit eſſe vtile: illos enim adoleſcentes eſſe, & bonos duces, a eſſe ſe iam confectũ ſenectute. cuius cum valuiſſet auctoritas, captiui retenti ſunt: ipſe Karthaginẽ rediit: neq; cum carita's patriæ retinuit, nec ſuorũ. Neq; verò tum ignorabat, ſe ad crudeliſſimum hoſtem, & ad exquiſita ſupplicia proficiſci: ſed iuſiurãdum conſeruãdum putabat. Itaq; tum, cùm vigilando necabatur, erat in meliore cauſa, quàm ſi domi ſenex captiuus, periurus, & cõſularis remanſiſſet. At ſtultè, qui nõ modò non cenſuerit captiuos remittẽdos, verùm etiam diſſuaſerit. Quomodo ſtultè? etiámne ſi reip. conducebat? poteſt autẽ, quod inutile reip. ſit, id cuiquã ciui vtile eſſe? Peruertunt homines ea, quæ ſunt fundamẽta naturæ, cùm vtilitatem ab honeſtate ſeiungunt. omnes enim expetimus vtilitatẽ, ad eámq; rapimur, nec facere aliter vllo modo poſſumus. nam quis eſt, qui vtilia fugiat? aut quis potius, qui ea non ſtudioſiſſimè perſequatur? ſed quia nuſquã poſſumus, niſi in laude, decore, honeſtate vtilia reperire, propterea illa prima & ſumma habemus: vtilitatis nomen non tam ſplendidum, quàm neceſſarium

a *eſſe, abeſt ab. o. v. c.*

ducimus. Quid eſt igitur, dixerit quis, in iureiurando? num in eo timemus Iouem? At hoc quidem commune eſt omnium philoſophorũ, non eorum modò, qui deum nihil habere ipſum negotij dicunt, & nihil exhibere alteri: ſed eorum etiam, qui deum ſemper agere aliquid, & moliri volunt, nũquam nec iraſci deum, nec nocere. Quid autem iratus Iupiter plus nocere potuiſſet, quàm nocuit ſibi ipſe Regulus? nulla igitur vis fuit religionis, quæ tantam vtilitatẽ [a] peruerteret. An ne turpiter faceret? Primum, MINIMA DE MALIS. Num igitur tantum mali turpitudo iſta habebat, quãtum ille cruciatus? deinde illud etiã apud [b] Accium, Fregiſtine fidem: neq; dedi, neq; do infideli cuiquam. Quãquam ab impio rege dicitur, luculentè tamẽ dicitur. Addũt etiam, quemadmodum nos dicamus, videri quædam vtilia, quæ non ſint: ſic ſe dicere, videri quædam honeſta, quæ non ſint: vt hoc ipſum videtur honeſtũ, conſeruandi iuriſiurandi cauſa ad cruciatum reuertiſſe: ſed fit non honeſtũ, quia, quod per vim hoſtium eſſet actum, ratũ eſſe nõ debuit. Addunt etiã, quidquid valde vtile ſit, id fieri honeſtum, etiam, ſi anteà nõ videretur. Hæc ferè cõtra Regulum. Sed prima videamus. Non fuit Iupiter metuendus, ne iratus noceret: [c] quia neque iraſci ſolet, neque nocere. Hæc quidẽ ratio non magis contra Regulũ, quàm contra omne iuſiurandum valet: ſed in iureiurando, nõ qui metus, ſed quæ vis ſit, debet intelligi. eſt enim iuſiurandum, affirmatio religioſa. quod autẽ affirmatè, quaſi deo teſte, promiſeris: id tenendũ eſt. iam enim non ad iram deorũ, quę nulla eſt: ſed ad iuſtitiã, & ad fidem pertinet. nam præclarè Ennius: O fides alma, apta pinnis, & iuſiurandum Iouis. Qui igitur iuſiurandum violat, is fidem violat, quam in Capitolio vicinam Iouis Opt. Max. (vt in Catonis oratione eſt) maiores noſtri eſſe voluerunt. At enim ne iratus quidẽ Iupiter plus Regulo nocuiſſet, quàm ſibi nocuit ipſe Regulus. Certè, ſi nihil malum eſſet,

a *al. præuerteret al. præueniret.*

b *L. Attiũ.*

c *q. v. c. qui neque.*

esset, nisi dolere. Id autē non modò nō summū malum, [a] sed nec malum quidē esse, maxima auctoritate philosophi affirmāt: quorum quidem testem nō mediocrem, sed haud scio an grauissimū, Regulum, nolite, quæso, vituperare. quem enim locupletiorem quærimus, quàm [b] principem reip. qui retinendi officij causa cruciatum subierit voluntarium? Nam quod aiunt, MINIMA DE MALIS, id est, vt turpiter potiùs, quàm calamitosè: an est vllum maius malum turpitudine? quæ si in deformitate corporis habet aliquid offensionis, quanta illa deprauatio, & fœditas turpificati animi debet videri? Itaque, neruosiùs qui ista disserunt, solùm audent malū dicere id, quod turpe sit: qui autē remissiùs, hi tamen non dubitant summū malum dicere. Nam illud quidē, Neq; dedi, neque do fidem infideli cuiquam: idcirco rectè à poëta [c] dicitur, quia, cùm tractaretur Atreus, personæ seruiendum fuit. [d] Sed si hinc sibi sumunt, nullam esse fidem, quæ infideli data sit: videant, ne quæratur latebra periurio. Est autem etiam ius bellicum, fidesq; iurisiurandi sæpe [e] hosti seruāda. Quod enim ita iuratum est, vt mens [f] deferentis cōciperet fieri oportere, id seruandum est: quod aliter, id si non feceris, nullum periurium est. vt, si prædonibus pactum pro capite pretium non attuleris, nulla fraus est, ne si iuratus quidem id nō feceris. nam pirata nō est ex perduellium numero definitus: sed communis hostis omnium. cum hoc nec fides esse debet: nec iusiurandum commune. Non enim falsum iurare, [g] peierare est: sed, quod ex animi tui sententia iuraueris, sicut verbis concipitur more nostro, id non facere, periurium est. Scitè enim Euripides:

[h] Iuraui lingua, mentem iniuratam gero.

Regulus verò non debuit conditiones, pactionesq; bellicas, & hostileis perturbare periurio. cum isto enim, & legitimo hoste res gerebatur, aduersus quem & totum ius fetiale, & multa sunt iura communia, quod ni

a *L. sed ne malum q.*

b *v.c. principem P.R.*

c *verbum dicitur, nō comparet in libris antiq.*

d *L. Sed si hoc sibi sumens null.*

e *v.c. cū hoste seruanda.*

f *vox, deferētis, nullis in cod. antiq. reperitur.*

g *v.c. periurare est.*

h ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ' ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος.

ita esset, nũquam claros viros senatus vinctos hostibus dedidisset. At verò T. Veturius, & Sp. Postumius, cùm iterum consules essent, quia, cùm malè pugnatum apud Caudiũ esset, legionibus nostris sub iugum missis, pacẽ cum Samnitibus fecerant, dediti sunt his: iniussu enim populi, senatusq; fecerant eodẽq; tẽpore T. Numicius, [a] Qu. Æmilius, qui tum tribuni plebis erant, quòd eorũ auctoritate pax erat facta, dediti sunt, vt pax Samnitium repudiaretur. Atq; huius deditionis ipse Postumius, qui dedebatur, suasor, & auctor fuit. [b] quod item multis annis pòst C. Mancinus, qui, vt Numantinis, quibus cum sine senatus auctoritate fœdus fecerat, dederetur, rogationem suasit eam, quam L Furius, & Sex. Atilius ex senatusconsulto ferebãt: qua accepta est hostibus deditus. Honestius hic, quàm Q. Pompeius, quo cùm in eadẽ causa esset, deprecãte, accepta lex nõ est. hîc ea, quæ videbatur vtilitas, plus valuit, quàm honestas: apud superiores vtilitatis species falsa, ab honestatis auctoritate superata est. At nõ debuit ratũ esse, quod erat actum per vim. Quasi verò forti viro vis possit adhiberi. Cur igitur ad senatũ proficiscebatur, cùm præsertim de captiuis dissuasurus esset? Quod maximum in eo est, id reprehẽditis non enim suo iudicio stetit, sed suscepit causam, vt esset iudiciũ senatus: cui nisi ipse auctor fuisset, captiui profectò Pœnis redditi essent. ita incolumis in patria Regulus restitisset quod quia patriæ nõ vtile putauit, idcirco honestũ sibi & sentire illa, & pati credidit. Nam quòd aiunt, quòd valde vtile sit, id fieri honestũ: imò verò esse, non fieri. est enim nihil vtile, quod idem non honestum: nec quia vtile, honestum est: sed quia honestũ, vtile. Quare ex multis mirabilibus exemplis, haud facilè quis dixerit hoc exemplo aut laudabilius, aut præstãtius. Sed ex tota hac laude Reguli, vnũ illud est admiratione dignũ, quòd captiuos retinẽdos cẽsuerit. nam quòd rediit, [c] nobis non mirabile videtur: illis quidem

a *L. Q. Mælius.*

b *L. quod idem mult.*

c *L. nobis nũc mirabile.*

quidem temporibus aliter facere nō potuit. Itaque iſta laus, non eſt hominis, ſed temporum nullum enim vinculum ad adſtringendā fidem iureiurādo maiores [a] arctius eſſe voluerunt. id indicant leges in Duodecim tabul. [b] indicāt ſacra, indicant fœdera, quibus etiam cum hoſte deuincitur fides: indicāt notationes, animaduerſiones q; cēſorum: qui nulla de re diligentiùs, quàm de iureiurādo, iudicabāt. L. Manlio, Auli filio, cùm dictator fuiſſet, M. Pomponius, tribunus plebis, diem dixit, quòd is paucos ſibi dies [38] ad dictaturam gerēdam addidiſſet: criminabatur etiam, quòd Titum filium, qui poſteà eſt Torquatus appellatus, ab hominibus relegaſſet, & ruri habitare iuſſiſſet. quod cùm audiuiſſet adoleſcēs filius, negotium exhiberi patri: accurriſſe Romam, [39] & [c] prima luce Pomponij domū veniſſe dicitur. cui cùm eſſet nuntiatum, quòd illum iratum allaturum ad ſe aliquid cōtra patrem arbitraretur: ſurrexit è lectulo, remotis q; arbitris, ad ſe adoleſcentem iuſſit venire. At ille, vt ingreſſus eſt, confeſtim gladium [d] diſtinxit, iurauitq;, ſe illum ſtatim interfecturum, niſi iuſiurandum ſibi dediſſet, ſe patrem miſſum eſſe facturum. Iurauit, hoc terrore coactus Pomponius. rem ad populum detulit: docuit, [e] cur ſibi à cauſa deſiſtere neceſſe eſſet: Manliū miſſum fecit. tantum tēporibus illis iuſiurandum valebat. Atq; hic T. Manlius is eſt, qui [f] ad Anienem, [g] Gallo, quem ab eo prouocatus occiderat, torque detracto, cognomē inuenit. cuius tertio conſulatu Latini [h] ad Viſerim fuſi, & fugati. magnus vir in primis, & qui perindulgens in patrem, [40] [i] idē acerbus, & ſeuerus in filium. Sed, vt laudandus Regulus in conſeruando iure iurando, ſic decē illi, quos poſt Cannenſem pugnam iuratos ad ſenatum miſit Hannibal, ſe in caſtra redituros, ea, quorum potiti erant pœni, niſi de redimendis captiuis impetrauiſſent: ſi non redierunt, vituperādi. De quibus non omnes vno modo. nam Polybius, bonus auctor in primis ſcribit, ex

a *v.c. artius.*
b *L. indicant*
c *L. cum prima.*
d *L. deſtrinxit, & ita. v.c.*
e *L. cur ſibi cauſa deſiſt.*
f *al. ad Anienum.*
g *L. Galli.*
h *L. ad Veſerim.*
i *L. idem acerbè ſeuerus in fil.*

decem nobiliſſimis, qui tum erant miſſi, nonem reuertiſſe à ſenatu re non impetrata: vnum ex decem, qui paullo pòſt, quàm egreſſus erat è caſtris, rediſſet, quaſi aliquid eſſet oblitus, Romæ remanſiſſe. Reditu enim in caſtra, liberatũ ſe eſſe iureiurando interpretabatur: non recte.[a] fraus enim [a] diſtringit, non diſſoluit periurium. Fuit igitur ſtulta calliditas, peruersè imitata prudentiã. Itaq; decreuit ſenatus, vt ille veterator, & callidus, vinctus ad Hannibalem duceretur. Sed illud maximũ: octo hominũ millia tenebat Hannibal, non quos in acie cepiſſet, aut qui periculo mortis diffugiſſent, ſed qui relicti in caſtris fuiſſent à Paullo, & Varrone, cõſulibus. eos ſenatus non cenſuit redimendos, cùm id parua pecunia fieri potuiſſet: eſſe inſitum militibus noſtris aut vincere, aut emori. Qua quidem re audita, fractũ animum Hannibalis ſcripſit idẽ, quòd ſenatus, populusq; R. rebus afflictis tã excelſo animo fuiſſet, ſic honeſtatis comparatione, ea, quæ videtur vtilia, vincuntur.[b] Acilius autem, qui Græcè ſcripſit hiſtoriam, plureis ait fuiſſe, qui in caſtra reuertiſſent, eadẽ fraude, vt iureiurando liberarentur, eosq; à cenſoribus,[a] omnibus ignominijs notatos. Sit iam huius loci finis, perſpicuũ eſt enim, quæ timido animo, humili, demiſſo, fractoq; fiãt: quale fuiſſet Reguli factũ, ſi aut de captiuis, quod ipſi opus eſſe videretur, quod non reip. cenſuiſſet, aut domi remanere voluiſſet: non eſſe vtilia, quia ſint flagitioſa, fœda, & turpia.

a *v.c. deſtringit.*

b *al Atilius, al. Aquillius.*

## *DE TEMPERANTIA.*

RESTAT quarta pars, quæ decore, moderatione, modeſtia, continẽtia, temperãtia, cõtinetur. Poteſt, igitur quidquam eſſe vtile, quod ſit huic talium virtutũ choro contrarium? Atqui ab Ariſtippo Cyrenaici, atq; Anniceri philoſophi nominati, omne bonum in voluptate poſuerunt: virtutemq; cenſuerũt ob eam rem eſſe laudandã, quòd efficiens eſſet voluptatis, quibus obſoletis floret Epicurus. eiuſdẽ ferè adiutor, auctorq; ſententiæ.

tentiæ.43 Cum his [a] velis,equisq;,vt dicitur,si honestatem tueri,ac retinere sententia est,decertãdum est. nã si non modò vtilitas, sed vita omnis beata corporis firma constitutione, eiusq; constitutionis spe explorata, vt à Metrodoro scriptũ est,continetur:certe hæc vtilitas, & quidem summa(sic enim censent)cũ honestate pugnabit,nam vbi primùm prudẽtiæ locus dabitur? an,vt cõquirat vndique suauitates?quam miser virtutis famulatus,seruientis voluptati! quod autem munus prudẽtiæ? an legere intelligẽter voluptates? fac nihil isto esse iucundius:quid cogitari potest turpius?Iam,qui dolorem summum malum dicat,apud eum [b] quem habet locum fortitudo, quæ est dolorum, laborumque contemptio? quamuis enim multis in locis dicat Epicurus([c] sicut hic dicit,) satis fortiter de dolore: tamen non id spectandũ est,quid dicat, sed quid consentaneum sit ei dicere,qui bona voluptate terminauerit: mala,dolore: vt, si illum audiam de continentia, & tẽperantia: dicit ille quidem multa multis locis,sed aqua hæret,vt aiũt. nam qui potest temperantiam laudare is,qui ponat summum bonũ in voluptate? est enim temperantia libidinum inimica: libidines autem,consectatrices voluptatis.Atque in his tamen tribus generibus, quoquo modo possunt, non incallidè tergiuersantur.Prudentiam introducũt,scientiam supped.tantem voluptates, depellentem dolores. fortitudinem quoq; aliquo modo expediunt, cùm tradunt, rationem negligendæ mortis, perpetiendiq; doloris. Etiam temperantiam inducunt, non facillimè illi quidem,sed tamen quoquo modo possunt. dicũt enim, voluptatis magnitudinem doloris detractione fieri. Iustitia vacillat,vel iacet potiùs,omnesq; eæ virtutes,quę in communitate cernuntur, & in societate generis humani. neq; enim [d] bonitas,nec liberalitas,nec comitas esse potest, non plus, quàm amicitia,si hæc non per se expetantur,sed ad voluptatem,vtilitatémue referantur.

a *L.virũ eg.*

b *q.v.c.quẽ habẽt locum.*

c *fort.(sicut dicit.*

d *q.v.c.benignitas.*

Conferamus igitur in pauca. nam vt vtilitatem nullam esse docuimus, quæ honestati esset cõtraria: sic omnem voluptatem dicimus honestati esse contrariã. quo magis reprehendendos Calliphonem, & Dinomachũ iudico, qui se diremturos controuersiam putauerunt, si cum honestate voluptatem, tanquam cum homine pecudem copulauissent. Non recepit istam coniunctionẽ honestas, aspernatur, repellit, nec verò finis bonorum, & malorum, qui simplex esse debet,[a] ex dissimilibus rebus misceri, & temperari potest. [b] Sed de hoc hactenus. magna enim res alio loco pluribus verbis disputata. Nunc ad propositum. Quemadmodũ igitur, si quando ea, quæ videretur vtilitas, honestati repugnat, dijudicanda res sit, satis est suprà disputatum. sin autem speciem vtilitatis etiam voluptas habere dicatur, nulla potest esse ei cum honestate coniunctio. nam, vt tribuamus aliquid voluptati, condimenti fortasse nonnihil, vtilitatis certè nihil habebit.

a *q. v. c. ex dissimillimis.*
b *L. Sed de hoc, (magna enim res est) alio loco pluribus. Nunc ad prop.*

## PERORATIO OPERIS.

HABES à patre munus, Marce fili, mea quidem sententia, magnum:[c] sed perinde erit, vt acceperis. quamquam tibi hi tres libri inter Cratippi commentarios, tanquam hospites, erunt recipiendi. Sed, vt, si ipse venissem Athenas, quod quidem esset factũ, nisi me de medio cursu clara voce patria reuocasset: aliquando me quoque audires: sic, quoniam his voluminibus ad te profecta vox mea est, tribues, his temporis quantum poteris: poteris autem, quantum voles. cùm verò intellexero, te hoc scientiæ genere gaudere, tum & præsens tecum propediem (vt spero) & dum aberis, absens loquar. Vale igitur, mi Cicero, tibique persuade, te mihi quidem esse carissimum: sed multo fore cariorem, si talibus[d] monimentis, præceptisq; lætabere.

c *al. sed proinde.*
d *L. monitis.*

M. T. CICERONIS LIB. III.
DE OFFICIIS FINIS.

M. T.

# M. TVLL. CICERONIS CATO MAIOR, SEV DE SENECTVTE, AD T. Pomponium Atticum.

## *PRAEFATIO.*

TITE, [1] si quid ego [a] adiuto, curámue leuasso,
Quæ nunc te coquit, [a] [b] & versat sub pectore fixa,
[3] Ecquid erit [c] pretij?

Licet enim versibus ijsdem mihi affari te, Attice, quibus affatur [d] Flaminium. Ille vir, [e] haud magna in re, sed fidei plenus. quamquam certò scio, non, vt Flaminium sollicitari te, [f] Attice, sic nocteisq; diesq; noui enim moderationem animi tui, & æquitatem: teq; non cognomẽ solùm Athenis deportasse, sed humanitatem, & prudentiam intelligo. & tamẽ suspicor, ijsdem rebus te, quibus meipsum interdum grauiùs commoueri: quarum consolatio & maior est, & in aliud tempus differẽda. Nũc autem mihil visum est de Senectute aliquid ad te scribere: hoc enim onere, quod mihi tecum cõmune est, aut iam vrgẽtis, aut certè aduentantis senectutis, [g] & te, & meipsum leuari volo. etsi te quidem id [h] modestè, ac sapienter, sicut omnia, & ferre, & laturũ esse [i] certò scio. Sed mihi, cùm de senectute aliquid vellẽ scribere, tu occurrebas dignus eo munere, quo vterq; nostrũ communiter vteretur. Mihi quidem ita iucunda huius libri confectio fuit, vt non modò omnis absterserit senectutis molestias, sed etiã cerit mollem etiam, & iucũ-

a *L. adiuro.*
b *L. & versat in pectore.*
c *L. præmij.*
d *L. Flaminium.*
e *L. haud magna cũ re, sed plenus fidei.*
f *v.c. Tite.*
g *q.v.c. & me etiãm ipsum.*
h *L. mollicè.*
i *q.v.c. certè.*

dam senectutem. nunquam igitur satis laudari dignè poterit philosophia, cui qui pareat, omne tempus ætatis sine molestia possit degere. Sed de cæteris & diximus multa, & sæpe dicemus. [a] hunc verò librum de senectute ad te misimus. Omnem autem sermonem tribuimus non Tithono, vt Aristo Chius, ne parum esset auctoritatis in fabula: sed M. Catoni seni, quo maiorem auctoritatẽ haberet oratio. apud quem, Lælium & Scipionem facimus admiranteis, quòd is tam facilè senectutem ferat, ijsque eum respondentem. Qui si eruditiùs videbitur disputare, quàm consueuit ipse in suis libris, attribuito Græcis literis, quarum constat eum perstudiosum fuisse in senectute. Sed quid opus est plura? iam enim ipsius Catonis sermo explicabit nostram omnem de senectute sententiam.

a *L. nunc librum de senect.*

## DIALOGVS.

## P. SCIPIO C. LÆLIVS ET CATO INTERLOCVTORES.

SCIPIO.

SAEPENVMERO [b] mirari soleo [c] cum quo C. Lælio, tum ceterarum rerum tuam excellentem, M. Cato, perfectamq; sapientiam, tum vel maximè, quòd senectutem [d] tuam nunquam tibi graué esse senserim: quæ plerisq; senibus sic odiosa est, vt onus se Ætna grauius dicãt sustinere. CATO. Ré haud sanè difficilẽ, Scipio, & Læli, admirari videmini. quibus enim nihil opis est in ipsis ad bene beateq; viuendum, ijs omnis grauis est ætas: qui autem omnia bona [e] à seipsis petunt, ijs nihil potest malũ videri, quod naturæ necessitas afferat. quo in genere in primis est senectus, quam vt adipiscantur, omnes optant, [f] eãdem accusant [f] adepti: tanta est

b *L. admirari.*
c *al. cum C. hoc Lælio, al. cum hoc Lælio.*
d *tuam, abest ab o.v.c.*
e *L. à se ipsi petunt.*
f *L. adeptã.*

est [a] inconstantia, stultitia, atque peruersitas. Obrepere aiunt eam citiùs, quàm putassent. Primùm, quis coëgit eos falsum putare? quî enim citiùs adolescétię senectus quàm pueritiæ adolescentia obrepit? deinde, quî minùs grauis esset ijs senectus, si octingentesimum annum agerent, quàm si octogesimum? præterita enim ætas, quamuis longa, cùm effluxisset, [b] nulla consolatione permulcere posset stultam senectutem. Quocirca si sapientiam meam admirari soletis (quæ vtinam digna esset opinione vestra, nostroque cognomine) in hoc sumus sapientes, quòd naturam optimam ducem, tanquam deum, sequimur, eique paremus: à qua non verisimile est, cùm ceteræ partes ætatis bene descriptę sint, extremum actum, tanquam ab inerti poëta, esse neglectum. sed tamen necesse fuit [c] esse aliquod extremum, & tanquam in arborum [d] baccis, terræque frugibus maturitate tempestiua, quasi vietum, & caducum: quod ferendum est molliter sapienti. quid enim est aliud, gigantum [e] more bellare cum dijs, nisi naturæ repugnare?

a *L. stultitia inconstantia, atq; peruers.*

b *L. nulla cõsolatio perm.*

c *v.c. aliquid exir.*

d *L. bacis.*

e *v.c. modo.*

LAEL. Atqui, Cato, gratissimum nobis, vt etiam pro Scipione pollicear, feceris, si quoniam volumus, (speramus quidem certè,) senes fieri, antè multo à te didicerimus, quibus facillimè rationibus ingraescétem ætatem ferre possimus. CAT. Faciam verò, Læli, præsertim si vtriq; vestrûm gratũ, vt dicis, futurum est. SCIP. Volumus sanè, nisi molestum est, Cato, tanquam aliquam viam longam confeceris, [f] [g] qua nobis quoque ingrediendum sit, istuc, quò perueneristi, videre, quale sit.

f *q.v.c. quam nobis quoque.*

CAT. Faciam, vt potero, Læli, sæpe enim interfui querelis meorum æqualium (pares autem cum paribus, veteri prouerbio, facillimè congregantur) [g] queis C. Salinator, queis Sp. Albinus, homines consulares, nostri ferè æquales, deplorare solebant: tum quòd voluptatibus caretẽt, sine quibus vitã nullã putarẽt: tum quod spernerẽtur ab ijs, à quibus essent coli soliti. qui mihi non id

g *o.v.c. que C. Salinator, que Sp. Albinus.*

videbantur accuſare quod eſſet accuſandum. nam ſi id culpa ſenectutis accideret,eadẽ mihi vſu euenirent,reliquisq; omnibus,maioribus natu: quorum ego multorum cognoui ſenectutem ſine querela: qui ſe à libidinũ vinculis laxatos eſſe non moleſtè ferrent,nec à ſuis deſpicerẽtur. ſed omnium iſtiuſmodi querelarum in moribus eſt culpa,nõ in ætate. moderati enim,nec difficiles ſenes,nec inhumani, tolerabilem agũt ſenectutem. importunitas autẽ, & inhumanitas [9] omni ætati moleſta eſt. LAEL. Eſt,vt dicis,Cato,ſed fortaſſe dixerit quiſpiam, tibi propter opes,& copias, & dignitatem tuam, tolerabilem ſenectutem videri, id autẽ non poſſe multis contingere. CATO. Eſt iſtud quidem,Læli aliquid: ſed nequaquam in iſto ſunt omnia: [a] vt Themiſtoclem ferunt Seriphio cuidam in iurgio reſpondiſſe, cùm ille dixiſſet,nõ eum ſua,ſed patriæ gloriã ſplendorem aſſecutum: Nec herculè,inquit,ſi ego Seriphius eſſem,nobilis:nec tu ſi Athenienſis eſſes, clarus vnquam fuiſſes. quod eodem modo de ſenectute poteſt dici. Neq; enim in ſumma inopia leuis eſſe ſenectus poteſt, ne ſapienti quidem: [10] nec inſipienti [b] in ſumma copia non grauis. Aptiſſima omnino ſunt, Scipio, & Læli, arma ſenectutis,artes,exercitationesq; virtutum:quæ in omni ætate cultæ,cùm multùm, diuque vixeris,mirificos [c] afferunt fructus,[11] non ſolum quia nunquam deſerunt,ne in extremo quidem tempore ætatis, (quãquam id maximũ eſt)verum etiam quia conſcientia bene actæ vitæ,multorumq; benefactorũ recordatio,iucundiſſima eſt. Ego [d] quidem Qu. Maximum, cum qui Tarentum recepit, adoleſcens ita dilexi ſenem,vt æqualẽ. erat enim in illo viro comitate cõdita grauitas:nec ſenectus mores mutauerat Quamquam eum colere cœpi non admodum grandem natu,ſed tamen iam ætate prouectum. Anno enim poſt,quàm primum conſul fuerat,ego natus ſum: cúmque eo quartum cõſule adoleſcentulus miles profectus

a *L.vt Themiſtocles fertur Seriph.*

b *L.etiam in ſumma cop.*

c *o.v.c. efferunt fr.*

d *particula, quidem, abeſt a v.c.*

fectus ſum ad Capuam, quintoq; anno poſt ad Tarentum quæſtor, deinde ædilis, quadriennio poſt factus ſum prætor: quem magiſtratum geſſi conſulibus Tuditano,& Cethego, cum quidem ille admodũ ſenex ſuaſor legis Cinthiæ de donis, & muneribus fuit. Hic & bella gerebat,vt adoleſcens,cum planè grandis eſſet:& Hannibalem iuueniliter exſultantem [13] patientia ſua molliebat: de quo præclarè familiaris noſter Ennius:

Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem,
Non ponebat enim rumores ante ſalutem.

[a] Ergo poſtq; magisq; viri nunc gloria claret.

a *L. Ergo magiq. magiq; viri nunc gl. cl. al. Ergo poſt magis, atque viri nunc gl.*

Tarentum verò qua vigilantia,quo conſilio recepit? cum quidem,ne audiente,Salinatori,qui,amiſſo oppido,fugerat in arcem,glorianti,atq; ita dicenti: Mea opera,Qu Fabi,Tarẽtum recepiſti: Certè,inquit ridens: nam,niſi tu amiſiſſes,ego nunquã recepiſſem.Nec verò in armis præſtantior,quàm in toga: qui conſul iterum, Sp.Caruilio collega quieſcẽte, C.Flaminio tribuno pl. quod potuit,reſtitit, agrum [b] Picenum, & Gallicum viritim cõtra ſenatus auctoritatẽ diuidẽti:augurq; cũ eſſet,dicere auſus eſt, [c] optimis auſpicijs ea geri,quæ pro reip.ſalute gererẽtur: [14] quæ contra remp.fierent,contra auſpicia fieri. Multa in eo viro præclara cognoui: ſed nihil eſt admirabilius,quàm quomodo ille mortem M.filij tulit, clari viri, & conularis. Eſt in manibus viri laudatio: quam cum legimus, quem philoſophum non cõtemnimus? nec verò ille in luce modò,atq; in oculis ciuium magnus:ſed intus,domiq; præſtantior. Qui ſermo? quæ præcepta? quanta notitia antiquitatis? quæ ſcientia [d] iuris augurij? multæ etiã,vt in homine Romano,literæ, omnia memoria tenebat, non domeſtica ſolum,ſed etiam externa bella: cuius ſermone ita tum cupidè fruebar,quaſi iam diuinarem id, quod euenit, illo extincto,vnde diſcerem,fore neminẽ. Quorſum igitur hæc tã multa de Maximo? quia profectò videtis,nefas

b *L. Picentem.*

c *εἰς οἰωνὸς ἄριστος, ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.*

d *al. iuris augurandi.*

esse dictu, miseram fuisse talem senectutem. Nec tamen omnes possunt esse Scipiones, aut Maximi, vt vrbium expugnationes, vt pedestreis, nauales ue pugnas, vt bella à se gesta, triumphosq; recordentur. [a] est enim quietè, & purè, & eleganter actæ ætatis placida, ac lenis senectus: qualem accepimus Platonis, qui vno, & octogesimo anno scribens mortuus est: qualem Isocratis, qui eum librum, qui Panathenaïcus inscribitur, quarto & nonagesimo anno scripsisse dicitur, vixitq; quinquennium postea, cuius magister Leontinus Gorgias, centum & septem compleuit annos: neque vmquam in suo studio, atq; opere cessauit. qui, cùm ex eo quæreretur, cur tandiu vellet esse in vita: Nihil habeo inquit, [b] quòd incusem senectutem. Præclarum responsum, & docto homine dignum. sua enim vitia insipientes, & suam culpam, in senectutem conferunt: quod non faciebat is, cuius modò mentionem feci. Ennius:

Sicut fortis equus, spatio qui sæpe supremo
Vicit Olympia, nunc senio confectus quiescit.

Equi fortis, & victoris senectuti comparat suam: quem quidé probè meminisse potestis. Anno enim vndeuicesimo post eius mortē, hi consules, T. [c] Flaminius, & [d] M. Attilius facti sunt: ille autē Cepione, & Philippo iterum cōsulibus, mortuus est: cùm ego [e] quidem V. & LX. annos natus, legem Voconiam voce magna, & bonis lateribus suasissem. Annos LXX. natus, (tot enim vixit Ennius) ita ferebat duo, quæ maxima putātur onera, paupertatem, & senectutē, vt eis penè delectari videretur. Etenim, [f] quātum cōplector animo, quatuor causas reperio, cur senectus misera videatur: vnā, quòd auocet à rebus gerendis: alteram, quòd corpus faciat [g] infirmius: tertiā, quòd priuet omnibus ferè voluptatibus: quartā, quòd haud procul absit à morte. Earū, si placet, causarū quantum quæque valeat, quantumque iusta sit vnaquæq; videamus. A rebus gerendis senectus abstrahit?

Quibus

a *L. est etiam quietè.*

b *L. quòd accusem.*

c *v.c. Flaminius.*

d *L. M. Atilius.*

e *quidem. abest ab o.v.c.*

f *L. cum. c.*

g *v.c. infirmius.*

Quibus? an ijs,[a] quæ gerũtur in iuẽtute, & viribus? nullæ ne igitur res ſeniles ſunt, quæ vel infirmis corporibus, animo tamen adminiſtrarentur? Nihil igitur agebat Q. Maximus? nihil L. Paullus, pater tuus, Scipio[b] ſocer filij mei, viri optimi? ceteri ſenes, Fabricij, Curij, Coruncanij, cùm remp. conſilio, & auctoritate defendebãt, nihil agebãt? Ad App. Claudij ſenectutem accedebat etiam, vt cæcus eſſet: tamen is, cùm ſententia ſenatus inclinaret ad pacem, & fœdus faciendũ cum Pyrrho, non dubitauit dicere illa, quæ verſibus perſecutus eſt Ennius:

Quò vobis mentes, rectæ quæ ſtare ſolebant
[16] Antehac,[c] dementi ſeſe flexere ruina?

Cæteraq; grauiſſimè: notum enim vobis carmen eſt: & tamen ipſius Appij exſtat oratio.[d] atq; hanc ille egit ſeptem & decem annis poſt alterum conſulatum, cùm inter duos cõſulatus anni X.[e] interfluxiſſent, cenſorq; ante cõſulatum ſuperiorem fuiſſet. Ex quo intelligitur, Pyrrhi bello grandem ſanè fuiſſe: & tamen ſic à patribus accepimus. [17] Nihil igitur afferunt qui in re geréda verſari ſenectutem negant, [18] ſimilesque ſunt, vt, ſi qui gubernatorem in nauigando agere nihil dicant, cùm alij malos ſcandant, alij per foros[f] curſitent, alij ſentinam exhauriant: ille autem clauum tenens ſedeat in puppi quietus, non faciat ea, quę iuuenes: at verò multo maiora, & meliora facit. Non enim viribus, aut velocitatibus, aut celeritate[g] corporum res magnæ gerũtur: ſed conſilio, auctoritate, ſententia: quibus non modò nõ orbari, ſed etiam augeri ſenectus ſolet. niſi fortè ego vobis, qui & miles, & tribunus, & legatus, & conſul verſatus ſum in vario genere bellorum, ceſſare nunc videor, cùm bella non gero. At ſenatui, quæ ſunt gerenda, præſcribo, [19] &,[h] quomodo Karthagini malè iamdiu cogitãti bellum inferatur, multò antè denuntio: de qua veteri non antè deſinam, [20] quàm illam[i] exciſam eſſe cognouero. quam palmam vt nam dij immortales tibi,

a *v.c. iuuentute ger.*
b *L. ſocer optimi viri, filij mei?*
c *L. dementes, ſeſe flexere vias?*
d *L. Atque hæc ille egit.*
e *al. interfuiſſent.*
f *L. curſent.*
g *al. corporis.*
h *fort. quomodo Karthagini reſiſtatur, malè iam diu cogitanti multò antè denuntio.*
i *L. excidſam & ita v.c.*

Scipio, reſeruent, vt aui reliquias perſequare: cuius à morte hic tertius, & triceſimus eſt annus: ſed memoriam illius viri excipient omnes anni conſequẽtes. Anno ante me cenſorem mortuus eſt, nouem annis poſt meum conſulatum, cum conſul iterum, me cõſule, creatus eſſet. Num igitur, ſi ad centeſimum annum vixiſſet, ſenectutis eum ſuæ pœniteret? nec enim excurſione, nec ſaltu, nec eminùs haſtis, aut comminùs gladijs vteretur: ſed conſilio, ratione, ſententia. quæ niſi eſſent in ſenibus, non ſummum conſilium maiores noſtri appellaſſent ſenatum. Apud Lacedæmonios quidem ij, qui ampliſſimum magiſtratum gerunt, vt ſunt, ſic etiam appellãtur, ſenes. Quod ſi legere aut audire voletis externa, maximas reſp. [a] per adoleſcentulos labefactas, à ſenibus ſuſtentatas, & reſtitutas reperietis. Cedò qui veſtram remp tantam amiſiſtis tam citò? ſic enim [b] percontanti, vt eſt in Næuij poëtæ ludo, reſpondentur & alia, & hæc in primis.

a *L. ab adoleſcentib. labefactas.*

b *v. c. percũctanti.*

21 [c] Proueniebant oratores noui, ſtulti: adoleſcẽtuli. Temeritas eſt videlicet florentis ætatis: 22 prudẽtia, ſenectutis. At memoria minuitur. credo, niſi eã exerceas, aut etiam ſi ſis natura tardior. Themiſtocles omnium ciuũ nomina perceperat. num igitur cẽſetis eum, cùm ætate proceſſiſſet, qui Ariſtides eſſet, Lyſimachum ſalutare ſolitum? Equidem non modò eos, qui ſunt noui: [d] ſed eorũ patres etiã, & auos. nec ſepulcrha legens vereor, (quod aiunt) ne memoriã perdam: his enim ipſis legendis redeo in memoriã mortuorũ. nec verò quemquam ſenum audiui oblitũ, quod loco theſaurũ obruiſſet omnia, quæ curant, meminerunt: vadimonia conſtituta, qui ſibi, quibus ipſi debeant. Quid iuriſconſulti? quid pontifices? quid augures? quid philoſophi ſenes? quàm multa meminerũt? manent ingenia ſenibus, modò permaneat ſtudiũ, & induſtria: nec ea ſolùm in claris, & honoratis viris, ſed in vita etiã priuata, & quieta.

c *L. prouehebantur ad res nouas ſtulti, adol.*

d *al. ſed eorum patres: etiam auos.*

Sophocles

Sophocles ad ſummam ſenectutem tragœdias fecit: [23] quod propter ſtudium cùm rem familiarẽ negligere videretur, à filijs in iudicium vocatus eſt: vt, quemadmodũ noſtro more malè rem gerentibus [a] patribus bonis interdici ſolet: ſic illum, quaſi deſipientem, à re familiari remouerant iudices. Tum ſenex dicitur eam fabulam, quam in manibus habebat, & proximè ſcripſerat, Oedipũ Coloneum recitaſſe iudicibus, quæſiſſeq; num illud carmen deſipientis videretur, quo recitato, ſententijs iudicum eſt liberatus. Num igitur hunc, [b] num Heſiodum, num Simonidem, num Steſichorum, num, quos antè dixi, Iſocratem, Gorgiam, num Homerum: num philoſophorum principes, Pythagoram, Democritum, num Platonem, num Socratem, num poſteà Zenonem, Cleanthem, aut eum, quem vos etiam Romæ vidiſtis, Diogenem Stoicum, coëgit in ſuis ſtudijs obmuteſcere ſenectus? [c] an non in omnibus ijs ſtudiorum agitatio, vitæ æqualis fuit? Age, vt iſta diuina ſtudia omittamus, poſſum nominare ex agro Sabino [d] ruſticos vicinos, & familiares meos, quibus abſentibus numquam ferè vlla in agro maiora opera fiunt, non ſerendis, non percipiendis fructibus, nõ condendis. [24] quam quam in his minùs hoc mirũ. nemo enim eſt tam ſenex, qui ſe annum non putet poſſe viuere: ſed ijdem laborant in eis, quæ ſciunt nihil omnino ad ſe pertinere. Serunt arbores, quæ alteri ſæculo proſint, vt ait Statius noſter in Synephebis. Nec verò dubitet agricola, quãuis ſenex, quærenti, cui ſerat, Reſpondere: Dijs immortalibus, qui me non accipere tãtummodo hæc à maioribus voluerunt, ſed etiam poſteris prodere. Meliùs Cæcilius de ſene alteri ſeculo proſpiciente, quàm illud:

Ædepol ſenectus, ſi nihil quidquam aliud vitij
[e] Apportet ſecum, cùm aduenerit, vnum id eſt ſatis,
Quòd diu viuendo, multa quæ non vult, videt.

Et multa fortaſſe, quæ vult: atque in ea quidem, quæ

a *v.c patrijs bonis.*

b *q.v.c. num Homerũ, nũ Heſiodum.*

c *o.v.c an in omnibus ijs.*

d *L. ruſticos Romanos, vicinos.*

e *v.c. Apportes tecũ, cùm aduenus, vnũ id ſat eſt.*

non vult, ſæpe etiam adoleſcentia incurrit. Illud verò idem Cæcilius vitioſiùs:

Tum equidem in ſenecta hoc deputo miſerrimum,
Sentire ea ætate eſſe ſe odioſum alteri.

Iucundum potiùs, quàm odioſum. vt enim adoleſcentibus bona indole præditis ſapientes ſenes delectantur, leuiorque fit eorum ſenectus, qui à iuuentute coluntur, & diliguntur? ſic adoleſcentes ſenum præceptis gaudent, quibus ad virtutum ſtudia ducuntur. nec minùs intelligo me vobis, quàm vos mihi eſſe iucundos. Sed videtis, vt ſenectus non modò languida, atque iners non ſit, verùm etiam ſit operoſa, & ſemper agens aliquid, & moliens, tale ſcilicet, quale cuiuſque ſtudium in ſuperiore vita fuit. Quid, quòd etiam addiſcũt aliquid? vt Solonem in verſibus gloriantem videmus, qui ſe quotidie aliquid addiſcentem, ſenem fieri dicit: vt ego feci: qui Græcas literas ſenex didici. quas quidem ſic auidè arripui, quaſi diuturnam ſitim explere cupiens, vt ea ipſa mihi nota eſſent, quibus me nunc exemplis vti videtis, quod cùm feciſſe Socratem in fidibus audirem, vellem equidem & illud: (diſcebant enim fidibus antiqui) ſed in literis certè elaboraui.

NE nunc quidẽ vireis deſidero adoleſcentis, (is enim erat locus alter de vitijs ſenectutis) non plus, quàm adoleſcens etiã vireis tauri, [a] aut elephantis deſiderebã. quod enim homini naturaliter inſitum eſt, eo vti decet: & quidquid agas, agere pro viribus. Quæ enim vox poteſt eſſe cõtemptior, quàm Milonis Crotoniatę? qui, cùm iam ſenex eſſet, athletasque ſe in curriculo exercenteis videret, adſpexiſſe lacertos ſuos dicitur, illachrymansq; dixiſſe, At hi quidẽ iam mortui ſunt. Non verò tam iſti, quàm tu ipſe, nugator. neq; enim ex te vnquam es nobilitatus, ſed ex lateribus & lacertis tuis. Nihil Sext. [b] Æmilius tale: nihil multis annis antè [c] T. Corũcanus: nihil modò P. Craſſus: à quibus iura ciuibus præſcribebantur:

quorum

a *v. c. aut elefanti.*

b *L. AElius.*

c *L. T. Coruncanius.*

quorum vsq; ad extremum spiritum [a] prouecta est prudẽtia. Orator, metuo, ne langueſcat ſenectute. eſt enim munus eius non ingenij ſolùm, ſed laterum etiam, & virium. Omnino canerum illud in voce ſplendeſcit etiam neſcio quo pacto in ſenectute: quod equidẽ [b] non amici adhuc: [25] tamen videtis annos meos [c] ſed tamen decorus eſt ſermo ſenis, quietus, & remiſſus facitq́ perſæpe ipſa ſibi audiẽtiã diſerti ſenis compta & mitis oratio quòd ſi ipſe exequi nequeas, poſſis tamen Scipioni præcipere, & Lælio. Quid enim [d] eſt iucundius ſenectute, ſtipata ſtudijs iuuentutis? An ne eas quid? vireis ſenectuti relinquemus, vt adoleſcẽtulos doceat, inſtituat, ad omne officij munus inſtruat? Quo quidẽ opere quid poteſt eſſe præclarius? Mihi verò Cn. & P. Scipiones, & aui tui duo, L. Æmilius, & P. Africanus comitatu nobilium iuuenum fortunati videbantur. nec vlli bonarum artium magiſtri non beati putandi, quamuis conſenuerint vires, atq; defecerint. etſi iſta ipſa defectio viriũ, adoleſcentiæ vitijs efficitur ſæpius, quàm ſenectutis. libidinoſa etenim, & intemperãs adoleſcẽtia effœtũ corpus tradit ſenectuti. Cyrus quidem apud Xenophontem eo ſermone, quem moriens habuit, cùm admodum ſenex eſſet, negat ſe vnquam ſenſiſſe, ſenectutem ſuam imbecilliorem factam, quàm adoleſcentia fuiſſet. Ego L. Metellum memini puer, (qui cùm quadriennio poſt alterũ conſulatum pontifex maximus factus eſſet, viginti & duos annos ei ſacerdotio præfuit,) ita bonis viribus eſſe in extremo tempore ætatis, [26] vt adoleſcentiam non requireret. Nihil neceſſe eſt mihi de meipſo dicere: quãquam eſt id quidẽ ſenile, ætatiq; noſtræ cõceditur. Videriſne, vt apud Homerũ ſæpiſſimè Neſtor [27] de virtutibus ſuis prædicet? tertiã enim iam ætatem hominũ vixerat: nec erat ei verendũ, ne vera de ſe prædicãs nimis videretur aut inſolẽs, aut loquax. etenim (vt ait Homerus) ex eius lingua melle dulcior fluebat oratio: quã

a *v.c. eſt prouecta pr.*

b *v.c. adhuc non amici: & videtis annos.*

c *ſed tamen eſt decorus ſenis ſermo quietus, & remiſſus.*

d *verbũ, eſt, abeſt à q. v.c.*

ad ſuauitatem nullis egebat corporis viribus: & tamen dux ille Græciæ numquam optat vt Aiacis ſimileis habeat decem, at vt Neſtoris: quod ſi acciderit, non dubitat, quin breui Troia ſit peritura. Sed redeo ad me. quartum annum ago & octogeſimũ: equidem poſſe vellem idem gloriari, quod Cyrus: ſed tamen hoc queo dicere, non me quidem ijs eſſe viribus, quibus aut miles bello Punico, aut quæſtor eodem bello, aut conſul in Hiſpania fuerim, aut quadriennio pòſt, cùm tribunus mil. depugnaui apud Thermopylas.[a] M. Attilio Glabrioni cõſule: ſed tamẽ (vt vos videtis) non planè me eneruauit, non afflixit ſenectus: non curia vireis meas deſiderat, non Roſtra, non amici, non clientes, non hoſpites. nec enim vnquam ſum aſſenſus illi veteri, laudatoq; prouerbio, quod monet, maturè fieri ſenem, ſi diu velis eſſe ſenex. Ego verò me minùs diu ſenem eſſe mallẽ, quàm eſſe ſenem antè quam eſſem. Itaq; nemo adhuc conuenire me[b] valuit, quin fuerim occupatus. At minùs habeo viriũ, quàm veſtrûm vteruis:[c] Nec vos quidem T. Pontij Centurionis vireis haberis. num idcirco ille eſt præſtantior vobis? moderatio modò viriũ adſit, & tantũ, quãtum quiſq; poteſt,[d] nitatur, næ ille nõ magno deſiderio tenebitur virium Olympiæ per ſtadium ingreſſus eſſe Milo dicitur, cùm humeris ſuſtineret bouem. vtrum igitur has corporis, an Pythagoræ tibi malis vireis ingenij dari? deniq; iſto bono vtare, dum adſit: cùm abſit, ne requiras. niſi forte adoleſcentes puericiã, paullulum ætate progreſſi adoleſcentiã[e] debeant requirere. Curſus eſt certus ætatis, & vna via naturæ, eaq; ſimplex: ſuaq; cuiq; parti ætatis,[28] tempeſtiuitas eſt data,[29] vt & infirmitas puerorũ eſt, & ferocitas iuuenũ, & grauitas iam cõſtantis ætatis: ſic ſenectutis maturitas naturale quiddam habet, quod ſuo tempore percipi debeat. Arbitror te audire, Scipio,[30] hoſpes tuus auitus Maſiniſſa quæ faciat hodie, nonaginta annos natus: cùm ingreſſus iter

a *v.c.M. Atilio Glabr.*

b *L. voluit.*

c *L. Ne vos quidem.*

d *L. quãtum poteſt, quisq; nitatur.*

e *v.c. debent.*

iter pedibus ſit, in equũ omnino non adſcendere: cùm equo, ex equo nõ deſcẽdere: nullo imbre, nullo frigore adduci, vt capite operto ſit. ſummam in eo eſſe corporis ſiccitatem: itaq; exſequi omnia regis officia, & munera. Poteſt igitur exercitatio, & temperantia etiam in ſenectute conſeruare aliquid priſtini roboris. Non ſint in ſenectute vires. Ne poſtulantur quidẽ vires à ſenectute. ergo & legibus, & inſtitutis vacat ætas noſtra muneribus ijs, quæ non poſſunt ſine viribus ſuſtineri. itaq; non modò, quod non poſſumus, ſed ne quantum poſſumus quidem cogimur. At ita multi ſunt [a] imbecilles ſenes, vt nullum officij, aut omnino vitæ munus exſequi poſſint. At id quidem nõ proprium ſenectutis eſt vitium, [31] ſed cõmune valetudinis. Quàm fuit imbecillus P. Africani filius is, qui te adoptauit: quàm tenui, [b] aut nulla potiùs valetudine? quod niſi ita fuiſſet, alterum [c] ille exſtitiſſet lumen ciuitatis. ad paternam enim magnitudinẽ animi doctrina vberior acceſſerat. Quid mirum igitur in ſenibus, ſi infirmi ſunt aliquando, cùm ne id quidẽ adoleſcẽtes effugere poſſint? Reſiſtendum, Læli, & Scipio, ſenectuti eſt. [32] eiusque vitia diligentia [d] compeſcenda ſunt. Pugnandũ, tãquam contra morbum, ſic contra ſenectutem Habenda ratio valetudinis: vtendum exercitationibus modicis: tãtum cibi, & potionis adhibendum, vt reficiantur vires, non opprimantur. Nec verò corpori ſoli ſubueniendum eſt, [33] [e] ſed etiã menti, atq; animo multo magis, namq; hæc quoq;, [34] niſi tanquam lumini oleum inſtilles, exſtingũtur ſenectute, & corpora quidem [f] defatigatione, & exercitatione ingraueſcunt: animi autem [g] ſe exercendo leuantur. nam quos ait Cæcilius [35] comicos ſtultos ſenes: hos ſignificat credulos, obliuioſos, diſſolutos: quæ vitia ſunt nõ ſenectutis, ſed inertis, ignauæ, ſomniculoſæ ſenectutis: vt petulantia, vt libido, magis eſt adoleſcentum, quam ſenum: nec tamen omnium adoleſcentum, ſed non proborum: ſic iſta ſenilis ſtultitia

a *L. imbecilli.*

b *al. ac nulla.*

c *v.c. illud.*

d *al. corrigẽdæ.*

e *fort. ſed & menti atque adeò multo magis. nam hæc quoque.*

f *v.c. exercitationum defatigatione ingr.*

g *prouocabulum, ſe, abeſt ab o.v.c.*

(quæ deliratio appellari ſolet) ſenum leuium eſt, non omnium. Quatuor robuſtos filios, quinq; filias, tantam domum, tantas clientelas Appius regebat, & ſenex, & cæcus. intentum enim animum, tanquam arcum, habebat, nec langueſcens ſuccumbebat ſenectuti. tenebat non modò auctoritatem, ſed etiam imperium in ſuos: metuebant [a] cum ſerui, verebantur liberi, carum omnes habebant: vigebat in illa domo patrius mos, & diſciplina. Ita ſenectus honeſta eſt, ſi ſe ipſa defendit, ſi ius ſuũ retinet, [36] ſi nemini emancipata eſt, [37] ſi vſque ad extremum ſpiritum dominatur in ſuos. vt enim adoleſcẽtem, in quo ſenile aliquid: ſic ſenem, in quo adoleſcentis eſt aliquid, laudamus: quod qui ſequitur, corpore ſenex eſſe poterit, animo nunquam erit. Septimus mihi Originum liber eſt in manibus: omnia antiquitatis monumenta colligo: cauſarum illuſtrium, quaſcunque defendi, nunc quàm maximè conficio orationes: ius augurum, pontificum, ciuile tracto, multum etiam Græcis literis vtor: Pythagoreorumq; more, exercendæ memoriæ gratia, quid quoq; die dixerim, audierim, egerim, commemoro veſperi. Hæ ſunt exercitationes ingenij, hæc curricula mentis: in his deſudans, atque elaborans, corporis vireis non magnopere deſidero: adſum amicis: venio in ſenatum frequens, vltroq; affero res multum, & diu cogitatas, easque tueor animi, non corporis viribus. quæ ſi exſequi nequirem, tamẽ me lectulus oblectaret meus ea ipſa cogitantem, quæ iam agere non poſſem: ſed vt poſſim, facit acta vita, ſemper enim in his ſtudijs, laboribusq; viuenti non intelligitur, quãdo obrepat ſenectus. Ita ſenſim, ſine ſenſu ætas ſeneſcit: nec ſubitò frangitur: ſed diuturnitate extinguitur.

a *eum, al eſt ab o.u.c.*

SEQVITVR tertia vituperatio ſenectutis, quòd eam carere dicũt voluptatibus. O præclarũ munus ętatis, ſi quidem id aufert [b] nobis, quod eſt in adoleſcentia vitioſiſſimum. Accipite enim, optimi adoleſcentes, veterẽ oratio-

b *al. à nobis.*

orationem Archytæ Tarentini,magni in primis,& præclari viri: quæ mihi tradita eſt, cùm eſſem adoleſcens Taréti cum Q. Maximo. Nullam capitaliorem peſtem, quàm corporis voluptatem,hominibus dicebat à natura datã: cuius voluptatis auidæ libidines,temerè & effrenatè ad potiũdum incitarẽtur.Hinc patriæ proditiones,hinc rerump. euerſiones, hinc cum hoſtibus clandeſtina colloquia naſci [a] dicebat:nullum deniq; ſcelus, nullum [b] magnũ facinus eſſe,ad quod ſuſcipiendũ non libido voluptatis impelleret:ſtupra verò,& adulteria,& omne tale flagitium,nullis alijs illecebris [c] excitari,niſi voluptate. Cumque homini ſiue natura, ſiue quis deus nihil mente præſtabilius dediſſet, huic diuino muneri, ac dono nihil eſſe tam inimicum,quàm voluptatẽ.Nec enim libidine dominante temperẽtiæ [d] locum eſſe omnino, nec in voluptatis regno virtutem poſſe cõſiſtere. quod quo magis intelligi poſſet, fingere animo aliquẽ iubebat, tanta incitatum voluptate corporis, quanta [e] percipi poſſet maxima.nemini cenſebat fore dubium, quin,tamdiu,dum ita gauderet,nihil agitare mente,nihil ratione,nihil cogitatione conſequi poſſet. quocirca nihil eſſe tam deteſtabile,tamq; peſtiferũ, quàm voluptatem:ſiquidem ea,cùm maior eſſet,atq; lõgior,omne animi lumen exſtingueret.Hæc cum C.Põtio Samnite, patre eius,à quo,Caudino prælio Sp.Poſtumius,T.Veturius,cõſules,ſuperati ſunt,locutum Archytam,Nearchũs Tarẽtinus,hoſpes noſter,qui in amicitia populi R. permãſerat,ſe à maioribus natu accepiſſe dicebat: cùm quidẽ ei ſermoni interfuiſſet Plato Athenienſis:quem Tarentũ veniſſe, [f] L.Æmilio,Appio Claudio cõſulibus reperio.Quorſum hæc?vt intelligatis,ſi voluptatẽ aſpernari ratione,& ſapientia non poſſumus,magnam habẽdã ſenectuti gratiã,quæ efficeret,vt,id nõ liberet, quod non oporteret,impedit enim conſilium voluptas,rationi inimica:ac mẽtis(vt ita dicam) [g] perſtringit oculos:

a *Verbum, dicebat. nullũ in v.c. hic cõparet, nec agnoſcit L.*

b *L. malum facinus eſſe, & ita o.v.c.*

c *al. incitari, niſi voluptatis.*

d *L. locum eſſe, neq; omnino in voluptate. & ita v.c.*

e *verbum, percipi, in q. v c. non reperitur.*

f *L. Camillo, P. Claudio conſ.*

g *v. c. perſtringunt.*

nec habet vllum cum virtute commerciũ. Inuitus quidem feci, vt fortiſſimi viri [a] T. Flaminij fratrem L. Flaminium è ſenatu eijcerem, ſeptem annis pòſt, quàm cõſul fuiſſet: ſed notandam libidinem putaui [b] nimiam. Ille enim cum eſſet conſul in Gallia, exoratus in conuiuio à ſcorto eſt, vt ſecuri feriret aliquem eorum, qui in vinculis eſſent damnati rei capitalis. [c] tunc Tyto fratre ſuo, cenſore, (qui proximus ante me fuerat) elapſus eſt: mihi verò, & Flacco neutiquam probari potuit tam flagitioſa, & tam perdita libido, quæ cum probro priuato cõiungeret imperij dedecus. Sæpe à maioribus natu audiui, qui ſe porrò pueros à ſenibus audiuiſſe dicebant, mirari ſolitum C. Fabricium, quòd cùm apud regem Pyrrhum legatus eſſet, audiſſet à Theſſalo Cinea, Athenis quendam eſſe, qui ſe ſapientem profiteretur: eumq; dicere, omnia, quæ faceremus, ad voluptatem eſſe referẽda. quod ex eo audientes, [d] M Curium, & T. Coruncanũ optare ſolitos, vt id Samnitibus, ipſiq; Pyrrho perſuaderetur: [e] quo facilius vinci poſſent, cũ ſe voluptatibus deciſſent. Vixerat [f] M Curius cum P. Decio, qui quinquẽnio ante eum conſulem ſe pro rep. quarto conſulatu deuouerat. Norat eundem Fabricius, norat [g] Corũcanus: [h] qui cùm ex ſua vita, tum ex eius, quem dico, P. Decij facto, iudicabãt eſſe profectò aliquid natura pulchrum, atque præclarum, quod ſua ſponte peteretur, quodque ſpreta, & contempta voluptate optimus quiſq; ſequeretur. [i] Quorſum igitur hæc tam multa de voluptate? quia non modò vituperatio nulla, ſed etiam ſumma laus ſenectutis eſt, quòd ea voluptates nullas magnopere deſiderat. caret epulis, exſtructisq; menſis, & frequentibus poculis: caret [k] ergo vinolentia, [37] & cruditate, [l] & inſomnijs. Sed ſi aliquid dandum eſt voluptati, quoniam eius blanditijs non facilè obſiſtimus. [m] diuinus enim Plato [n] eſcam malorum voluptatem appellat, quòd ea videlicet homines capiantur (vt hamo piſces) quãquam immo-

a *L. T. Flaminium fratrem, L. Flaminium.*
b *vox, nimiã, nullus in cod. v. comparet.*
c *L. Hic Titofr.*
d *L. M' Curium.*
e *q. v. c. quòd facilius.*
f *L. M' Curius.*
g *L. Coruncanius.*
h *L. qui cùm ex ſua.*
i *L. Quorſus.*
k *v. c. ergo etiam crud.*
l *L. & inſomnia.*
m *al. diuinè.*
n *δέλεαρ τῶν κακῶν.*

immoderatis epulis careat ſenectus, modicis conuiuijs tamen poteſt delectari.[a] C.Duillium,M.filium,qui Pœnos claſſe primus deuicerat, redeuntem à cena ſenem ſæpe videbam puer, delectabatur[38][b] crebro funali, & tibicine, quæ ſibi nullo exemplo priuatus ſumpſerat:tãtum licentiæ dabat gloria. Sed quid ego alios?[c] ad meipſum iam reuertar.Primùm habui ſemper ſolaleis.[d] ſodalitates autem me quæſtore conſtitutæ ſunt, ſacris Idæis magnæ matris acceptis.epulabar igitur cum ſodalibus omninò modicè, ſed erat[e] tamen quidam feruor ætatis: qua progrediente, omnia fiunt in dies mitiora. neq; enim ipſorum conuiuiorum delectationẽ corporis voluptatibus magis, quàm cœtu amicorum,& ſermonibus metiebatur. bene enim maiores noſtri[39][f] accubationem epularem amicorum,quia vitæ coniũctionẽ haberet,conuiuium nominarũt,melius,quàm Græci:qui hoc idem tum[g] compotationem tum, concœnationem vocant: vt,quod in eo genere minimũ eſt,id maximè probare videantur. Ego verò propter ſermonis delectationẽ tempeſtiuis cõuiuijs delector, ne cum æqualibus ſolùm,[h] qui pauci admodũ reſtant,ſed cum veſtra etiã ætate,atq; vobiſcum: habeoq; ſenectuti magnam gratiã, quę mihi ſermonis auiditatem auxit,potionis,& cibi ſuſtulit. Quòd ſiquidẽ etiam iſta delectãt, ne omninò bellum indixiſſe videar voluptati, cuius eſt etiam fortaſſe quidam naturalis[i] modus, non intelligo,ne in iſtis quidem voluptatibus ipſis,carere ſenſu ſenectutem.Me verò &[k] magiſteria delectant, à maioribus inſtituta: & is ſermo qui more maiorum[40][l] à ſummo magiſtro adhibetur in poculo:& pocula, ſicut in ſympoſio Xenophõtis, miſcuta,atq; morãtia,& refrigeratio eſtate,& viciſſim aut ſol aut ignis hibernus. quæ quidẽ in Sabinis etiam perſequi ſoleo,cõuiuijq; vicinorũ quotidie compleo:quod ad multam noctem,quàm maximè poſſumus, vario ſermone producimus. At non eſt voluptatum tanta quaſi

a *al.C.Duillium.*
b *al.cereo.*
c *L.ad ma ipſum reuertor.Pr.*
d *συσσίτια.*
e *vox.tamen obſtat.*
f *L. accubitionẽ epul. & ita.v.c.*
g *συμπόσιον, καὶ συνδεῖπνον.*
h *L.qui pauciſſimum adm.*
i *al motum.*
k *συμποσιάρχειν.*
l *L.in poculo.*

titillatio in ſenibus. Credo: ſed ne deſideratio quidem, nihil autem moleſtũ, quod nõ deſideres. Bene Sophocles, cùm ex eo quidam [a] iam cõfecta ætate, quæreret, vteretúrne rebus Venereis: Dij meliora, inquit libenter verò iſthinc tãquã à domino agreſti, ac furioſo profugi. cupidis enim rerũ talium, odioſum, & moleſtũ eſt fortaſſe carere: ſatiatis verò, & expletis, iucũdius eſt carere, quàm frui. quamquam non caret is, qui nõ deſiderat. [41 b] Ergo hoc non deſiderare, dico eſſe iucũdius, quàm frui. Quòd ſi iſtis ipſis voluptatibus bona ætas fruitur libẽtiùs: [42] primum [c] paruulis fruitur rebus, vt diximus: deinde ijs, quibus ſenectus, ſi nõ abũdè potitur, nõ omnino caret. vt Turpione Ambiuio magis delectatur, qui in prima cauea ſpectat: delectatur tamẽ etiã qui in vltima: ſic adoleſcentia voluptates [d] propè intuens magis fortaſſe lætatur: ſed delectatur etiã ſenectus procul eas ſpectans, tantũ, quantũ ſat eſt. At illa quanti ſunt, animũ tanquã emeritis ſtipendijs libidinis, ambitionis, contẽtionis, inimicitiarũ, cupiditatum omniũ, ſecum eſſe, ſecumq; (vt dicitur) viuere? ſi verò habet aliquod tãquã pabulum ſtudij, atq; doctrinæ, nihil eſt otiola ſenectute iucundius. mori videbamus in ſtudio dimetiundi pænè cæli, atq; terræ Gallũ, familiarẽ patris tui, Scipio. quoties illũ lux noctu aliquid deſcribere ingreſſum, quoties nox oppreſſit, cùm cœpiſſet manè? quàm delectabatur, cũ defectiones ſolis, & lunæ multo nobis antè prædiceret! Quid in leuioribus ſtudijs, ſed tamẽ acutis! quàm gaudebat bello ſuo Punico Næuius! quam Truculento Plautus? quàm Pſeudolo! Vidi etiã ſenem Liuium: qui cùm [e] ſeptem annos antè quàm ego natus ſum, fabulã docuiſſet, [f] Cethego, Tuditanoq; conſulibus, vſq; ad adoleſcentiam meam proceſſit ætate. quid de P. Licinij Craſſi & pontificij, & ciuilis iuris ſtudio loquar? aut de huius P. Scipionis, qui his paucis diebus põtifex maximus factus eſt? Atq; eos omneis, quos commemoraui, his

a *L. iam affecta ætate.*

b *L. Ergo non deſiderare.*

c *L. paruis.*

d *L. propter intuens.*

e *L. ſex annos.*

f *L. Centone Tuditanoq; conſulibus.*

his ſtudijs flagranteis ſenes vidimus. M. verò Cethegũ, quem rectè Suadæ medullam dixit Ennius, quanto ſtudio exerceri in dicendo videbamus, etiam ſenem? Quę ſunt igitur epularum, aut ludorum, aut ſcortorum voluptates cum his voluptatibus comparandæ? Atque hæc quidem ſtudia ſunt doctrinæ, quę quidem prudentibus, & bene inſtitutis pariter cum ætate creſcũt: vt honeſtũ illud Solonis ſit, quod ait verſiculo quodã, vt antè dixi, ſeneſcere ſe multa in dies addiſcentem: qua voluptate animi nulla certè poteſt eſſe maior. Venio nunc ad voluptates agricolarũ, quibus ego incredibiliter delector: quæ nec vlla impediuntur ſenectute, & mihi ad ſapientis vitam proximè videntur accedere. habẽt enim rationẽ cum terra, quæ nunquam recuſat imperium, nec vnquam ſine vſura reddit, quod accepit: ſed alias minore, plerumq; maiore cum fœnore. quamquam me quidem non fructus modò, ſed etiã ipſius terræ vis, ac natura delectat: quæ cũ gremio mollito, ac ſubacto ſemen ſparſum [a] excepit: primum id occatum cohibet: ex quo occaſio, quæ hoc efficit, nominata eſt: deinde, tapefactũ vapore, [b] & complexu ſuo diffundit, [44] & elicit herbeſcentẽ ex eo viriditatẽ: quæ nixa fibris ſtirpium, ſenſim adoleſcit, culmoq; erecta geniculato, vaginis iam quaſi pubeſcens includitur, è quibus cùm [c] emerſerit, fundit frugem [d] ſpicæ, ordine ſtructã, & contra [e] auium minorum morſum munitur vallo ariſtarũ. Quid ego vitium ſatus, ortus, incrementa commemorem? ſatiari delectatione nõ poſſum, vt meæ ſenectutis [f] requiem, oblectamẽtumq; noſcatis. Omitto enim vim ipſam omniũ, quæ generantur è terra: quæ ex fici tantulo grano, [45] aut ex acino vinaceo, aut ex ceterarũ frugũ, ac ſtirpium minutiſſimis ſeminibus tãtos trũcos, ramosq; procreat: malleoli, plantæ, ſarmenta, [g] viui radices, propagines, nónne ea efficiunt, vt quemuis non ſine admiratione delectẽt? Vitis, quę natura caduca eſt, & niſi fulta ſit, ad terrã fer-

a *q v e. accepit.*
b *v.e. & cõpreſſu ſuo.*
c *L. emerſit.*
d *v.e. ſpicę.*
e *q.v.e. auiũ inimicarum morſus.*
f *al. requietẽ.*
g *al. tradaces al. vites. & radices.*

tur: eadẽ, vt se erigat, clauiculis suis, quasi manibus quidquid est nacta complectitur: quam serpentem multiplici lapsu & erratico, ferro amputans coërcet ars agricolarum, ne siluescat sarmentis, & in omneis parteis nimia fundatur. Itaq; incunte vere in ijs, quæ, relicta sunt, exsistit tanquam ad articulos sarmẽtorum ea, quæ gemma dicitur, à qua oriens vua [a] sese ostẽdit: quæ & succo terræ, & calore solis augescẽs primo est peracerba [b] gustu, deinde maturata dulcescit, vestitaq; pampinis nec modico tempore caret. [46] & nimios solis defendit ardores, qua quid potest esse cùm fructu lætius, tũ adspectu pulchrius? cuius quidem non vtilitas me solùm, vt antè dixi, sed etiam cultura, & ipsa natura delectat: adminiculorũ ordines, capitum [c] coniugatio & religatio, propagatio vitium, sarmentorumque ea, quam dixi aliorum amputatio, aliorum immissio. Quid ego irrigationes? quid fossiones agri, repastinationesq; proferam, quibus fit multo terra fœcũdior? Quid de vtilitate loquar stercorandi? dixi in eo libro, quẽ de rebus rusticis scripsi: de qua doctus Hesiodus ne verbũ quidẽ fecit, cùm de cultura agri scriberet. At Homerus, qui multis, vt mihi videtur, antè sęculis fuit, Laërtem lenientem desiderium, quod capiebat è filio, colentẽ agrum, & eum stercorantem facit. Nec verò segetibus solùm, & pratis, & vineis, & arbustis res rusticæ lætæ sunt: sed pomarijs etiam & hortis: tum pecudum pastu, & apum examinibus, [d] tum florum omnium varietate. Nec consitiones modò delectant, sed etiã insitiones: [47] quibus nihil inuenit [e] agricola sollertius. Possum persequi multa oblectamẽta rerum rusticarum: sed ea ipsa, quæ dixi, sentio fuisse longiora. Ignoscetis autem, nam & studio rerum rusticarũ prouectus sum, & senectus est natura loquacior: ne ab omnibus eam vitijs videar vindicare. Ergo in hac vita [f] M. Curius, cùm de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho, triumphasset, cõsumpsit extremum tempus ætatis: cuius quidem

a *v.c. se ostẽdit.*

b *L. gustatu, & ita v.c.*

c *Liugatio, religatio & prop.*

d *particulatum, hic non reperitur in v.c.*

e *L. agricultura soll.*

f *L. M. Curius.*

quidem villam ego contemplans (abeſt enim [a]non longè à me) admirari ſatis non poſſum vel hominis ipſius continentiã, vel temporum diſciplinã. Curio ad focum ſedẽti, magnum auri pondus Samnites cùm attuliſſent, repudiati ab eo ſunt. non enim aurum habere, præclarũ ſibi videri dixit: ſed ijs, qui haberẽt aurũ, imperare. Poterátne tantus animus non iucundã efficere ſenectutẽ? Sed venio ad agricolas, [b] ne à meipſo recedam. In agris erant tum ſenatores, id eſt, ſenes, ſiquidem L. Quinctio Cincinnato in agro aranti nuntiatum eſt, eum dictatorẽ eſſe factum: cuius dictatoris iuſſu magiſter equitum C. Seruilius [c] Hala Sp. Mælium regnum appetẽtem, & occupantem interemit. à villa in ſenatum [d] accerſebantur Curius, & ceteri ſenes: ex quo, qui eos [e] accerſebãt, viatores nominati ſunt. num igitur eorũ ſenectus, miſerabilis fuit, qui ſe [f] agricolatione oblectabant? Mea quidem ſentẽtia [g] haud ſcio, hac an vlla vita beatior poſſit eſſe: neq, ſolùm officio, quod hominum generi vniuerſo cultura agrorũ eſt ſalutaris: ſed & delectatione, quã dixi, & ſaturitate, copiaque omnium rerum, quæ ad victum hominum, ad cultum etiam deorum pertinent: vt, quoniam hæc quidam deſiderant, in gratiam iam cum voluptate redeamus. ſemper enim boni, aſſiduiq; domini referta cælla vinaria, olearia, [h] mellearia, [48] [i] & penuaria eſt, villaque tota locuples eſt: abundat porco, hædo, agno, gallina, lacte, caſeo, melle. Iam hortum ipſi agricolæ ſuccidiã alteram appellant: tum cõditiora facit hæc etiam [49] ſuperuacaneis operis aucupium, atque venatio. Quid de pratorum viriditate, aut arborum ordinibus, aut vinearum, oliuetorúmve ſpecie [k] dicã? [l] breui expediã. Agro bene culto nil poteſt eſſe nec vſu vberius, nec ſpecie ornatius: ad quem fruendum non modò nõ retardat, verùm etiam inuitat, atq; allectat ſenectus. vbi enim poteſt illa ætas aut caleſcere vel apricatione meliùs, vel igni: aut viciſſim vmbris, aquiſue refrigerari

a *al. non longè à mea.*

b *fort. ne ipſe à me recedã.*

c *v.c. Hala & ita L.*

d *L. arceſſebãtur & cur.*

e *L. arceſſebant.*

f *L. agriculatione.*

g *L. haud ſcio an nulla.*

h *L. mellearia, abeſt ab o.v.c.*

i *v.c. & penaria eſt.*

k *v.c. plura dicam?*

l *v.c. breui prædicam.*

salubriùs ?[a] Habeant igitur al j sibi arma, sibi equos, sibi hastas, sibi clauã, & pilã, sibi natationes, & cursus: nobis senibus ex lusionibus multis talos relinquãt, & tesseras: [50] idipsum tamen, vt lubebit, quoniã sine his beata esse senectus potest. Multas ad res, perutiles Xenophontis libri sunt: quos legite, quæso, studiosè, vt facitis, quàm copiosè ab eo agricultura laudatur in eo libro, qui est de tuenda re familiari, qui Oeconomicus inscribitur? Atq; vt intelligatis, nihil ei tam regale videri, quàm studiũ agricolẽdi, Socrates in eo libro loquitur cum Critobulo, Cyrum minorẽ, regem Persarum, præstãtem ingenio, atq; imperij gloria, cùm Lysander Lacedæmonitis, vir summæ virtutis, venisset ad eum Sardis, eiq; dona à socijs attulisset: & ceteris in rebus comem erga Lysandrum, atq; humanũ fuisse, & ei quendam conseptum agrum, diligenter consitum ostẽdisse. cùm autem admiraretur Lysander & proceritates arborum, & directos in quincuncem ordines, & humum subactam atque puram, & suauitatem odorum, [51] qui [b] efflarentur è floribus: tum eum dixisse, mirari se non modò [c] diligentiam, sed etiam sollertiam eius, à quo essent illa dimẽsa, atq; descripta: & ei Cyrum respondisse: Atqui ego [d] ista sum dimensus: mei sunt ordines, mea descriptio: multæ etiam istarum arborum mea manu sunt satæ. Tum Lysandrum intuentem eius purpuram, & nitorẽ corporis, ornatumq; Persicum multo auro, multisq; gemmis dixisse: Rectè verò te, Cyre, beatum ferunt, [e] quoniam virtuti tuæ fortuna coniuncta est. [f] Hac igitur frui licet senibus: nec ætas impedit, quo minùs, & ceterarũ rerum, & in primis agri colẽdi studia teneamus vsque ad vltimum tempus senectutis. Marcũ quidẽ Valerium Coruinum accepimus [52] ad centesimum annum vitã [g] produxisse, cùm esset exacta iam ætate in agris, eosq; coleret: cuius inter primum & sextum consulatum, sex & quadraginta anni interfuerunt. Itaq;, quantum spatium

ætatis

a *L. Sibi habeant igitur arma, sibi eq. & ita. v.c.*

b *v.c. afflarentur è fl.*

c *q.v.c. elegantiam.*

d *v. c. ista sum, omnia dimensus.*

e ἀγαθὸς γὰρ εὐδαιμονεῖς.

f *L. hac igitur fortuna frui licet sen.*

g *v.c. perduxisse, & ita L.*

ætatis maiores noſtri ad ſenectutis initium eſſe voluerunt, tantus illi curſus honorum fuit atq; eius extrema ætas hoc beatior, quàm media, quòd auctoritas plus habebat, laboris verò minus. Apex autem ſenectutis eſt auctoritas. Quanta fuit in L. Cæcilio Metello? quanta in Atilio Collatino? [a] in quem [53] illud elogium vnicũ, plurimæ cõſentiunt gentes, populi primarium fuiſſe virum. notum eſt totum eius carmen. [b] inciſum in ſepulchro. Iure igitur grauis, cuius de laudibus omnium eſſet fama cõſentiens. quem virum P. Craſſum, nuper pontificem maximum, quem poſteà M. Lepidum eodem ſacerdotio prædituin vidimus? Quid de Paullo, aut Africano loquar? aut, vt iam antè de Maximo? quorum non in ſententia ſolùm, ſed etiam in nutu reſidebat auctoritas. Habet ſenectus, honorata præſertim, tantam auctoritatem, vt ea pluris ſit, quàm omnes adoleſcentiæ voluptates. Sed in omni oratione mementote, eam me laudare ſenectutem, quæ fundamentis adoleſcentiæ cõſtituta ſit. ex quo id efficitur, quod ego magno quondam cum aſſenſu omnium dixi: Miſeram eſſe ſenectutẽ, quæ ſe oratione defenderet, non cani, non rugæ repentè auctoritatem [c] afferre poſſunt: ſed honeſtè acta ſuperior ætas fructus [d] capit auctoritatis extremos. hæc enim ipſa ſunt honorabilia, quæ videtur leuia, atq; communia, ſalutari, appeti, decedi, aſſurgi, deduci, reduci, conſuli. quæ & apud nos, & in aliis ciuitatibus, vt quæq; optimè morata, ita diligẽtiſſimè obſeruantur. Lyſandrum Lacedæmonium, cuius modò mentionem feci, dicere aiunt ſolitum, Lacedæmone eſſe honeſtiſſimũ domicilium [e] ſenectutis. nuſquã enim tantum tribuitur ætati, nuſquam eſt ſenectus honoratior. quin etiam memoriæ proditum eſt, cùm Athenis, ludis, quidam in theatrũ grandis natu veniſſet, in magno conſeſſu locum ei à ſuis ciuibus nuſquam datum: cùm autem ad Lacedæmonios acceſſiſſet, qui cùm legati eſſent, in loco certo conſederãt, [f] cõſur-

a *L. in quem illud elogiũ, Vno ore quem vnicum plurimæ conſ.*
b *al. inciſum ſep.*
c *L. arripere poſſunt.*
d *al. carpit.*
e *L. ſenectutis.*
f *al. conſurrexiſſe omnes illi dicuntur, & ſenem ſeſſum rec.*

rexiſſe omneis, & ſenem illum ſeſſum recepiſſe. quibus cùm à cũcto conſeſſu plauſus eſſet multiplex datus, dixiſſe ex ijs quendam, Athenienſeis ſcire, quæ recta eſſent, ſed facere nolle. Multa in noſtro collegio præclara: ſed hoc de quo agimus, in primis, quòd, vt quiſque ætate antecellit, ita ſententiæ principatum tenet: neque ſolùm honore antecedentibus, ſed ijs etiam, qui cum imperio ſunt maiores natu augures anteponũtur. Quæ ſunt igitur voluptates [a] corporũ cum auctoritatis præmijs comparãdæ? quibus qui ſplendidè vſi ſunt, ij mihi videtur fabulam ætatis peregiſſe, nec tanquam inexercitati hiſtriones, in extremo actu corruiſſe. At ſunt moroſi, & anxij, & iracundi, & difficiles ſenes: ſi quærimus, etiam auari. ſed hæc, morum vitia ſunt, non ſenectutis. At moroſitas tamen, & ea vitia, quæ dixi, habẽt aliquid excuſationis, non illius quidem iuſtæ, ſed quæ probari poſſe videatur. cõtemni ſe putãt, deſpici, illudi. præterea in fragili corpore odioſa omnis offenſio eſt: quæ tamen omnia dulciora fiunt & bonis moribus, & artibus: idque tum in vita, tum in ſcena intelligi poteſt ex ijs fratribus, qui in Adelphis ſunt, [54] quanta in altero [b] duritas, in altero comitas! Sic ſe res habet, vt enim non omne vinum, [c] ſic non omnis ætas vetuſtate coacteſcit ſeueritatem in ſenectute probo, ſed eam (ſicut alia) modicã: acerbitatem nullo modo. auaritia verò ſenilis quid ſibi velit non intelligo. poteſt enim quidquã eſſe abſurdius, quàm, quo minus viæ reſtat, eo plus viatici quærere?

Quarta reſtat cauſa, quæ maximè angere, atq; ſollicitam habere noſtrã ætatem videtur. Appropinquatio mortis: quæ certè à ſenectute non poteſt longè abeſſe. O miſerum ſenem, qui mortem eſſe contemnendam in tam longa ætate non viderit! quæ aut planè negligẽda eſt, ſi omnino exſtinguit animũ, [55] aut etiã [d] appetenda, ſi aliquò eum deducit, vbi ſit futurus æternus. [e] Atqui tertium certè nihil inueniri poteſt. Quid igitur timeam, ſi aut

a *L. corporis.*

b *Duritas.*

c *q. v. t. non omnis natura vetuſt. coac. & ita L.*

d *L. optanda.*

e *Al. At ipſe.*

ſi aut miſer poſt non mortem, aut beatus etiam futurus ſum? quamquam quis eſt tam ſtultus, quamuis ſit adoleſcens, cui ſit exploratum, ſe ad veſperum eſſe victurũ? quinetiam ætas illa multò plureis, quàm noſtra, [a] mortis cauſas habet. faciliùs in morbos incidunt adoleſcẽtes, grauiùs ægrotant, triſtiùs curantur. itaq; pauci veniunt ad ſenectutem: quod niſi ita accideret, melius, & prudẽtius viueretur. mens enim, & ratio, & conſilium, in ſenibus eſt: qui ſi nulli fuiſſent, nullæ omnino ciuitates [b] eſſent. Sed redeo ad mortem impendentem, quod illud eſt crimen ſenectutis, cum illud videatis cum adoleſcẽtia eſſe commune? ſenſi ego cum in optimo filio meo, tum in exſpectatis ad ampliſſimam dignitatẽ fratribus tuis, Scipio, omni ætati mortem eſſe communem. At ſperat adoleſcens, [c] diu ſe victurum: quod ſperare idem ſenex non poteſt. Inſipienter ſperat. quid enim ſtultius, quàm incerta pro certis habere, falſa pro veris? At ſenex [d] nẽ quid ſperet, habet quidẽ. At eſt eo meliore cõditione, quàm adoleſcẽs: [e] cum id, quod ſperat ille, hic iam [f] aſſecutus eſt. Ille vult diu viuere: hic diu vixit. Quãquàm, ô dij boni! quid eſt in hominis vita diu? da enim ſupremum tempus: exſpectemus Tarteſſiorũ regis ætatem. fuit enim (vt ſcriptum video) Argãthonius quidam Gadibus qui octoginta regnauit annos, cẽtum & viginti vixit. Sed mihi ne diuturnum quidẽ quidquã videtur, in quo eſt aliquid extremum. cum enim id aduenerit: tunc illud, quod prætetijt, effluxit: tantum remanet quod virtute, & rectè factis conſecutus ſis. horæ quidem cedunt, & dies, & menſes, & anni: nec præteritum tempus vnquã reuertitur, nec quid ſequatur, ſciri poteſt. quod cuiq; [f] tempus ad viuendum datur, eo debet eſſe contentus. neq; enim hiſtrioni, vt placeat, peragenda fabula eſt, modò, in quocunq; fuerit actu, probetur: neque ſapienti vſq; ad Plaudite, viuendum. breue enim tempus ætatis, ſatis eſt lõgum ad bene, honeſteq;

a *L. mortis cauſas hab. & ita v.c.*

b *v.c. fuiſſent*

c *L. diu ſe eſſe vict.*

d *v.c. ne quod ſperat quidẽ habet.*

e *L. conſecutus eſt. & ita v.c.*

f *v.c. tẽpus.*

viuẽdum.sin,proceſſeris longiùs,non magis dolendum eſt,quàm agricolæ dolẽt,præterita verni temporis ſuauitate, æſtatem, autumnumq; veniſſe. ver enim, [a] tanquam adoleſcentiam ſignificat,oſtenditq; fructus futuros: reliqua tempora de metuendis fructibus,& percipiẽdis accommodata ſunt.fructus autem ſenectutis eſt, ([b] vt ſæpe dixi) ante partorum bonorum memoria, & copia. Omnia verò,quæ ſecundum naturam fiunt,ſunt habenda in bonis.quid eſt autem tam ſecundum naturam,quàm ſenibus emori? quod idem cõtigit adoleſcẽtibus aduerſante,& repugnante natura.Itaq; adoleſcẽtes mori ſic mihi videtur, vt cùm aquæ multitudine vis flammæ opprimitur:ſenes autẽ, [c] ſicut ſua ſponte,nulla adhibita vi conſumptus ignis exſtinguitur: & quaſi poma,ex arboribus,ſi cruda ſunt,vi auelluntur: ſi matura & cocta, decidunt: ſic vitam adoleſcentibus vis aufert, ſenibus maturitas: quæ mihi quidem tam iucunda eſt, vt, quo propiùs ad mortem accedam, [d] eo citiùs quaſi terram videre videar, aliquandoq; in portum ex longa nauigatione eſſe venturus.Omnium ætatum certus eſt terminus: ſenectutis autem nullus certus eſt terminus: rectéque in eą viuitur,quoad munus officij exſequi, & tueri poſſis :& tamen mortem contemnere. ex quo fit, vt animoſior etiam ſenectus ſit, quàm adoleſcentia, & fortior. Hoc eſt illud,quòd Piſiſtrato tyranno à Solone reſponſum eſt:cùm illi quærenti,Qua tandem ſpe fretus,ſibi tam audacter obſiſteret:reſpondiſſe dicitur, Senectute.Sed viuendi finis eſt optimus,cum integra mẽte, [e] ceteris; ſenſibus, opus ipſa ſuum eadem, quæ coagmentauit, natura diſſoluit. vt enim nauem, vt ædificium idem deſtruit facillimè,qui conſtruxit: ſic hominem eadem optimè, quæ conglutinauit, natura diſſoluit.Iam omnis cõglutinatio recens,egrè inueterata, facilè diuellitur.ita fit,vt illud breue vitæ reliquum nec auidè appetendum ſenibus,neq; ſine cauſa deſerendum ſit

a *L. tanquã adoleſcentia. ſignif.*

b *al. vt iam ſæpe dixi.*

c *L. ſicut eũ ſuæ ſponte.*

d *hoc totum, ocitiùs, abeſt ab o.v.c.*

e *v.c.certiq; ſenſib. & ita L.*

sit: vetatque Pythagoras iniussu imperatoris, id est, dei, de præsidio, & statione vitæ decedere. Solonis quidem sapientis [a] elogium est, quo se negat velle suam mortem dolore amicorum, lamentisque vacare. vult se carum, credo, suis esse. Sed haud scio, an meliùs Ennius.

Nemo me lachrymis decoret, [59 b] neq; funera fletu Faxit. Non esse lugendam mortē censet, quam immortalitas consequatur. Iam sensus moriendi, si aliquis esse potest, is ad exiguum tempus [c] durat, præsertim senii post mortē quidem sensus aut optandus, aut nullus est. Sed hoc meditatum ab adolescētia debet esse, mortem vt negligamus: sine qua meditatione, tranquillo esse animo nemo potest. moriendum enim certè est: & id incertum, an eo ipso die. mortem igitur omnibus horis impendentem timens, [d] quis possit animo cōsistere? de qua non ita longa disputatione opus esse videtur, cùm recorder, non solùm L. Brutum, qui in liberanda patria est interfectus: non duos Decios, qui ad voluntariam mortem cursum equorum incitauerunt: nō M. Atilium, qui ad supplicium est profectus, vt fidem hosti datam conseruaret: non duos Scipiones, qui iter Pœnis vel corporibus suis obstruere voluerunt: non auum tuum, L. Paullum, qui morte [e] sua luit collegæ in Cannensi ignominia temeritatem: non M. Marcellum, cuius interitum ne crudelissimus quidem hostis honore sepulturæ carere passus est: sed legiones nostras (quod scripsi in Originibus) in eum sæpe locum profectas alacri animo, & erecto, vnde se nunquam redituras arbitrarentur. Quod igitur adolescentes, & ij quidem non solùm indocti, sed etiam rustici contemnunt, id docti senes extimescent? Omnino (vt mihi quidem videtur) rerum omnium satietas, vitæ facit satietatem. Sunt pueritiæ certa studia, num igitur ea desiderant adolescentes, sunt & ineuntis adolescentiæ. num ea iam constans requirit ætas, quæ media dicitur? sunt etiam

a *fort. elogium est, fort. eclogium est, fort. elegium est.*

b *q. v. c. neq; funere fletū Faxit.*

c *verbū, durat, non reperitur in vllis cod. antiq.*

d *q. v. c. qui poterit an.*

e *sua, abest, ab o. v. c.*

huius ætatis.ne ea quidem [a] in senectute quęrũtur,sunt autẽ extrema quædam studia senectutis, ergo, vt superiorum ætatum studia occidunt,sic occidũt etiam senectutis.quod cum euenit,satietas vitæ tempus maturum mortis affert. Equidem nõ video,cur,quid ipse sentiam de morte,non audeam dicere [b] vobis : quòd eo melius mihi cernere videor, quòd ab ea propius absum. Ego vestros patres, P.Scipio,tuq; C.Læli,viros clarissimos, mihiq; amicissimos, viuere arbitror:& eam quidem vitam,quæ est sola vita nominanda. Nam,dum sumus in his inclusi compagibus corporis, munere quodam necessitatis, [60] & graui opere perfungimur.est enim animus cælestis ex altissimo domicilio depressus, & quasi demersus in terram,locum diuinæ naturæ, æternitatiq; contrarium. Sed credo,deos immortaleis sparsisse animos in corpora humana,vt essent,qui terras tuerentur, quique cælestium ordinem contemplantes, imitarẽtur eum vitæ modo,atq; constantia,nec me solum ratio,ac disputatio impulit vt ita crederem : sed nobilitas etiam summorum philosophorum, & auctoritas. Audiebam Pythagoram,Pythagoreosq; incolas pæne nostros,qui essent Italici philosophi quondam nominati,nunquam dubitasse,quin ex vniuersa mẽte diuina [61] delibatos animos haberemus. demonstrabantur mihi præterea quæ Socrates supremo vitæ die de immortalitate animorũ disseruisset, is,qui esset sapiẽtissimus oraculo Apollinis iudicatus.Quid multa ? sic mihi persuasi,sic sentio,cum tãta celeritas animorum sit, tanta memoria præteritorum,futurorumq; [c] prudentia, tot artes,tantæ scientiæ, tot inuenta, non posse eam naturã, quæ res eas cõtineat,esse mortalẽ, cumq; semper agitetur animus, nec principium motus habeat,quia se ipse moueat : nẽ finẽ quidem habiturum esse motus, quia nũquam se ipse sit relicturus. &, cum simplex animi natura esset, neq; haberet in se quidquam admistum dispar [d] sui, atq; dissimile,

a *L.quęruntur à senectute.*

b *vobis,abest ab o. v. c.nec agnoscit L.*

c *al. prouidentia.*

d *q.v.c. non habent, sui.*

mile,non poſſe eum diuidi:quòd ſi non poſſit, nõ poſſe interire, magnoq; eſſe argumento, homines ſcire pleraq; antè, quàm nati ſint, quòd iam pueri, cum artes difficiles diſcant, ita celeriter res innumerabileis arripiant,vt eas nõ tum primum accipere videãtur,ſed reminiſci,& recordari. [a] Hæc Platonis ſunt ferè apud Xenophontem autem moriens Cyrus maior,hæc dicit: Nolite arbitrari, ô mihi chariſſimi filij, me cum à vobis diſceſſero,nuſquã, aut nullũ fore:nec enim, dum eram vobiſcum, animum meum videbatis: ſed eum eſſe in hoc corpore,ex ijs rebus,quas gerebam,intelligebatis: eundemigitur eſſe creditote, etiamſi nullum videbitis. Nec verò clarorum virorum poſt mortẽ honores permanerẽt,ſi nihil eorum ipſorum animi efficerent, [b] quo diutius memoriam ſui tenerẽmus. Mihi quidẽ nunquã perſuaderi potuit,animos,dũ in corporibus eſſent mortalibus,viuere:cum exiſſent ex ijs,emoris: nec verò tum animum eſſe inſipientem,cum ex inſipienti corpore euaſiſſet: ſed cum omni admixtione corporis liberatus, purus & integer eſſe cœpiſſet,tum eſſe ſapientem. Atq; etiã,cum hominis natura morte diſſoluitur, ceterarum rerum perſpicuum eſt, quò quæque diſcedant: abeunt enim illuc omnia,vnde orta ſunt: animus autem ſolus, nec cum adeſt,nec cum diſcedit,apparet. Iam verò videtis,nihil eſſe morti tam ſimile,quàm ſomnum. Atqui dormientium animi maximè declarãt diuinitatẽ ſuam. multa enim [c] cum remiſſi, & liberi ſunt, futura proſpiciũt. Ex quo intelligitur quales futuri ſint,cum ſeplanè [d] corporis vinculis relaxauerint. Quare,ſi hæc ita ſunt, ſic me colitote, vt deum, ſin vnà eſt interiturus animus cum corpore, vos tamen deos verentes, qui hanc omnem pulchritudinem tuentur, & regũt, memoriam noſtri piè,inuiolateq; ſeruabitis. Cyrus quidem hæc moriens.Nos (ſi placet) noſtra videamus. Nemo vnquam mihi, Scipio, perſuadebit, aut patrem tuum Paullum,

a *verbum, ſunt, abeſt ab o.v.c.*

b *al. quo iuſtius, & diutius mem.*

c *al.quoniam rem.*

d *q.v. c.corporum vinculis rel.*

aut duos auos, Paullum, & Africanum, aut Africani patrem, aut patruum, aut multos præstantes viros, quos enumerare nõ est necesse, tãta esse conatos, quę ad posteritatis memoriam pertinerẽt: nisi animo cernerent, posteritatem ad se pertinere posse. An cẽses (vt de me ipso aliquid more senũ glorier) me tãtos labores diurnõs, nocturnosq; domi, militiæq; susceptarum fuisse, si ijsdẽ finibus gloriã meam, quibus vitã essem terminaturus? nónne melius multo fuisset, otiosam ætatem, & quietam sine vllo labore, & contentione traducere? sed nescio quomodo animus erigens se, posteritate semper ita prospiciebat, quasi cùm excessisset è vita, tum demùm victurus esset, quod quidem ni ita se haberet, vt animi immortales essent, haud optimi cuiusq; animus maximè 63 b ad immortalem gloriam niteretur. Quid, quòd sapientissimus quisque æquissimo animo moritur, stultissimus iniquissimè? Nónne vobis videtur animus is, qui plus cernat, & longiùs, videre se ad meliora proficisci: ille autem, cuius obtusior sit acies, non videre? Equidem efferor studio patres vestros, quos colui, & dilexi, videndi. Neque eos verò solùm conuenire aueo, quos ipse cognoui: sed illos etiam de quibus audiui, & legi: & ipse conscripsi. Quò quidem me profecturum haud sanè quis facilè retraxerit, c néue tãquam pilam retorserit. Quòd si quis deus mihi largiatur, vt ex hac ætate d repuerascam, & in cunis vagiã, valde recusem. nec verò velim, quasi decurso spatio, à calce ad carceres reuocari. quid enim habet vita commodi? quid non potiùs laboris? sed habeat sanè, habet certè tamen aut satietatem, aut modum. nõ libet enim mihi deplorare vitam, quod multi, & ij docti, sæpe fecerũt. nec me vixisse pœnitet: quoniam ita vixi, vt non frustra me natum existimem: & ex vita ista discedo, tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo. commorandi enim natura deuersorium nobis, non habitandi e locum dedit. O præclarum diem,

a *L. vt de me ipso, &c.*

b *v. c. ad immortalitatem nit.*

c *L. nec si ita quam Pelia recoxerit.*

d *al. repuerescam.*

e *vox, locũ, abest ab o. v. c.*

diem, cùm ad illud diuinum animorum concilium, cœtumque proficiscar, & cum ex hac turba, & colluuione discedam: proficiscar enim non ad eos solùm viros de quibus ante dixi; sed etiam ad Catonem meum, quo nemo vir melior natus est, nemo pietate præstantior: cuius à me corpus crematum est: quod contra decuit ab illo meum, animus verò non me deserens, sed respectans, in ea profectò loca discessit, quo mihi ipsi cernebat esse veniendum, quem ego meum casum fortiter ferre visus sum: non quòd æquo animo ferrem: sed me ipse consolabar, existimans, non longinquum inter nos digressum, & discessum fore. His mihi rebus, Scipio (id enim te cum Lælio admirari solere dixisti) leuis est senectus, nec solùm non molesta, sed etiam iucunda. quòd si in hoc erro, quòd animos hominum immortales esse credam, lubenter erro: nec mihi hunc errorem, quo delector, dum viuo extorqueri volo. sin mortuus (vt quidam minuti philosophi censent) nihil sentiam: non vereor, ne hunc errorem meum mortui a philosophi irrideant. quòd sinon fumus immortales futuri, tamen exstingui homini suo tempore optabile est. Nam habet natura, vt aliarum omnium rerum, sic viuendi modum. Senectus autem, peratio ætatis est, tanquam fabulæ: cuius defatigationem fugere debemus, præsertim adiuncta satietate. Habui hæc, de senectute quæ dicerem: ad quam vtinam perueniatis, vt ea, quæ ex me audistis, re experti probare possitis.

a *vox, philosophi, abest à v.c.*

# M. TVLL. CICERONIS LÆLIVS, SIVE DE AMICITIA DIALOGVS, AD T. Pomponium Atticum.

## PRÆFATIO.

a *cognomen, Scæuola abest ab o.v.c.*

QVINTVS Mucius augur [a] Scæuola multa narrare de C. Lælio, socero suo, memoriter, & iucundè solebat, nec dubitare illum in omni sermone appellare sapientem. Ego autem à patre ita eram deductus ad Scæuolam, sumpta virili toga, vt quoad posſem, & licerer, à senis latere nũquam discederem. Itaq; multa ab eo prudenter disputata, multa etiam breuiter, & cõmodè dicta, memoriæ mandabam: fieriq́ue studebam eius prudentia doctior. Quo mortuo, me ad pontificẽ Scæuolam cõtuli: quem vnum nostræ ciuitatis & ingenio, [b] & industria præstantissimum audeo dicere. Sed de hoc alias: nunc redeo ad augurem. Cùm sæpe multa narraret, tum memini, domi in hemicyclo sedentem, vt solebat, cùm & ego essem vnà, & pauci admodum familiares, in eum sermonem illum incidere, qui tum ferè [c] multis erat in ore meminisſti enim profectò, vt opinor, Attice, & eo magis, quòd P. Sulpicio vtebare multùm, cùm is tribunus pl. capitali odio à Q. Pompeio, qui cum erat consul, dissideret quo cum coniunctissimè, & amantissimè vixerat, quanta hominum esset vel admiratio, vel quærela. Itaq; tum Scæuola, cùm in eam ipsam mentionem incidisset, exposuit nobis sermonem Lælij de amicitia, habitum ab illo secum,

b *L. & iustitia.*

c *q.v.c. omnibus erat in ore.*

cum,& cum altero genero C. Fánio,Marcî filio,paucis diebus poſt mortem Africani. Eius diſputationis ſentẽtias memoriæ mandaui:quas in hoc libro expoſui meo arbitratu.quaſi enim ipſos [a] introduxi loquẽtes,ne, Inquam &,Inquit,ſæpius interponeretur: [b] atq; id eo feci vt tãquã à præſentibus coram haberi ſermo videretur. Cùm enim ſæpe mecum ageres, Attice, vt de amicitia ſcriberẽ aliquid,digna mihi res cùm omnium cognitione,tum noſtra familiaritate viſa eſt itaq; feci non inuitus,vt prodeſſem multis tuo rogatu.Sed, [c] vt in Catone maiore, qui eſt ſcriptus ad te de ſenectute, Catonẽ induxi ſenẽ diſputãtẽ, quia nulla videbatur aptior perſona, quæ de illa ætate loqueretur,quàm eius,qui & diutiſſimè ſenex fuiſſet,& in ipſa ſenectute præ cæteris floruiſſet: ſic cùm accepiſſemus à patribus, maximè memorabilẽ,C.Lælij,& P.Scipionis familiaritatẽ fuiſſe,C. Lælij perſona viſa eſt idonea mihi, quæ de amicitia ea ipſa diſſereret,quę diſputata ab eo meminiſſet magiſter meus Scæuola. Genus autẽ hoc ſermonũ,poſitũ in hominũ veterũ auctoritate,& eorũ illuſtrium, plus neſcio quo pacto,videtur habere grauitatis:itaq; ipſe mea legens,ſic afficior interdũ,vt Catonẽ,nõ me loqui exiſtimem.Sed vt tum ad ſenẽ ſenex de ſenectute,[d] ſic in hoc libro ad amicũ amiciſſimus de amicitia ſcripſi.Tum eſt Cato locutus,quo erat nemo ferè ſenior temporibus illis,nemo prudẽtior:nunc Lælius & ſapiens:ſic enim eſt habitus,& amiciti æ gloria excellens,de amicitia loquitur.Tu velim animũ à me [e] parumper auertas, Lælium loqui ipſum putes.C.Fannius,& Q.Mucius ad ſocerum veniunt poſt mortem Africani:ab his ſermo oritur: reſpõdet Lælius:cuius tota diſputatio eſt de amicitia:quã legens tu ipſe cognoſces. FANNIVS. [f] Sunt iſta vera, Læli: nec enim melior vir fuit Africano quiſquam,nec clarior. ſed exiſtimare debes,omnium oculos in te eſſe coniectos:vnum te ſapientem & appellãt, & exiſtimãt.

a *v.c. indaxi & ita L.*
b *o v.c. atq; vt tãquam à præſentibus.*
c *L. vt in Catone maiore feci, qui eſt ſcr.*
d *L. ſic hoc libro.*
e *al. paulliſper.*
f *L. Sunt iſta, Læli.*

tribuebatur hoc modo M. Catoni scimus [a] L. Acilium apud patres nostros appellatum esse sapientem. sed vterq; alio quodam modo: [b] Acilius, quia prudens esse in iure ciuili putabatur. Cato, quia multarum rerum vsum [c] haberet, multaq; eius & in senatu, & in foro vel prouisa prudẽter, vel acta constãter, vel responsa acutè ferebãtur. propterea quasi cognomen iam habebat in senectute sapientis. te autem alio quodam modo [d] dicunt, nõ solùm natura, & moribus, verùm etiã studio, & doctrina esse sapientem: nec sicut vulgus sed vt eruditi solẽt appellare sapientẽ, qualem in reliqua Græcia neminem. Nam, qui septem appellãtur, eos, qui ista subtiliùs quærunt, in numero [e] sapientũ non habent. Athenis vnum accepimus, & eum quidẽ etiam Apollinis oraculo sapientissimũ iudicatum. hanc esse in te sapiẽtiam existimãt, vt omnia tua in te posita esse ducas, humanosq; casus virtute inferiores [f] esse putes. itaq; ex me quærũt, credo & ex hoc item Scæuola, quónam pacto mortem Africani feras, eoq; magis quòd his proximis Nonis, cũ in hortos D. Bruti auguris, cõmentãdi causa, vt assolet, venissemus, tu non affuisti: qui diligentissimè semper ab lum diẽ, & illud munus solitus esses obire. SCAEVOLA. Quærunt quidem, C. Læli, multi, vt est à Fannio dictũ, sed ego id respondeo, quod animaduerti, te doloré, quẽ acceperis cùm summi viri, tum amãtissimi morte, ferre moderatè: nec potuisse nõ commoueri, nec fuisse id humanitatis tuæ, quòd autem [g] his Nonis in nostro collegio non affuisses, [h] valetudinem causam, non mœstitiam fuisse. LAEL. Rectè tu quidẽ, Scæuola, & verè, nec enim ab isto officio, quod semper vsurpaui cùm valerem, abduci incommodo meo debui nec vllo casu arbitror hoc constanti homini posse contingere, vt vlla intermissio fiat officij. Tu autẽ, Fanni, qui mihi tantum tribui dicis, quantum ego nec agnosco, nec postulo, facis amicè: sed vt mihi videris non rectè iudicas de Catone. aut enim nemo,

a *L. Atilium*

b *L. Atilius.*

c *L. habebat, & ita v. c.*

d *Verbum, dicunt, abest ab o. v. c.*

e *v. c. sapientium.*

f *esse, abest ab o. v. c.*

g *pronomen, his, abest ab o. v. c.*

h *q. v. c. valitudinẽ causæ, non mœstitiam fuisse. al. inualetudinem causæ &c.*

nemo, quod quidem magis credo, aut si quisquam, ille sapiens fuit. Quomodo enim (vt alia omittam) mortem filij tulit? memineram Paullum, videram [a] Caium: sed hi nec comparétur Catoni maximo, & expectato viro. Quamobrem caue Catoni anteponas ne istum quidé ipsum quę Apollo, vt ais, sapientissimũ iudicauit. Huius enim facta, illius dicta laudantur. De me autem (vt iam cum vtroq; loquar) sic habetote. Ego, si Scipionis desiderio me moueri negem, quàm id rectè faciã, videritis sapientes, sed certè mentiar. moueor enim tali amico orbatus, qualis, vt arbitror, nemo vnquã erit: &, vt confirmare possum, nemo certè fuit. sed non egeo medicina me ipse consolor, & maximè illo solatio, quod eo errore careo, quo, [b] amicorum decessu, plerique angi solent. nihil enim mali accidisse Scipioni puto. mihi accidit si quid accidit. suis autẽ incõmodis grauiter angi, nõ amicũ, sed seipsum amãtis est. Cum illo verò quis neget actũ esse præclarè? [c] nisi enim, quod ille minimè putabat, immortalitatem optare vellet, quid nõ est adeptus, quod homini fas esset optare? qui summã spem ciuium quam de eo iam puero habuerant, cõtinuo adolescens incredibili virtute superauit qui consulatũ petiuit numquam, factus est cõsul bis, primùm ante tempus: iterum sibi, suo tempore: recip. pœne serò, qui, duabus vrbibus euersis, inimicissimis huic imperio, nõ modò præsentia, verùm etiã futura bella deleuit. Quid dicã de moribus facillimis? de pietate in matrem? liberalitate in sorores? [d] bonitate in suos? iustitia in omneis? hæc nota sunt vobis, quàm autem ciuitati cara fuerit, mœrore funeris indicatum est. Quid igitur hunc paucorũ annorum accessio iuuare potuisset? senectus enim quamuis non sit grauis, vt memini Catonem vno anno antè, quàm mortuus est, mecum, & cum Scipione disserere, tamẽ aufert eam viriditatẽ, in qua [e] etiam tunc erat Scipio. Quamobrem vita quidem talis fuit, vel fortuna, vel gloria, vt

a *L. Gallum, sed hi inquiunt: Cato in perfecto, & spectato viro. Quamobrem, &c.*

b *al. in amicorum disce.*

c *q.v.c. benignitate in s.*

d *prouocabulum, hæc, abest ab o.v.c.*

e *q.v.c. etiã num.*

nihil posset accidere. moriendi autem sensum celeritas abstulit. quo de genere mortis difficile dictu est: quid homines suspicétur, videtis. Hoc tamé verè licet dicere, [2] P. Scipioni, ex multis diebus, quos in vita celeberrimos, lætissimosq; viderit illum diem clarissimũ fuisse, cùm, senatu dimisso, domum reductus [b] ad vesperã est, à patribus conscriptis, à populi Romani copijs, à Latinis, pridie quàm excessit è vita: vt ex tam alto dignitatis gradu [c] ad superos videatur potius, quàm ad inferos peruenisse, neq; enim assentior ijs, qui hęc nuper disserere cœperunt, cum corporibus simul [d] animas interire, atq; omnia morte deleri. Plus apud me antiquorũ auctoritas valet, vel nostrorũ maiorum, qui mortuis tam religiosa iura tribuerũt: quod non fecissent profectò, si nihil ad eos pertinere arbitrarétur: vel eorũ, qui in hac terra fuerunt, magnamq; Græciam, quæ nunc quidem deleta est, tum florebat, institutis, & præceptis suis erudierunt: vel eius, qui Apollinis oraculo sapiẽtissimus est iudicatus: qui non tum hoc, tum illud, vt in plerisq;, sed idé dicebat semper, animos hominũ esse diuinos, ijsq; [3] [e] cùm è corpore excessissent, reditum [f] ad cælum patere, optimoq;, & iustissimo cuiq; expeditissimũ, quod idem Scipioni videbatur: qui, quidem quasi præsagiret, perpaucis ante mortem diebus, cùm & Philus, & Manilius adessent, & alij plures, tuq; etiam Scæuola, [4] [g] mecum venisses, triduum disseruit de rep. cuius disputationis fuit extremum ferè de immortalitate animorũ: quæ se in quiete per visum ex Africano audisse dicebat. Id si ita est, vt optimi cuiusque animus in morte facillimè euolet, tãquam è custodia, vinculisq;; corporis: cui censemus cursum ad eos faciliorem fuisse, quàm Scipioni? Quocirca [5] mærere hoc eius euentu, vereor, ne inuidi magis quàm amici sit. sin autem illa vereor, vt idem interitus sit animorum, & corporum, nec vllus sensus maneat: vt nihil boni est morte, sic certè nihil mali. sensu enim

[2] *q. v. c. P. Scipionis.*

[b] *v. c. ad vesperum est.*

[c] *q. v. c. ad superos videtur deos potius.*

[d] *L. animos.*

[e] *al. cum è corpore exissent.*

[f] *L. in cælum pat.*

[g] *al. me conuenisses.*

enim amisso,fit idē quasi natus nō esset omnino: quem tamē esse natum & nos gaudemus, & hæc ciuitas, dum erit lætabitur. Quamobrem cum illo quidem (vt supra dixi) actū optimē est: mecum autē incōmodius: [a] quem fuit æquius, vt priùs introieram in vitam, sic priùs exire de vita. sed tamē recordatione nostrę amicitię sic fruor, vt beatè vixisse videar, quia cū Scipione vixerim: quocum mihi cōiuncta cura de rep. & de priuata fuit, quocum domus fuit, & militia communis: & id, in quo est omnis vis amicitię, voluntatum, studiorum, sententiarū summa cōsensio. Itaq; non tam ista me sapientiæ, quam modò Fānius cōmemorauit, [6] fama delectat, falsa præsertim: quàm, quod amicitiæ nostræ memoriam spero sempiternam fore, idq; mihi eo magis est cordi; quòd ex omnibus sæculis vix tria, [7] aut quatuor [b] nominantur paria amicorū: quo in genere sperare videor Scipionis amicitiam, & Lælij notā posteritati fore. FANN. istud quidem, Læli, ita necesse est: sed quoniā amicitiæ mentionem fecisti, & sumus otiosi, pergratum mihi feceris, [c] spero item Scæuolæ, si, quemadmodū soles, de ceteris rebus, cùm ex te quæritur, sic de amicitia [d] disputabis, quid sentias, qualé existimes, quæ præcepta des. S CAE. Mihi verò pergratum hoc erit. atq, idipsum cùm tecum agere conarer, Fannius anteuertit, quamobrem vtriq; nostrum gratum admodum feceris. LAEL. Ego verò nō grauarer, si mihi ipse cōsiderem, nam & præclara [e] visa res est, & sumus, vt dixit Fānius, otiosi. sed quis ego sum aut quæ est in me facultas? doctorum est ista consuetudo, eaque Græcorum, [f] vt ijs proponatur, de quo disputent quamuis subitò. Magnum opus est, egetq; exercitatione non parua. Quamobrem quæ disputari de amicitia possunt, ab eis censeo petatis, qui ista profitentur, ego vos hortari tantum possum, vt amicitiam omnibus rebus humanis anteponatis. nihil est enim tam naturæ aptum, tam cōueniens ad res vel secūdas, vel aduersas,

a *Quæ fuerat æquius.*

b *fort. numerentur.*

c *al. credo item.*

d *L. disputarij.*

e *particip. visa, abest ab o. v. c.*

f *vt ijs ponatur.*

Sed hoc primùm sentio, nisi in bonis amicitiam esse nō posse, neq; id ad viuum reseco, vt illi, qui hæc subtiliùs disserunt, fortasse verè, sed ad cōmunem vtilitatem parum. negant enim, quemquam virum bonum esse, nisi sapientem. Sit ita sanè, sed eam sapientiā interpretātur, quam adhuc mortalis nemo est consecutus. nos autem ea, quæ sunt in vsu, vitaq; communi nō ea, quæ fingun-
a L. spectare. tur, aut optantur, [a] sperare debemus. nunquam ego dicam, C. Fabricium, [b] M. Curium, T. Coruncanum, quos
b L. M' Curium, T. Coruncanium. sapientes nostri maiores iudicabāt, ad istorū normam fuisse sapientes. Quare sibi habeant sapientiæ nomē & inuidiosum, & obscurum, concedantq;, vt bi boni viri fuerint. Ne id quidem facient. negabunt, id, nisi sapiēti, posse concedi. Agamus igitur pingui Minerua, vt aiunt.
c L. æquitas. Qui ita se gerūt, ita viuunt, vt eorum probetur fides, integritas, [c] æqualitas, liberalitas: nec sit in eis vlla cupiditas, vel libido, vel audacia: sintq; magna constantia, vt ij fuerunt, modò quos nominaui: hoc viros bonos, vt habiti sunt, sic etiam appellādos putemus, [d] qui assequuntur, quātum homines possunt, naturam optimam [e] rectè viuendi ducem. sic enim mihi perspicere videor, ita natos esse nos, vt inter omneis esset societas quędā maior autem, vt quisque proximè accederet. itaque ciues, potiores [f] sunt, quàm peregrini. & propinqui, quàm alieni. cum his enim amicitiam natura ipsa peperit: sed ea non satis habet firmitatis. namq; hoc præstat amicitia propinquitati, quòd ex propinquitate beneuolentia tolli potest, ex amicitia autem non potest, sublata enim beneuolentia, amicitiæ nomē tollitur, propinquitatis manet. Quanta autem vis amicitiæ sit, ex hoc intelligi maximè potest: quod [g] ex infinita societate generis humani, quam conciliauit ipsa natura, ita contracta res est, & adducta in angustū, vt omnis charitas [8] aut inter duos, aut inter paucos iungeretur. Est autem amicitia nihil aliud, nisi omnium diuinarum, humanarúmque rerum

d q.v.e. quia sequantur, al. qui sequātur.
e v.c. bene viuendi.
f sunt, abest ab o.v.c.
g al. ex infinitate societatis.

cum

cum beneuolentia,& charitate [a] summa cõsensio: [9] qua quidem haud scio an, excepta sapiẽtia, [b] quicquam melius homini sit à dijs immortalibus datum. diuitias alij præponunt, bonam alij valetedinem, alij potentiam, alij honores, multi etiam voluptates. beluarum hoc quidem extremum est: illa autem superiora, caduca, & incerta, posita non tam in nostris consilijs, quàm in fortunæ temeritate. Qui autem in virtute summum bonum ponunt, præclarè illi quidem: sed hæc ipsa virtus amicitiam & gignit, & continet: nec sine virtute amicitia esse vllo pacto potest. Iam virtutum ex consuetudine vitæ, sermonisq; nostri interpretemur: [c] nec metiamur eam vt quidam indocti, verborũ magnificentia: virosq; bonos eos, qui habentur numeremus, Paullos, Catones, [d] Caios, Scipiones, Philos. his communis vita contenta est. eos autem omittamus, qui omnino nusquam reperiuntur. Taleis igitur inter viros amicitia tãtas opportunitates habet, quantas vix queo dicere: [10] Principio, [e] cui potest esse vita vitalis, vt ait Ennius, qui nõ in amici mutua beneuolentia cõquiescat? Quid dulcius quàm habere, quicũ omnia audeas sic loqui vt tecum? Quis esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes, qui illis æquè, ac tu ipse, gauderet? aduersas verò ferre difficile esset sine eo, qui illas grauiùs etiam, quàm tu, ferret. deniq; ceteræ res, quæ expetuntur opportunæ sunt singulę reb⁹ ferè singulis: diuitię, vt vtare: opes, vt colare: honores, vt laudere: voluptates, vt gaudeas: valetudo, vt dolore careas, & muneribus fungare corporis: amicitia res plurimas cõtinet: quoquò te verteris, præsto est: nullo loco excluditur: nũquã intempestiua, nunquã molesta est. Itaq; non aqua, non igni, [f] nõ aëre, vt aiunt, pluribus locis vtimur, quàm amicitia. neque ego nunc de vulgari, aut de mediocri (quæ tamen ipsa & delectat, & prodest) sed de vera & perfecta loquor, qualis eorum, qui pauci [g] nominãtur, fuit. nam &

a *vox, summa, abest ab o. v. c. nec agnoscit L.*

b *o. v. c. nihil melius homini sit.*

c *L. nec eam, vt quidã docti, verb. magnifi. metiamur: virosq.*

d *L. Gallos.*

e *L. quæ potest esse vita vitalis, vt ait Ennius, quæ nõ, &c. al. qui potest esse vita vitalis, vt ait Ennius, quæ non, &c.*

f *hoc totum nõ aëre abest, ab o. v. c.*

g *fort. numerantur.*

ſecundas res ſplendidiores facit amicitia, & aduerſas partiens communicansq́; leuiores. Cumq́; plurimas, & maximas commoditates amicitia cõtineat, tum illa nimirum præſtat omnibus, [a] quòd [11] bona ſpe prælucet in poſterũ: nec debilitari animos, aut cadere patitur: verũ etiam amicũ qui intuetur, tãquã exemplar aliquod intuetur ſui. Quocirca & abſentes adſunt, & egentes abũdant, [b] & imbecilles valent, &, quod difficilius dictu eſt, mortui viuunt: tantus eos honos, memoria, deſiderium proſequitur amicorũ, ex quo illorũ beata mors videtur: horum vita laudabilis, quòd ſi exemeris ex natura rerũ beneuolentiæ [c] coniunctionẽ: nec domus vlla, nec vrbs ſtare poterit: ne agri quidẽ cultus permanebit. id ſi minùs intelligitur, quanta vis amicitiæ, cõcordiæq́; ſit, ex diſſenſionibus, atq; ex diſcordijs percipi poteſt quæ enim domus tam ſtabilis, quæ tam firma ciuitas eſt, quæ non odijs, atq; diſſidijs funditus poſſit euerti? ex quo, quantũ boni ſit in amicitia, iudicari poteſt. Agrigentinũ quidẽ doctum quendã virũ, carminibus Græcis vaticinatũ ferunt: quæ in rerũ natura, totoq́; mundo conſtarent, quæq́; mouerẽtur, ea cõtrahere amicitiam, [d] diſſipare diſcordiam: atq; hoc quidẽ omnes mortales & intelligunt & reprobant. Itaq; ſi quando aliquod officium extitit: amici in periculis aut adeundis, aut cõmunicandis, quis eſt, qui id nõ maximis efferat laudibus? qui clamores tota cauea nuper in hoſpitis, & amici mei, M. Pacuuij, noua fabula: cùm, ignorãte rege, vter eorum eſſet Oreſtes, Pylades Oreſtẽ ſe eſſe diceret, vt pro illo necaretur: Oreſtes autẽ, ita vt erat, Oreſtem ſe eſſe perſeueraret? ſtantes autem plaudebãt in re ficta: quid arbitramur in vera fuiſſe facturos? facilè indicabat ipſa natura vim ſuã: cum homines, quod facere ipſi nõ poſſent, id rectè fieri in altero iudicarẽt. Hactenus mihi videor, de amicitia [e] quid ſentirem, potiſſimè dixiſſe. ſiqua præterea ſunt (credo autem eſſe multa) ab ijs, ſi videbitur, qui

a *L. quod bonã ſpem prælucet in.*

b *L. & imbecilli valẽt.*

c *L. vinctionem.*

d *v. c. diſſipare diſc.*

e *L. quid ſentirem. potuiſſe dicere, ſiqua, &c.*

qui iſta diſputant, quæritote. FANN. Nos autem à te potiùs: quamquam etiam ab iſtis ſæpe quæſiui, & audiui, non inuitus equidem: [13] ſed aliud quoddam [a] expetimus filij orationis tuæ. SCAE. Tum magis id diceres, Fanni, ſi nuper in hortis Scipionis, cùm eſt de rep. diſputatum, affuiſſes, qualis tum patronus iuſtitiæ fuit cõtra accuratam orationem Phili? FANN. Facile id quidem fuit, iuſtitiam iuſtiſſimo viro defendere. SCAE. Quid amicitiã? nónne facile ei erit, quid ob eam ſumma fide, conſtãtia, iuſtitiaq; ſeruatam, maximã gloriam ceperit? LAEL. Vim hoc quidẽ eſt afferre. quid enim refert, qua me ratione cogatis? cogitis certè. ſtudijs enim generorum, præſertim in re bona, cùm difficile eſt, tum ne æquum quidem, obſiſtere. Sæpiſſimè igitur mihi de amicitia cogitanti, maximè illud conſiderandũ videri ſolet, num propter imbecillitatem, atq; inopiam, [b] deſiderãda ſit amicitia: vt dandis, recipiẽdisq; meritis, quod quiſq; minùs [c] per ſe poſſet, id acciperet [d] ab alio, viciſſimque redderet: an eſſet hoc quidem proprium amicitiæ, ſed antiquior & pulchrior, & magis à natura ipſa profecta alia cauſa. amor enim, ex quo amicitia nominata eſt, princeps eſt ad beneuolentiã coniũgendam. nam vtilitates quidem etiam ab ijs percipiuntur ſæpe, qui ſimulatione amicitiæ coluntur & obſeruãtur temporis cauſa. In amicitia autem nihil fictum, nihil ſimulatum: &, quidquid in ea eſt, id & verum, & volũtarium eſt. Quapropter à natura mihi videtur potiùs, quàm ab [e] imbecillitate, orta amicitia, & applicatione magis animi cum quodam ſenſu amandi, quàm cogitatione, quantum [f] illa vtilitatis eſſet habitura. Quod quidem quale ſit, etiam in beſtijs quibuſdam animaduerti poteſt: quæ ex ſe natos ita amant ad quoddam tempus, & ab eis ita amantur, vt facilè earum appareat ſenſus. quod in homine multo eſt euidẽtius. Primùm ex ea charitate, quæ eſt inter natos, & parentes: quæ diuini, niſi deteſtabili

a *vetus exemplar nullum in codici. vet. reperitur.*

b *v. c. deſiderata ſit amicitia. & ita L.*

c *L. per ſe ipſe poſſet.*

d *al. ab illo.*

e *indigentia*

f *v. c. illam vtil.*

ſcelere, non poteſt: Deinde, cùm ſimilis ſenſus exſtitit amoris, ſi aliquem nacti ſumus, cuius cum moribus, & natura cõgruamus, quòd in eo quaſi lumẽ aliquod probitatis, & virtutis perſpicere videamur. nihil eſt enim amabilius virtute: nihil, quod magis alliciat[a] homines ad diligendum: quippe cùm propter virtutem, & probitatem eos etiam, quos nunquam vidimus, quodam modo diligamus. Quis eſt, qui C. Fabricij,[b] M. Curij cum charitate aliqua, & beneuolentia memoriã nõ vſurpet, quos nunquam viderit? quis autem eſt, qui Tarquiniũ Superbum, qui Sp. Caſſium, Sp. Mælium non oderit? Cum duobus ducibus de imperio in Italia decertatum, Pyrrho, & Hannibale, ab altero propter probitatẽ eius non nimis alienos animos habemus: alterum propter crudelitatem[c] eius ſemper hæc ciuitas oderit. Quòd ſi tanta vis probitatis eſt, vt eam vel in eis, quos nunquã vidimus, vel, quod maius eſt, in hoſte etiam diligamus: quid mirum, ſi animi hominũ moueantur, cùm eorum, quibuſcum vſu coniuncti eſſe poſſunt, virtutem, & bonitatem perſpicere videantur? Quãquam confirmatur amor & beneficio accepto, & ſtudio perſpecto, & conſuetudine adiuncta: quibus rebus ad illum primum motum animi, & amoris adhibitis, admirabilis quædam exardeſcit beneuolẽtiæ magnitudo: quam ſiqui putant ab imbecillitate proficiſci, vt ſit per quem quiſque aſſequatur, quod deſideret: humilẽ ſanè relinquunt, & minimè generoſum, vt ita dicam, ortũ amicitiæ: quam ex inopia, atque indigentia[d] naſci volunt quod ſi ita eſſet: vt quiſq; valetudinis minimum in ſe eſſe arbitraretur, ita ad amicitiam eſſet aptiſſimus. quod longè ſecus eſt. vt enim quiſq; ſibi plurimum confidit, & vt quiſq; maximè virtute, & ſapientia ſic munitus eſt, vt nullo egeat, ſuaque omnia in ſeipſo poſita iudicet: ita in amicitijs expetendis, colendisque maximè excellit. Quid enim Africanus[e] erat indigẽs mei? Minimè hercle: ac ne ego quidem

a *vox, homines, abeſt, ab o.v.c.*

b *L. M' Curij.*

c *prouocabulum, eius nullus in cod. v. reperitur.*

d *L. natam vol.*

e *verbum, erat, nullus in v.s. cõparet.*

quidem illius: ſed ego admiratione quadã virtutis eius: ille viciſſim opinione fortaſſe nonnulla, quam de meis moribus habebat, me dilexit: auxit beneuolentiam cõſuetudo. Sed quamquam vtilitates multæ, & magnæ conſecutæ ſunt, non ſunt tamẽ ab earum ſpe cauſæ diligendi profectæ. Vt enim benefici, liberalesque ſumus, non vt exigamus gratiam: neque enim beneficium fæneramur, ſed natura propenſi ad liberalitatem ſumus: ſic amicitiã non ſpe mercedis adducti, ſed quòd omnis eius fructus in ipſo amore ineſt, expetendam putamus. Ab ijs, qui pecudum ritu ad voluptatẽ omnia referunt, longè diſſentimus: nec mirum. nihil enim altum, nihil magnificum, ac diuinũ ſuſpicere poſſunt, qui ſuas omneis cogitationes abiecerunt in rem tam humilẽ, tamq; contemptam. Quamobrem hos quidem ab hoc ſermone remoueamus: ipſi autem [a] intelligamus, à natura gigni ſenſum diligendi, & beneuolẽtiæ charitatẽ, facta ſignificatione probitatis: quam qui appetiuerunt, applicant ſeſe, & propiùs admouent, vt & vſu eius, quem diligere cœperunt, fruantur, & moribus: ſintque pares in amore, & æquales: propenſioresq; ad benemerendum, quàm ad repoſcendum. [b] Atque hæc inter eos ſit honeſta certatio, ſic & vtilitates ex amicitia maximæ capientur: & erit eius ortus à natura, quàm ab imbecillitate, & grauior, & verior. nam ſi vtilitas amicitias conglutinaret, eadem commutata diſſolueret, ſed quia natura mutari nõ poteſt, idcirco veræ amicitiæ ſempiternæ ſunt. Ortum quidem amicitiæ videtis, niſi quid ad hæc fortè vultis. SCAE. Tu verò perge, Læli, pro hoc enim, qui minor eſt natu, meo iure reſpondeo. FANN. Rectè tu quidem. quamobrem audiamus.

[a] *L. intelligamus, naturà gigni, &c. & ita v. c.*

[b] *L. atq; inter eos ſit hæc honeſta certatio. & ita v. c.*

LÆL. Audite verò, optimi viri, ea quę ſæpiſſimè inter me, & Scipionẽ de amicitia diſſerebantur. quãquam ille quidem nihil difficilius eſſe dicebat, quàm amicitiã vſque ad extremum vitæ diem permanere. nam, vel vt

non idem expediret vtriq; incidere sæpe: vel vt de rep. non idem sentirent: mutari etiã mores hominum sæpe dicebat, aliâs aduersis rebus, aliâs ætate ingraueſcente. atque earum rerum exemplum ex ſimilitudine capiebat ineuntis ætatis, quòd ſummi puerorũ amores ſæpe vnà cum prætexta, & toga deponerentur. ſin autem ad adoleſcentiam perduxiſſent, dirimi tamen interdum [16] contentione, vel luxuriæ, vel conditionis, vel commodi alicuius, quod idem adipiſci vterque non poſſet. quòd ſi qui longiùs in amicitia prouecti eſſent, tamen ſæpe labefactari, ſi in honoris contẽtionem incidiſſent: [b] peſtem enim maiorem eſſe nullam in amicitijs, quàm in pleriſq; pecuniæ cupiditatem: in optimis quibuſque honoris certamen, & gloriæ: ex quo inimicitias maximas ſæpe inter amiciſſimos exſtitiſſe. magna etiã [c] diſſidia, & plerumq́ue iuſta naſci, cùm aliquid ab amicis, quod rectum non eſſet, poſtularetur: vt aut libidinis miniſtri, aut adiutores eſſent ad iniuriam. quod qui recuſarent, quamuis honeſtè id facerẽt, ius tamen amicitiæ deſerere arguerẽtur ab ijs, quibus obſequi nollent: illos autem, qui quiduis ab amico auderent poſtulare, poſtulatione ipſa profiteri, omnia ſe amici cauſa eſſe facturos, eorum querela inueterata non modò familiaritates exſtingui ſolere, ſed etiam odia gigni [d] maxima atque ſempiterna. [17] Hæc ita multa, [e] quaſi fato, impendere amicitijs, vt omnia ſubterfugere non modò ſapientiæ, ſed etiam fœlicitatis diceret ſibi videri. Quamobrem id primum videamus, ſi placet, quatenus amor in amicitia progredi debeat. num, ſi Coriolanus habuit amicos, ferre contra patriam arma illi cum Coriolano debuere? num [f] Becillum amici regnum appetentem, num Sp. Mælium debuerunt iuuare? Ti quidem Gracchum remp. vexantem, à Q. Tuberone, æqualibusq́ue amicis derelictũ videbamus. At C. Bloſſius, Cumanus, hoſpes familiæ veſtrę, Scæuola, cùm ad me, qui ad eam

Lænati,

a *L. contentione vel vxoriæ conditionis, vel.*

b *L. peſtem enim nullam eſſe maiorem amicitijs.*

c *L. diſcidia, & ita v.c.*

d *hæ duæ voces, maxima, atq; nullis ferè in cod. vet. comparent.*

e *L. quaſi fata.*

f *L. Vicellium.*

Lænati,[a] & Rutilio consulibus in consilio, deprecatum veniſſet,hanc,vt ſibi ignoſcerẽ, cauſam afferebat,quòd tanti Ti. Gracchum feciſſet, vt quidquid ille vellet, ſibi faciendum putaret.Tum ego, Etiámne,inquam,ſi te in Capitolium faſce is ferre vellet?Nunquã,inquit,voluiſſet id quidem :ſed,ſi voluiſſet,paruiſſem.Videtis,quàm nefaria vox, & hercle ita fecit, vel plus etiam, quàm dixit. Non enim paruit ille Ti.Gracchi temeritati, ſed præfuit: nec ſe comitem illius furoris,ſed ducem præbuit. Itaque hac amentia,quæſtione noua perterritus, in Aſiam profugit, ad hoſteis ſe contulit, pœnas reip. graueis, iuſtasque perſoluit. Nulla eſt igitur excuſatio peccati, ſi amici cauſa peccaueris. nam,cùm conciliatrix amicitiæ, virtutis opinio fuerit, difficile eſt amicitiam manere,ſi à virtute defeceris.Quod ſi rectum ſtatuerimus, vel concedere amicis,quidquid velint, [b] vel impetrare ab amicis, quidquid velimus, [19] [c] perfecta quidem ſapientia ſumus, ſi nihil habeat res vitij:ſed loquimur de ijs amicis, qui ante oculos ſunt, quos videmus, aut de quibus memoriã accepimus, aut quos noſtra vita cõmunis.ex hoc numero nobis exempla ſumẽda ſunt:& eorũ quidem maximè,qui ad ſapientiã proximè accedunt.[d] Vidimus Paullum Æmilium. C. Lucinio familiarem fuiſſe(ſic à patribus accepimus)bis vnà cõſules,& collegas in cenſura:tum etiam cum ijs, & inter ſe coniunctiſſimos fuiſſe, [e] M. Curium,& T. Coruncanum,memoriæ [f] traditum eſt,igitur ne ſuſpicari quidem poſſumus,quemquam horum ab amico quippiam contendiſſe,quod contra fidem,contra iuſiurandum, cõtra remp.eſſet.Nam hoc quidem in talibus viris quid attinet dicere?ſi cõtendiſſent,ſcio impetraturos nõ fuiſſe, cùm illi ſanctiſſimi viri fuerint: æquè autem nefas ſit, tale aliquid & facere rogatum, & rogare. At verò Ti. Gracchum ſequebantur C. Carbo, C.Cato,& minimè tunc quidem Caius frater,[h] nunc acerrimus hoſtis.

a *L. & Rutilio.*

b *L. vel impetrare ab ijs, qu.*

c *L perfectã quidẽ ſapientia ſi ſimus, nihil habeat res vitij.*

d *L.Videmus Papũ Aemilium, C. Luſcino famil. al. Vidimus C. Aemilium Papũ C. Luſcino fam.*

e *L. M. Curiũ,& T. Coruncanium.*

f *al. proditum eſt.*

g *L ſi cõtẽdiſſet, impetraturum non fuiſſe,&c.*

h *L. nunc idem acer.*

a *vox prima nullam v. c. comparet.*

HÆc igitur [a] prima lex in amicitia ſanciatur, vt neque rogemus res turpeis, nec faciamus rogati. turpis enim excuſatio eſt, & minimè accipiẽda, cùm in ceteris peccatis, tum ſi quis cõtra remp. ſe amici cauſa feciſſe fateatur. Etenim eo loco, Fanni, & Scæuola, locati ſumus, vt nos longè proſpicere oporteat futuros caſus reip. deflexit enim iam aliquantulũ de ſpatio, curriculoq; conſuetudo maiorũ. Ti. Gracchus regnũ occupare conatus eſt, vel regnauit is quidẽ paucos menſes. Num quid ſimile populus R. audierat, aut viderat? Hũc etiam poſt mortem ſecuti amici, & propinqui, quid in P. Scipionem Naſicã effecerint, ſine lachrymis non queo dicere. [b] nam Carbonem quoq;, quem modò poſuimus, propter recentem pœnam Ti. Gracchi, ſuſtinuimus. De C. Gracchi autem tribunatu quid exſpectem, non libet augurari. [c] ſerpit enim deinde res: [d] quæ procliuis ad perniciem, cùm ſemel cœpit, labitur. videtis in tabella iam antè quanta ſit facta labeis, primò Gabinia lege, biennio autẽ poſt. Caſſia. Videre iam videor populũ R. à ſenatu diſiunctũ, multitudinisq; arbitrio res maximas agi. plures enim diſcẽt, quemadmodũ hæc fiant, quàm quemadmodum his reſiſtatur. Quorſum hæc? quia ſine ſocijs nemo quidquam tale conatur. Præcipiendum eſt igitur bonis, vt, ſi in ciuſmodi amicitias ignari caſu aliquo inciderint, ne exiſtiment, ita ſe alligatos, vt ab amicis [12] [e] in magna re aliqua in remp. peccantibus, nõ diſcedant: improbis autem pœna ſtatuenda eſt: nec minor verò ijs, qui ſequuti erũt alterum, quàm ijs, qui ipſi fuerint impietatis duces. Quis clarior in Græcia Themiſtocle? quis potẽtior? qui cùm imperator bello Perſico ſeruitute Græciam liberaſſet, propterq́ue inuidiam [f] in exſilium miſſus eſſet, ingratæ patriæ iniuriã non tulit, quam ferre debuit. Fecit idem quod XX. annis antè apud nos fecerat Coriolanus. His adiutor contra patriã [g] inuentus eſt nemo. itaq; mortem ſibi vterq; [g] conſciuit

b *q. v. e. nam Carbonẽ, quoquo modo poſuimus prop.*

c *L. ſerpit deinde res: quæ.*

d *q. v. c. quæ procliuius ad pernic.*

e *L. in magnã aliquam remp. peccantib.*

f *al. in exſulem.*

g *L. conciuit.*

Quare

Quare talis[a] improborum conſenſio non modò excuſatione amicitiæ tegenda non eſt,ſed potiùs omni ſupplicio vindicanda:vt ne quis ſibi conceſſum puter,amicum,bellum patriæ inferentem,ſequi. quod quidem,vt res cæpit ire, haud ſcio,an aliquando futurum ſit. mihi autem non minori curæ eſt,qualis reſpub poſt mortem meam futura ſit,quàm qualis hodie ſit.

a *al.impiorũ.*

HÆc igitur prima lex amicitiæ ſanciatur, vt ab amicis honeſta petamus,amicorũ cauſa honeſta faciamus: ne exſpectemus quidem, dum rogemur: ſed ſtudium ſemper abſit,cunctatio adſit:conſilium verum dare gaudeamus liberè: plurimùm in amicitia amicorum bene ſuadentium valeat auctoritas: eaque adhibeatur ad monendum non modò apertè, ſed etiam acriter, ſi res poſtulabit: & adhibitæ pareatur. Nam quibuſdam, quos audio ſapienteis habitos in Græcia placuiſſe opinor mirabilia quædam,[13] ſed nihil eſt,quod illi nõ per ſequantur[b] ſuis argutijs: partim fugiendas eſſe nimias amicitias,ne neceſſe ſit vnum ſollicitum eſſe pro pluribus: ſatis, ſuperque eſſe ſibi [14] ſuarum cuique rerum [c] curam: alienis nimis implicari moleſtum eſſe:cõmodiſſimum eſſe, quam laxiſſimas habenas habere[d] amicitiæ: quas vel adducas: cùm velis,vel remittas,caput enim eſſe ad beatè viuendum,ſecuritatem:qua frui non poſſit animus, ſi tanquam parturiat vnus pro pluribus. Alios autem dicere aiunt multo etiam inhumaniùs, (quem locum breuiter perſtrinxi paullò antè)præſidii, adiumentiq; cauſa,non beneuolentiæ, neq; charitatis, amicitias eſſe expetendas: itaque vt quiſque minimum firmitatis habeat, minimumq; virium:ita amicitias appetere maximè.ex eo fieri,vt mulierculæ magis amicitiarum præſidia quærant,quam viri:& inopes,quam opulenti:& calamitoſi,[e] quã ij,qui putãtur beati. O præclaram ſapientem! Solẽ enim è mũdo tollere videtur, qui amicitiã è vita tollũt: qua à dijs immortalibus nihil

b *al.argutias.*

c *vox,curã, abeſt ab o. v. cod.*

d *fort. amicitiam.*

e *fort.quàm beati. O pr.*

melius habemus, nihil iucundius, quæ est enim ista securitas? specie quidem, blanda, [a] sed reipsa multis locis repudianda est. neque enim est consentaneum, vllam honestam rem, actionémue, ne sollicitus sis, aut nõ suscipere, aut susceptam deponere. Quòd si curã fugimus, virtus fugienda est quæ necesse est, [b] vt cum aliqua cura res sibi contrarias aspernetur, atq; oderit, vt bonitas malitiam, temperantia libidinem, ignauiam fortitudo. Itaque videas rebus iniustis iustos maximè dolere [c] imbecillibus fortes, flagitiosis modestos. Ergo hoc proprium est animi bene constituti, & lætari bonis rebus, & dolere contrarijs. Quamobrem si cadit in sapientem [d] animi dolor (qui profectò cadit, nisi ex eius animo extirpatam humanitatem arbitremur) quæ causa est, [e] vt amicitiam funditus tollamus è vita, ne aliquas propter eam suscipiamus molestias? Quid enim interest, motu animi sublato, non dico inter pecudem, & hominẽ: sed inter hominem & saxum, aut truncum, aut quiduis generis eiusdem? neq; enim sunt isti audiendi, qui virtutem duram, & quasi ferream esse volunt: quæ quidem est cùm multis in rebus, tum in amicitia, tenera, atque tractabilis: vt & bonis amici [f] quasi diffundatur, & incommodis contrahatur. Quamobrem angor iste, qui pro amico sæpe capiendus est, non tantum valet, vt tollat è vita amicitiam: non plus, quàm vt virtutes, quia nonnullas curas, & molestias afferunt, repudiẽtur. Cùm autem contrahat [g] virtus amicitiam, vt supra dixi, si qua significatio virtutis eluceat, ad quam se similis animus applicet, & adiungat: id cum contigit, amor ibi exoriatur necesse est. Quid enim tam absurdũ, quàm delectari multis inanibus rebus, vt honore, vt gloria, vt ædificio, vt vestitu, cultuque corporis: animo autem virtute prædito, eo, qui vel amare, vel (vt ita dicam) redamare possit, non admodum delectari? nihil est enim remuneratione beneuolentiæ, nihil vicissitudine studiorum, officio-

a *L. sed reapse.*

b *particula, vt, non reperitur in v. c.*

c *pleriq. v. c. imbellibus.*

d *quidam delent hic vocem, animi.*

e *L. Cur amicit.*

f *v. c. quasi diffundantur, & incõmodis contrahantur*

g *vox, virtus, nullis in v. c. reperitur.*

ficiorumque iucundius. Quod ſi etiam illud addimus, quod rectè addi poteſt, nihil eſſe, quod ad ſe rem vllam tam alliciat, & tam attrahat, quàm ad amicitiam ſimilitudo: concedatur profectò verum eſſe, vt bonos boni diligant, adſciſcantq; ſibi quaſi propinquitate coniunctos, atque natura. nihil eſt enim appetentius ſimilium ſui, nihil rapacius, quàm natura. Quamobrem hoc quidem, Fanni, & Scęuola, conſtat, (vt opinor) bonis inter bonos quaſi neceſſarium benevolentiam eſſe: quæ eſt amicitiæ fons à natura conſtitutus. ſed eadem bonitas etiam ad multitudinem pertinet. non eſt enim inhumana virtus, [15] neq; immanis, neq; ſuperba: quæ etiam populos vniuerſos tueri, eiuſque optimè conſulere ſoleat: quod non faceret profectò, ſi à caritate vulgi abhorreret. Atq; etiam mihi quidem videtur, qui vtilitatis cauſa fingunt amicitias, amabiliſſimum nodũ amicitiæ tollere. nõ enim tam vtilitas parta per amicũ, quàm amici amor ipſe delectat: tũq; illud fit, quod amico eſt profectum, iucundum, [b] ſi cum amore, & ſtudio eſt profectũ: tantumq; abeſt, vt amicitię propter indigentiam colãtur. vt ij, qui opibus & copijs, maximeq; virtute præditi in qua plurimũ eſt præſidij, minimè alterius indigeant, liberaliſſimi ſint, & beneficentiſſimi, Atq; haud ſcio an ne opus ſit quidem, nihil vnquam omnino deeſſe amicis. Vbi enim ſtudia noſtra viguiſſent, ſi nũquam ſtudio nunquam conſilio, nunquam opera noſtra nec domi, nec militiæ Scipio eguiſſet? non igitur vtilitatem amicitia, ſed vtilitas amicitiam conſecuta eſt. Nõ ergo erũt [c] homines [16] diuitijs affluentes audiendi, ſiquando de amicitia, quam nec vſu, nec ratione habent cognitã, diſputabunt. Nam quis eſt, pro deũm fidem, atq; hominum, qui velit, vt neque diligat quemquam, nec ipſe ab vllo diligatur, circumfluere omnibus copijs, atque in omnium rerum abundantia viuere? hæc enim eſt tyrãnorũ vita nimirũ, in qua nulla fides, nulla caritas, nulla

a *L. quieſt.*

b *L. ſi cum ſtudio eſt pr.*

c *L. homines delicijs diffluentes al. affluentes.*

stabilis beneuolentiæ potest esse fiducia:omnia semper suspecta,atque sollicita : nullus locus est amicitiæ. quis enim aut eum diligat,quem metuit:aut eũ,à quo se metui putat ? Coluntur tamẽ simulatione [a] amicitiæ duntaxat ad tempus.quòd si fortè (vt fit plerumq;) ceciderint : tum intelligitur, quàm fuerint inopes amicorum. quod Tarquiniũ dixisse ferũt, [b]cùm exsul esset,se intellexisse, quos fidos amicos habuisset, [c] quosq; infidos, cùm iam neutris gratiam referre posset.Quãquam miror [d] in illa superbia & importunitate, si quemquã habere potuit. Atq; vt huius quẽ dixi,mores, veros amicos parare nõ potuere : sic multorũ opes præpotẽtium excludũt amicitias fideleis. non enim solùm ipsa fortuna cæca est,sed eos etiam plerumq; efficit cæcos,quos complexa est.[17] Itaq; illi efferuntur ferè fastidio,& cõtumacia, neq; quidquam insipiẽte fortunato intolerabilius fieri potest.Atq; hoc quidem videre licet,eos,qui anteà cõmodis fuerũt moribus:imperio,potestate,prosperis rebus [e] immutari,sperniq; ab ijs veteres amicitias, & indulgeri nouis.Quid autẽ stultius,quàm vt plurimũ copijs, facultatibus, opibus possint,cætera parare,quæ parant,pecuniam,equos,famulos,vestes egregias, vasa prætiosa,amicos nõ parare,optimam & pulcherrimam vitæ,vt ita dicã, supellectilem ? etenim cetera cùm parant,cui parent,nesciunt,nec cuius causa laborent.eius enim est istorũ quidq;, qui vincit viribus:amicitiarũ sua cuiq; permanet stabilis, & certa possessio : vt,etiã si illa maneãt,quæ sunt quasi dona fortunæ, tamẽ vita inculta,& deserta ab amicis,non possit esse iucũda. Sed hæc hactenus.Constituendi autẽ sunt,qui sint in amicitia fines,& quasi termini diligẽdi:de quibus treis video sententias ferri:quarũ nullam probo:vnam,vt eodem modo [f] erga amicũ affecti simus, quo erga nosmetipsos:alterã,vt nostra in amicos beneuolẽtia, illorum erga nos beneuolẽtiæ,pariter,æqualiterq; respõdeat:tertiam,vt, quanti

a *vox amicitiæ, abest v.c.*

b *plerique v.c. cum exsulantem.*

c *v.c. quos infidos.*

d *præpositio, in,non reperitur in v.c.*

e *al.mutari.*

f *L. erga amicos.*

quanti quiſq; [a] ſeipſum facit, tanti fiat ab amicis. Harum trium ſententiarum nulli prorſus aſſentior. nec enim illa prima vera eſt, vt, quemadmodum in ſe quiſq;, ſic in amicũ ſit animatus. quàm multa enim, quæ noſtra cauſa nũquam facerenus, facimus cauſa amicorũ? precari ab indigno, ſupplicare, tum acerbiùs in aliquem inuehi, inſectariq; vehemẽtiùs? quæ in noſtris rebus non ſatis honeſtè, in amicorum fiunt honeſtiſſimè. Multæ quoq; res ſunt, in quibus de ſuis cõmodis viri boni multa detrahunt, detrahiq; patiuntur: vt ijs amici potiùs, quàm ipſi, fruantur. Altera ſentẽtia eſt, quæ definit amicitiam paribus officijs, ac voluntatibus. Hoc quidem eſt nimis exiguè, & exiliter ad calculos vocare amicitiam, vt par ſit ratio acceptorũ, & datorum. Ditior mihi, & affluentior videtur eſſe vera amicitia: nec obſeruare ſtrictè, ne plus reddat, quàm acceperit. neque enim verẽdum eſt, nequid excidat, aut ne quid in terram defluat, aut ne plus æquo quid in [18] [b] amicitia cõgeratur. Tertius verò ille finis [c] deterrimus, vt, quanti quiſq; ſe ipſe faciat, tãti fiat ab amicis. ſæpe enim in quibuſdam aut animus abiectior eſt, aut ſpes amplificãdæ fortunę fractior. non eſt igitur amici, talem eſſe in eum, qualis ille in ſe eſt: ſed potius eniti, & efficere, vt amici iacentem animum excitet, inducatq; in ſpem, cogitationemq; meliorem. Alius igitur finis veræ amicitiæ cõſtituẽdus eſt, ſi prius, quid maximè reprehendere Scipio ſolitus ſit, edixero. Negabat vllam vocem inimiciorem amicitiæ potuiſſe reperiri quàm eius, qui dixiſſet, ITA AMARE OPORTERE, [d] VT ALIQVANDO ESSET ODIVRVS. nec verò ſe adduci poſſe, vt hoc, quemadmodum putaretur, à Biante dictum eſſe crederet, qui ſapiens habitus eſſet vnus è ſeptem, ſed impuri cuiuſdam, [e] & ambitioſi, aut omnia ad ſuam potentiam reuocantis eſſe ſententiam. quónam enim modo quiſquam amicus eius eſſe poterit, cuius ſe putabit inimicum eſſe poſ-

a *L. ſeipſum facit.*

b *q. v. e. in amicitiã cõgeratur.*

c *L. deterrimus. & ita o. v. e.*

d *L. vt ſi aliquando eſſes ejurus.*

e *L. aut amb.*

se? quin etiã necesse erit cupere & optare, vt quàm sæpissimè peccet amicus, quò plureis det sibi tanquam ansas ad reprehendendum: rursum autem rectè factis, commodisq; amicorum necesse erit angi, dolere, inuidere. Quare hoc quidem præceptum, cuiuscunque est, ad tollendam amicitiam valet. Illud potius præcipiendum fuit, vt eam diligentiam adhiberemus in amicitijs comparandis, vt ne quando amare inciperemus eum, quem aliquando odisse possemus. quinetiã si minus felices in diligendo fuissemus, ferendũ id Scipio potius, quàm inimicitiarum tempus cogitandum, putabat. His igitur finibus vtendum arbitror, vt, cùm emẽdati mores amicorum sint, tum sit inter eos omnium rerum, consiliorum, & voluntatum sine vlla exceptione communitas: [a] & si qua fortuna acciderit, vt minus iustæ amicorum voluntates adiuuandæ sint, [b] in quibus eorum [1] [2] aut de capite agatur, aut fama, declinandum de via est, modò ne summa turpitudo sequatur. est enim quatenus amicitiæ dari venia possit. nec verò negligẽda est fama: nec mediocre telũ ad res gerendas existimare oportet beneuolentiam ciuium: quàm blanditijs, [c] & assentationibus colligere turpe est. virtus, quam sequitur caritas, minimè repudianda est. Sed (sæpe enim redeo ad Scipionem, cuius omnis sermo erat de amicitia) quærebatur, quòd omnibus in rebus homines diligentiores essent: capras, & oues quot quisque haberet, dicere posse: amicos quot haberet, non posse dicere: & in illis quidẽ parandis adhibere curã: in amicis eligendis negligenteis esse: nec habere quasi signa quædam, & notas, quibus eos, qui ad amicitiã essent idonei, iudicarent. Sunt igitur firmi, & stabiles, & cõstantes eligẽdi: cuius generis est magna pœnuria: & iudicare difficile est, sanè, nisi expertũ. experiendum autẽ est in ipsa amicitia. ita præcurrit amicitia iudicium, tollitq́ue experiendi potestatem. Est igitur prudentis, sustinere, [d] vt cursum, sic impetum

a *al. vt etiã si qua.*

b *L. in quib. eorum aut caput agatur.*

c *v. c. & assentando.*

d *al. vt cursum.*

petum beneuolentiæ: quo vtamur [20] quasi aquis tentatis, ſic amicitijs; aliqua parte periclitatis moribus amicorũ. Quidam ſæpe in parua pecunia perpiciuntur, quàm ſint leues: quidam autem, quos parua mouere nõ potuit, cognoſcũtur in magna. [b] ſi verò erunt aliqui reperti, qui pecuniam præferre amicitiæ, ſordidũ exiſtiment: vbi eos inueniemus, qui honores, magiſtratus imperia, poteſtates, opes amicitiæ non anteponent? vt, cùm ex altera parte propoſita hæc ſint, ex altera ius amicitiæ, nõ multo illa malint? IMBECILLA enim natura eſt ad contemnendam potentiam: quam etiam ſi neglecta amicitia cõſecuti ſunt, [21] [c] excuſari ſe arbitrãtur, quia nõ ſine magna cauſa ſit neglecta amicitia. Itaque veræ amicitiæ difficillimè reperiuntur in ijs, qui in honoribus, req; publica verſantur. Vbi enim iſtũ inuenias, qui honorem amici anteponat ſuo? Quid? hæc vt omittam, quàm graues, quàm difficiles pleriſque videtur calamitatum ſocietates? ad quas [22] non eſt facilè inuentus, qui deſcendat. Quamquam Ennius rectè:

Amicus certus in re incerta cernitur. tamen hæc duo leuitatis, & infirmitatis plerosq; conuincunt: aut ſi in bonis rebus cõtemnunt, aut ſi in malis deſerunt. Qui igitur vtraque in re grauem, conſtantem, ſtabilem ſe in amicitia præſtiterit, hunc ex maximè raro hominũ genere iudicare debemus, & penè diuino. Firmamentum autẽ ſtabilitatis, conſtãtiæq; eius, quã in amicitia quærimus, fides eſt. Nihil enim ſtabile eſt, quod infidũ eſt. Simplicem præterea, & communem, & conſentientem, [d] & qui rebus ijſdem moueatur, eligi par eſt: quæ omnia pertinent ad fidelitatem. neque enim fidum poteſt eſſe multiplex ingenium, & tortuoſum: neq; verò, qui nõ ijſdem rebus mouetur, & natura conſentit, aut fidus, aut ſtabilis poteſt eſſe. Addẽdum eodem eſt, vt ne criminibus, aut inferẽdis delectetur [e] amicus, aut credat [f] illatis: quæ omnia pertinent ad eam, quam iamdudum tracto,

a *L. quaſi aquis tent.*

b *Sin verò.*

c *L. excuſatum ri ſe arbitr.*

d *v.c. id eſt qui reb.*

e *vox, amicus, abeſt ab a.v.c.*

f *al. oblatũ.*

constantiam. Ita sit verum illud,quod initio dixi. Amicitiam, nisi inter bonos, esse non posse. est enim boni viri,quem eundem sapientem licet dicere,hæc duo tenere in amicitia:primum,nequid fictũ sit, néue simulatum:apertè enim vel odisse,magis ingenuum est,quàm fronte occultare sententiam: deinde,non solùm ab aliquo [a] oblatas criminationes [b] depellere, sed ne ipsum quidem esse suspicioſum,semper aliquid existimantem ab amico esse violatum. Accedat huc suauitas quædam oportet sermonum, atq; morũ,haudquaquã mediocre condimentum amicitiæ. Tristitia autem, & in omni re seueritas absit. habet illa quidem grauitatẽ. [c] sed amicitia remissior esse debet, & liberior, & dulcior, & ad omnem comitatem, facilitatemque procliuior. Exsistit autem hoc loco quædã quæstio subdifficilis:nunquando amici noui,digni amicitia, veteribus sint anteponẽdi, vt equis vetulis teneros anteponere solemus. Indigna homine dubitatio,non enim amicitiarũ esse debẽt, sicut aliarum rerum,satietates. Veterrimæ quæque (vt ea vina, quæ vetustatẽ ferunt) esse debent suauissimæ: verumque illud est, quod vulgò dicitur, MVLTOS MODIOS SALIS SIMVL EDENDOS esse,vt amicitiæ munus expletum sit. nouitates autẽ, si spem afferunt,vt,tanquam in herbis non fallacibus fructus appareat,non sunt illæ quidem repudiandæ,vetustas tamen suo loco conseruãda est. maxima est enim vis vetustatis, & consuetudinis. atqui in ipso equo, cuius modò mentionem feci,si nulla res impediat,nemo est,qui nõ eo,quo consuerit, libentiùs vtatur, quàm intractato,& nouo:nec modò in hoc, quod est animal,sed in ijs etiã, quæ sunt inanimata,consuetudo valet:cùm locis etiam ipsis montosis delectemur,& siluestribus,in quibus diutius cõmorati sumus. Sed maximum est in amicitia,superiorem, parem esse inferiori, sæpe enim excellentiæ quædã sunt.qualis erat Scipionis in nostro, vt ita dicã, grege.

[a] *al.illatas al.allatas.*

[b] *L. repellere.*

[c] *L. sed in amicitia re. grita v.c.*

grege. Nunquam ſe ille Philo,numquã [a] Rupilio,numquam Mummio antepoſuit, nũquam inferioris ordinis amicis. [b] Q.verò Maximum fratrem, egregium virum, omninò ſibi nequaquam parem. [c] quò is anteibat ætate, tanquam ſuperiorem colebat: [d] ſuoſq; omneis, per ſe eſſe ampliores volebat. Quod faciẽdum,imitandumq; eſt omnibus:vt,ſiquã præſtantiam virtutis,ingenij, fortunæ conſecuti ſunt, impertiant eam ſuis, communicentq́ cum proximis: vt,ſi parentibus nati ſint humilibus,ſi propinquos habeãt imbecilliores vel animo,vel fortuna,eorũ augeant opes, eisq́; honori ſint,& dignitati:vt in fabulis,qui aliquandiu propter [e] ignorantiam ſtirpis,& generis in famulatu fuerint,cum cogniti ſunt, & aut deorum, aut regum filij inuenti, retinent tamen charitatem in paſtores,quos patres ſuos multos annos eſſe duxerunt. Quod quidem eſt multo profectò magis in veris patribus,certisq́; faciendũ,fructus enim ingenij,& virtutis,omnisq́ue præſtantiæ, [f] tum maximè capitur,cum in proximum quemque confertur. Vt igitur ij,qui ſunt in amicitiæ,coniunctionisq́ue neceſſitudine ſuperiores,exæquare ſe cum inferioribus debent: [g] ſic inferiores dolere non debent, ſe à ſuis amicis aut ingenio,aut fortuna, aut dignitate ſuperari. quorũ plerique aut queruntur ſemper aliquid, aut etiam exprobrant,eoq́ue magis, ſi aliquid habere ſe putant, [h] quod offenſiosè, aut amicè, & cum labore aliquo ſuo factum queant dicere. Odioſum ſanè genus hominum, officia exprobrantiũ:quæ meminiſſe debet is,in quem collata ſunt,non commemorare,qui contulit. Quamobrem vt ij,qui ſuperiores ſunt,ſummittere ſe debent in amicitia: ſic quodam modo inferiores extollere. ſunt enim quidem,qui moleſtas amicitias faciũt,cum ipſi ſe contemni putant:quod nõ ferè contingit,niſi ijs,qui etiam cõtemnendos ſe arbitrantur: qui hac opinione non modò verbis, ſed etiam opere leuandi ſunt. Tantum autem

a *al. Rutilio.*

b *q. v. c. Q. verò ſ. frẽ.*

c *fort. quòd.*

d *L. ſuoſq; omneis poſſe per ſe eſſe.*

e *L. ignorationem ſt.*

f *al. tum maximè carp.*

g *L. ſic inferiores non dolere, ſe à ſ.*

h *q. v. c. quod officiosè, & amicè.*

a verbũ possit, abest ab o.v.c.

cuiq; tribuendum, primum, quantum ipse efficere [a] possit: deinde etiam, quantum ille, quem diligas, atq; adiuues, possit sustinere. non enim tu possis, quãtumuis licet excellas, omneis tuos ad honores amplissimos perducere: vt Scipio P. Rutiliũ potuit consulem efficere, fratrem eius Luciũ non potuit. Quòd si etiã possis quiduis deferre ad alterum, vidẽdum est tamen, quid ille possit sustinere. Omnino amicitiæ, corroboratis iam, confirmatisq́; & ingenijs, & ætatibus, iudicãdæ sunt: nec, siqui ineunte ætate venandi, aut pilę studiosi fuerint, eos habere necessarios oportet, quos tum eodem studio præditos dilexerunt. isto enim modo nutrices, & pædagogi iure vetustatis plurimum beneuolẽtiæ postulabunt. qui negligendi quidẽ non sunt, sed alio quodam modo [b] colendi: aliter enim amicitiæ stabiles permanere nõ possunt, dispares enim mores, disparia studia sequũtur: quorũ dissimilitudo dissociat amicitias: nec ob aliã causam vllam boni, improbis: improbi, bonis amici esse nõ possunt, nisi quòd tanta est inter eos, quãta maxima potest esse, morum studiorumq́; distantia. Rectè etiam pręcipi potest in amicitijs, [c] ne quis intemperata quadam beneuolentia (quod persæpe fit) impediat magnas vtilitates amicorũ. nec enim (vt ad fabulas redeam) Troiam Neoptolemus capere potuisset, si Lycomedẽ, apud quẽ erat educatus, multis cum lachrymis iter suũ impediẽtem, audire voluisset: & sæpe incidunt magnæ res, vt discedendum sit ab amicis. quas qui impedire vult, quòd desiderium non facilè ferat, is & infirmus est, mollisq́; natura, & ob eam ipsam causam in amicitia parũ iustus. Atq; in omni re considerãdum est, & quid postules ab amico, & quid patiare à te impetrari. Est etiã quasi quędam calamitas in amicitijs dimittendis nonnunquam necessaria: iam enim à sapientium familiaritatibus ad vulgareis amicitias oratio nostra delabitur: erumpunt sæpe vitia amicorum cùm in ipsos amicos, tum in alienos:

b al. amandi.

c v.c. ne intemperata quadam b.

nos, quorum tamen ad amicos redundet infamia, tales igitur amicitiæ ſunt [24] remiſſione vſus [a] eleuandæ, & (vt Catonem dicere audiui) diſſuendę magis, quam diſcindendæ: niſi quædam admodum intolerabilis iniuria exarſerit, vt neque rectum neque honeſtũ ſit, neq; fieri poſſit, vt non ſtatim alienatio, diſiunctioq; facienda ſit: ſin autem morum, aut ſtudiorum cõmutatio quædam, (vt fieri ſolet) facta erit, aut in reip. partibus diſſenſio interceſſerit ([b] loquor enim, vt paullo antè dixi, non de ſapientium, ſed de communibus amicitijs) cauendum erit, ne nõ ſolùm amicitiæ depoſitæ, ſed inimicitiæ etiã ſuſceptæ videantur. Nihil enim eſt turpius, quàm cum eo bellum gerere, quocũ familiariter vixeris. Ab amicitia Q. Pompeij meo nomine ſe remouerat (vt ſcitis) Scipio, propter diſſenſionẽ autem, quæ erat in republicatus eſt à collega noſtro Metello, vtrumq; egit [c] grauiter, auctoritate, & offenſione animi non acerba. Quamobrem primùm danda opera eſt, [25] ne qua amicorum [d] diſſidia fiant: ſin tale aliquid euenerit, vt extinctæ potius amicitiæ, quàm oppreſſæ eſſe videantur. Cauẽdum verò eſt, ne etiã in graueis inimicitias cõuertãt ſe amicitiæ: à quibus iurgia, maledicta, contumeliæ gignũtur. quæ tamen ſi tolerabiles erunt, ferendæ ſunt: & hic honos veteri amicitiæ tribuendus eſt, vt is in culpa ſit, qui faciat, nõ qui patiatur iniuriam. Omnino omnium horum vitiorum atque incommodorum vna cautio eſt, atque vna prouiſio, vt ne nimis citò diligere incipiamus, néue indignos. Digni autẽ ſunt amicitia, quibus in ipſis ineſt cauſa, cur diligãtur. Rarum iſtud genus: & quidem omnia præclara rara: nec quidquam difficilius, quàm reperire, quod ſit omni ex parte [e] in ſuo genere perfectum. ſed plerique neque in rebus humanis quidquam [f] bonum norunt, niſi quod fructuoſum ſit: & amicos, tanquam pecudes eos potiſſimum [g] diligunt, ex quibus ſperant ſe maximum fructum eſſe capturos. itaque pul-

a *L. eleuenda. al. deſſuendæ.*

b *L. loquor enim iam, vt.*

c *q. v. c. grauitate auctoris.*

d *v. c. diſcidia.*

e *hoc totum, in ſuo genere, videtur delẽdum.*

f *al. boni.*

g *al. deligunt*

cherrima illa,[26] & maximè naturali carent amicitia, per se, & propter se expetenda: nec ipsi sibi exemplo sunt, hæc vis amicitiæ, qualis, & quanta sit. Ipse enim se quisque diligit, non vt aliquam[a] à seipso mercedem exigat charitatis suæ, sed quòd per se sibi quisq; carus est: quod nisi idem in amicitiam transferatur, verus amicus nunquam reperietur.[b] EST ENIM IS AMICVS QVIDEM, qui est tãquam alter idem. Quod si hoc apparet in bestijs, volucribus, natantibus, agrestibus, cicuribus, feris, primùm se vt ipsa diligant: (id enim pariter cum omni animante nascitur) deinde, vt requirant, atque appetant, ad quas se applicent, eiusdem generis animanteis: idque faciunt cum desiderio, & cum quadam similitudine amoris humani: quanto id magis in homine fit natura, qui & se ipse diligit, & alterum[c] acquirit, cuius animum ita cum suo commisceat, vt efficiat pæne vnum ex duobus? Sed plerique peruersè, ne dicam impudenter, amicum habere talem volunt, quales ipsi esse non possunt: quæque ipsi non tribuunt amicis, hæc ab ijs desiderant. Par est autem, primùm ipsum esse virum bonum, tum alterum similem sui quærere. in talibus ea, quam iamdudum[d] tractabamus, stabilitas amicitiæ, confirmari potest. cùm homines beneuolentia coniuncti, primùm cupiditatibus ijs, quibus ceteri seruiunt, imperabunt: deinde æquitate, iustitiaq; gaudebunt, omniaque alter pro altero suscipiet: neque quidquam vnquam nisi honestum, & rectum alter ab altero postulabit: neque solùm[e] colent se inter se, ac diligent, sed etiam verebuntur. nam maximum ornamentum amicitiæ tollit, qui ex ea tollit verecundiam. Itaque in ijs perniciosus est error, qui existimant, libidinum, peccatorúmque omnium patêre in amicitia licentiam. Virtutũ enim amicitia adiutrix à natura data est, non vitiorum comes: vt, quoniam solitaria nõ posset virtus ad ea, quæ summa sunt, peruenire, coniuncta,

a L. à sei & ita v.c.

b al est enim is quidem, qui est, &c. & ita L.

c v.c. anquirit.

d L. tractamus, & ita v.c.

e L. colent inter se, ac d.

[a] & so-

[a]& ſociata cum altera præueniret: quæ ſiquos inter ſo- [a] *L. & conſociata.*
ciotas aut eſt, aut fuit, aut futura eſt, eorum eſt haben-
dus ad ſummum naturæ bonum optimus, beatiſſimuſ-
que comitatus. Hæc eſt, inquam, ſocietas, in qua omnia
inſunt, quæ putant homines expetenda, honeſtas, glo-
ria: tranquillitas animi, atque iucunditas: vt, cum hæc
adſint, beata vita ſit, & ſine his eſſe non poſſit: Quod
cùm optimum, maximumque ſit, ſi id volumus adipiſci,
virtuti opera danda eſt: ſine qua neque amicitiam, ne-
que vllam rem expetẽdam conſequi poſſumus. ea verò
neglecta, qui ſe amicos habere arbitrantur, tum ſe de-
nique erraſſe ſentiunt, cùm eos grauis aliquis caſus ex-
periri cogit. Quocirca (dicẽdum eſt enim ſæpius) cùm
iudicaueris, diligere oportet: nõ cùm dilexeris, iudica-
re. ſed cùm multis in rebus negligentia plectimur: tum
maximè in amicis & diligendis, & colendis, præpoſteris
enim vtimur conſilijs, & acta agimus, quod veramur
[b] veteri prouerbio. Nam [c] implicati vltrò, & citrò vel [b] *al. vetere.* [c] *al. implicati.*
vſu diuturno, vel etiam officijs, repente in medio curſu
amicitias, exorta aliqua offenſione, [d] dirumpimus. quo [d] *al. diſrumpimus.*
etiam magis vituperanda eſt [27] rei maximè tam neceſ-
ſariæ tanta incuria. Vna eſt enim amicitia in rebus hu-
manis, de cuius vtilitate omnes vno ore conſentiunt.
quãquam à multis ipſa virtus contemnitur, [e] & vendi- [e] *L. & venditatio quædam.*
catio quædam, atq; oſtẽtatio eſſe dicitur. multi diuitias
deſpiciũt, quos paruo contentos tenuis victus, cultusq;
delectat: honores verò, quorum cupiditate quidam
inflammantur, quam multi ita contemnunt, vt nihil
inanius eſſe, nihil leuius exiſtiment. itemq; cetera, quæ
quibuſdam admirabilia videntur, permulti ſunt, qui pro
nihilo putẽt. de amicitia omnes ad vnum idẽ ſentiunt,
& ij, qui ad remp. ſe contulerunt: & ij, qui rerum cogni-
tione, doctrinaq; delectantur: & ij, [28] qui ſuum negotiũ gerunt [f] otioſè: poſtremò ij, qui ſe totos tradiderunt [g] voluptatibus, ſine amicitia vitam eſſe nullam [g] ſentiũt, [f] *al. otioſi.* [g] *verbũ, ſentiunt, abeſt, ab o. v. c.*

si modò velint aliqua ex parte liberaliter viuere. serpit enim nescio quomodo per omnium [a] vitam amicitia: nec vllam ætatis degẽdæ rationem patitur esse expertem sui. Quinetiam siquis ea asperitate est, & immanitate naturæ, vt congressus, & societatem hominum fugiat, atque oderit, qualem fuisse Athenis [29] Timonem nescio quem accepimus: tamen is pati non posset, [30] vt non acquirat aliquem, apud quem euomat virus acerbitatis suæ. Atque hoc maximè iudicaretur, si quid tale posset cõtingere, vt aliquis nos deus ex hac hominum frequentia tolleret, [b] & in solitudine vspiam collocaret, atq; ibi suppeditans omnium rerum, quas natura desiderat abundantiam, & copiam, hominis omnino adspiciendi potestatem eriperet. quis tam esset ferreus, qui eam vitam ferre posset, cuique non auferret fructum volúptatum omnium solitudo? Verum igitur illud est, quod à Tarentino Archyta, vt opinor, dici solitum, nostros senes commemorare audiui, ab alijs senibus audi-
tum: Si quis [c] cælum ascendisset, naturamque mundi, & pulchritudinẽ siderum perspexisset, insuauem illam admirationem ei fore: quæ iucundissima fuisset, si aliquem, cui narraret, habuisset. Sic natura solitariũ nihil amat, semperque ad aliquod tanquam adminiculum annititur: quod in amicissimo quoque dulcissimum est. sed cùm tot signis eadem natura declaret, [d] quid velit, ac quærat, quid desideret: obsurdescimus tamen nescio quomodo: nec ea, quæ ab ea monemur, audimus. est enim varius, & multiplex vsus amicitiæ, multæq; causæ suspicionum, offensionumq; dantur: quas tum euitare, tum eleuare, tum ferre, sapientis est. vna illa subleuanda offensio est, vt & veritas in amicitia, & fides retineatur. nam & monendi amici sæpe sunt, & obiurgandi: & hæc accipienda amicè, cùm beneuolè fiunt. Sed nescio quomodo verum est, quod in Andria [e] familiaris meus Terentius dixit: Obsequium amicos, veritas odium parit.

a *L. vitas amic. & ita v.c.*

b *al. & in solitudinem.*

c *L. in cælum adsc.*

d *L. quid velit, anquirat, desideret.*

e *L. familiarũ meus dicit, Obseq.*

parit. Moleſta veritas eſt, ſi quidem ex ea naſcitur odiũ: quod eſt venenum amicitiæ: ſed obſequium multo moleſtius, quod peccatis indulgens, præcipitem amicum ferri ſinit. maxima autem culpa in eo eſt, qui & veritatem aſpernatur, & in fraudem obſequio impellitur. Omnis igitur hac in re [a] habenda ratio, & diligentia eſt: primum, vt monitio acerbitate, deinde obiurgatio contumelia careat, in obſequio autem (quoniam Terentiano verbo [32] lubenter vtimur) comitas adſit, aſſentatio, vitiorum adiutrix, procul amoueatur: quæ non modò amico, ſed ne libero quidẽ digna eſt. aliter enim cum tyranno, aliter cum amico viuitur. Cuius autem aures clauſæ veritati ſunt, vt ab amico verũ audire nequeat, huius ſalus deſperanda eſt. ſcitum eſt enim [b] illud Catonis, Multo melius de quibuſdam acerbos inimicos mereri, quàm eos amicos, qui dulces videantur: illos verum ſæpe dicere, hos nunquam. Atque illud abſurdum eſt, quòd ij, qui mouentur, eam moleſtiam, quam debent capere, non capiunt: eam capiunt, [c] qua debent carere. peccaſſe enim ſe non anguntur, obiurgari moleſtè ferunt: quod contra oportebat, delicto dolere, [33] obiurgatione gaudere. Vt igitur & monere, & moneri, proprium eſt veræ amicitiæ: & alterum liberè facere, non aſperè: alterum patienter accipere, non repugnanter: ſic habendum eſt, nullam in amicitijs peſtem eſſe maiorem, quam adulationem, blanditiam, aſſentationem. quamuis enim multis nominibus eſt hoc vitium notandum, leuium hominum, atq; fallacium, [d] ad voluntatem loquẽtium omnia, nihil ad veritatem. Cùm autem omnium rerum ſimulatio eſt vitioſa: tollit enim iudicium veri, idq; adulterat: [34] tum amicitiæ repugnat maximè: delet enim veritatem, ſine qua nomen amicitiæ valere nõ poteſt. nam cùm amicitiæ vis ſit in eo, vt vnus quaſi animus fiat ex pluribus: quî id fieri poterit, [e] ſi ne in vno quidem vnus animus erit, idemque ſemper: ſed varius

a *L. adhibẽda ratio.*

b *L. illud Catonis, vt multa, Melius de q.*

c *L. qua debent vacare.*

d *al. voluptatem.*

e *L. ſi ne in vno quidem quoq; vnus anim.*

commutabilis, multiplex? Quid enim poteſt eſſe tam flexibile, tã deuium, quàm animus eius, qui ad alterius non modò ſenſum ac volũtatem, ſed etiam vultum, atque nutum conuertitur? Negat quis? nego: ait? aio. poſtremò imperaui egomet mihi, [35] [a] omnia aſſentari, vt ait idem [b] Terentius: ſed ille ſub Gnathonis perſona: quod amici genus adhibere, omnino leuitatis eſt. Multi autem Gnathonum ſimiles cum ſint, loco, fortuna, fama ſuperiores: horum eſt aſſeptatio moleſta, cum ad vanitatem acceſſit auctoritas. ſecerni autem blandus amicus à vero, & internoſci, tam poteſt, adhibita diligentia, quàm omnia fucata, & ſimulata à ſinceris, atq; veris. Contio, quæ ex imperitiſſimis cõſtat, tamen iudicare ſolet, quid interſit inter popularem, id eſt, aſſentatorem, & leuem ciuem, & inter conſtantem, ſeuerum, & grauem. Quibus blanditijs C. Papirius conſul nuper influebat in aureis contionis, cum ferret legem de tribunis pleb. reficiẽdis. Diſſuaſimus nos. Sed nihil de me: de Scipione dicam libentius. [c] Quanta illi, dij immortales, fuit grauitas, [36] quanta in oratione maieſtas? vt facilè ducem populi R. non comitem diceres. ſed affuiſtis: & eſt in manibus oratio. itaq; lex popularis, ſuffragijs populi repudiata eſt. Atque, vt ad me redeam, meminiſtis, Q. Maximo, fratre Scipionis, & L. Mancino conſulibus, quàm popularis lex de ſacerdotijs C. Licinij Craſſi [d] iubebatur. cooptatio enim collegiorum ad populi beneficium transferebatur. Atque is primum inſtituit [37] [e] in forum verſibus agere cum populo. tamen illius vẽdibilem orationem religio deorũ immortalium, nobis defendẽtibus, facilè vincebat. atque id actum eſt prætore me, quinquennio antè, quàm conſul ſum factus. itaq; ſe magis, quàm auctoritate cauſa illa defenſa eſt. Quòd ſi [f] in ſcena, id eſt, in cõtione, in qua rebus fictis, & adumbratis loci plurimũ eſt, tamen verũ valet, ſi modò id patefactum, & illuſtratum eſt: quid in amicitia fieri oportet,

a *Omnia aſſentiri.*
b *nomen, Terentius, delendum eſt.*
c *L. Quanta illa, dij imm.*
d *fort. ferebatur.*
e *L. in forum verſus, az.*
f *al. in cauea, al. in ſcamnate.*

tet, quæ tota veritate perpenditur? in qua nisi (vt dicitur) apertum amici pectus videas, tuumq́; ostendas, nihil fidum, nihil exploratum habeas. ne amare quidem, aut amari[a] possis, cùm id, quàm verè fiat, ignores.[b] Quãquam ista assentatio perniciosa sit, nocere tamẽ nemini potest, nisi ei, qui eam [c]recepit, atq; ea delectatur, ita fit, vt is assentatoribus patefaciat aureis suas maximè, qui ipse sibi assentetur, & se maximè ipse delectet. Omnino est amans sui virtus. optimè enim se ipsa nouit, quamq́ue amabilis sit, intelligit. ego autem non de virtute nunc loquor, sed de virtutis opinione. virtute enim ipsa nõ tam multi præditi esse, quàm videri volunt. Hos delectat assentatio: his fictus ad eorum voluntatem sermo cùm adhibetur, orationem illam vanam, testimonium esse laudũ suarum putãt. nulla est igitur hæc amicitia, cùm alter verum audire non vult, alter ad mentiendum paratus est. nec parasitorũ in comœdijs assentatio nobis faceta videretur, nisi essent milites gloriosi. Magnas verò agere gratias Thais mihi? Satis erat respondere, Magnas: Ingenteis, inquit. Semper auget assentatio id, quod is, cuius ad volũtatem dicitur, vult esse magnum. Quamobrẽ, quamuis blãda ista vanitas apud eos valeat, qui ipsi illam allectant, & inuitant: tamen etiam grauiores constantioresq́; admonẽdi sunt, vt animaduertant, ne callida assentatione capiantur. apertè enim adulantem nemo nõ videt, nisi qui admodum est excors. callidus ille, & occultus ne se insinuet, studiosè cauendũ est. nec enim facillimè agnoscitur, quippe qui etiam aduersando sæpe assentetur: & litigare se simulans, blandiatur, atq; ad extremum det manus, vinciq́; se patiatur: vt is, qui illusus sit, [d] plus vicisse videatur. Quid autẽ turpius, quàm illudi? Quod ne accidat, magis cauendum est, vt in [e] Epicureo:

Hodie me ante omneis[38] comicos stultos senes
Versaris, [f] atque luseris lautissimè.

a *verbum, possis nullis in cod. vet. comparet.*
b *L. Quamquam ista assentatio quãuis perniciosa sit.*
c *L. recipit.*
d *L. plus vidisse vid.*
e *v. c. Epiclero.*
f *L atque in luseris.*

Hæc enim in fabulis ſtultiſſima perſona eſt improuidorum & credulorum ſenum. Sed neſcio quo pacto ab amicitijs perfectorum hominũ, id eſt, ſapientium (de hac dico ſapientia, quæ videtur in hominem cadere poſſe) ad leueis amicitias deflexit oratio. Quamobrem [a] ad illam primam redeamus, eamq; ipſam concludamus aliquando. Virtus, inquam, C. Fanni, & tu Q. Muci, & conciliat amicitias, & conſeruat. in ea eſt enim conuenientia rerum, in ea ſtabilitas, in ea conſtantia: quæ cùm ſe extulit, & oſtendit lumen ſuum, & idem aſpexit, agnouitq; in alio: ad id ſe admouet, viciſſimq; accipit illud, quod in altero eſt: ex quo exardeſcit amor, ſiue amicitia, vtrumq; enim dictum eſt ab amãdo. AMARE AVTEM NIHIL ALIVD EST, niſi cum ipſum diligere, quem ames. nulla indigẽtia, nulla vtilitate quæſita. quæ tamẽ ipſa effloreſcit ex amicitia, etiam ſi tu eam minùs ſequutus fis. hac nos adoleſcentes beneuolentia ſenes illos L. Paullum, M. Catonem, C. Gallum, P. Naſicam, Ti. Gracchum, Scipionis noſtri ſocerum, dileximus. hęc etiã magis elucet inter æquales, vt inter me, & Scipionem, L. Furium, P. [b] Rutilium, Sp. Mummium. viciſſim autem ſenes in adoleſcentiũ charitate acquieſcimus, vt [c] ego in veſtra, & in Q. Tuberonis: equidem etiam admodum adoleſcentis, P. Rutilij. A Virginij familiaritate delector. Quoniamq; ita ratio comparata eſt vitæ, naturæque noſtræ, vt alia ætas oriatur [d] ex alia: maximè quidem optandum eſt, vt cum æqualibus poſſis, quibus cum tanquam à carceribus emiſſus fis, [e] ijſdem ad calcem, vt dicitur, peruenire. Sed quoniam res humanæ fragiles, caducæq; ſunt, ſemper aliqui [f] acquirẽdi ſunt, quos diligamus, & à quibus diligamur. charitate enim, beneuolentiaq; ſublata, omnis eſt è vita ſublata iucunditas. Mihi quidem Scipio, quamquam eſt ſubitò ereptus, viuit tamen, ſemperq; viuet. virtutem enim ſemper amaui illius viri, quæ exſtincta nõ eſt: nec mihi ſoli

versatur

a *v.c. ad illa prima red. eaq; ipſa cõcl. & ita L.*

b *L. Rupiliũ.*

c *prouocabulum, ego, abeſt à v.c.*

d *hoc totum, ex alia: nullis ferè in v.c. reperitur.*

e *v.c. cum ijſdem.*

f *L. anquirendi.*

versatur ante oculos, qui illam semper in manibus habui, sed etiam posteris erit clara, & insignis. nemo vnquam animo, aut spe maiora suscipiet, qui sibi non illius memoriam, atque imaginem proponendam putet. Equidem ex omnibus rebus, quas mihi aut fortuna, aut natura tribuit, nihil habeo, quod cũ amicitia Scipionis possim comparare. In hac mihi de rep. consensus, in hac rerum priuatarum consilium, in hac requies plena oblectationis fuit; nunquam illum ne minima quidem re offendi, quod quidem senserim: nihil audiui ex eo ipse, quod nollem. vna domus erat, idem victus, isque communis: neque solum militia, sed etiam peregrinationes, rusticationésque communes. nam quid ego de studijs dicam cognoscẽdi semper aliquid, atque discendi? in quibus remoti ab oculis populi, omne otium, tempusq; contriuimus? Quarum rerum recordatio, & memoria, si vna cum illo occidisset, desiderium coniunctissimi viri, atque amantissimi ferre nullo modo possem. sed nec illa extincta sunt, alunturque potius, & augentur cogitatione, [a] & memoria. & si planè illis orbatus essem, magnum tamen [b] afferret mihi ætas ipsa solatium: diutius enim iam in hoc desiderio esse non possum. Omnia autem breuia, tolerabilia esse debent, etiam si magna sint. Hæc habui, de amicitia quæ dicerem. Vos autem hortor, vt ita virtutem locetis, sine qua amicitia esse non potest, vt ea excepta, nihil amicitia præstabilius [c] esse putetis.

a *L. & memoria mea. & si.*

b *v.c. affert.*

c *esse, abest ab o.v.c.*

* * *

# M. TVLL. CICERONIS PARADOXA, AD MARCVM BRVTVM.

ANIMADVERTI, Brute, ſæpe Catonem, auunculum tuum, cùm in ſenatu ſentẽtiã diceret, locos graueis ex philoſophia tractare, abhorrenteis ab hoc vſu ferenſi, & publico: ſed dicendo cõſequi tamen, vt illa etiam populo probabilia viderentur, quod eo maius eſt illi, quàm aut tibi, aut nobis: quia nos ea philoſophia plus vtimur, quæ peperit dicendi copiã, & in qua dicũtur ea, quæ non multùm diſcrepant ab opinione populari. Cato autẽ perfectus (mea ſententia) Stoicus, & ea ſentit, quæ non ſanè probãtur in vulgus: & in ea eſt hæreſi, quæ nullũ ſequitur florẽ orationis, neq; dilatat argumentum, ſed minutis interrogatiunculis, & quaſi punctis, quod propoſuit, efficit. Sed nihil eſt tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile: nihil tam horridum, tam incultum, quod non [a] ſplendeſcat oratione, & tanquam excolatur. quod cùm ita putarem, feci etiã audaciùs, quàm ille ipſe, de quo loquor. Cato enim dũtaxat de magnitudine animi, de continẽtia, de morte, de omni laude virtutis, de dijs immortalibus, de charitate patriæ, Stoicè ſolet, [t] nullis oratorijs ornamẽtis adhibitis, dicere. Ego autẽ illa ipſa, quæ vix in gymnaſijs, & in otio Stoici probãt, ludens cõiecti in communeis locos. quæ quia ſunt admirabilia, contraque opinionem omnium, ab ipſis etiam παράδοξα appellantur: tentare volui, poſſentne proferri in lucem, id eſt, in forum, & ita dici, vt probarentur: an alia quædam

a *al. exſplendeſcat.*

dam eſſet erudita, alia popularis oratio, eoque ſcripſi libentiùs, quòd mihi iſta παράδοξα [a] quæ appellantur, maximè videntur eſſe Socratica, longeq; veriſſima. Accipies igitur hoc paruum opuſculum, lucubratũ his iam contractioribus noctibus: quoniam illud maiorum vigiliarũ munus in tuo nomine apparuit. & deguſtabis genus hoc exercitationum [b] mearum, quibus vti conſueui, cùm ea, quæ dicuntur in ſcholis Στητικὰ, ad noſtrum hoc oratoriũ transfero dicendi genus. Hoc tamẽ opus [c] in apertum vt proferas, nihil poſtulo. non enim eſt tale, vt in arce poni poſſit, quaſi illa Minerua Phidiæ: [d] ſed tamẽ eſt tale, vt ex eadem officina exiſſe appareat.

a *al. quæ appellant.*

b *L. earum.*

c *L. in accessum vt referas.*

d *L. ſed tamẽ, ex vt eadem off.*

ὅτι μόνον ἀγαθὸν, τὸ καλόν. *id eſt.*
*Quod honeſtum ſit, id ſolum, bonum eſſe.*

VEREOR, ne cui veſtrùm ex Stoicorum hominum diſputationibus, non ex meo ſenſu deprompta hęc videatur oratio: dicam tamẽ quod ſentiam: & dicã breuiùs, quàm res tanta dici poſſit. Nunquam mehercule ego neq; pecunias iſtorum, neq; tecta magnifica, neq; opes, neque imperia, neque eas quibus maximè aſtricti ſunt, voluptates, [e] in bonis rebus eſſe numerãdas duxi: [f] quippe cùm videre, homines rebus his circũfluenteis, ea tamẽ deſiderare maximè, quib. abũdaret. neq; enim vnquã expletur, nec ſatiatur cupiditatis ſitis: neq; ea ſolùm, quæ habẽt, libidine augendi cruciantur, ſed etiam amittendi metu. in quo equidem continentiſſimorum hominum, maiorum noſtrorum, ſæpe requiro prudentiam, qui hæc imbecilla, & cõmutabilia pecuniæ membra, [g] ſolo verbo Bona putauerunt appellanda, cùm re, ac factis longè aliter iudicauiſſent. Poteſt ne bonum cuiquam malo eſſe? aut poteſt quiſquam in abundantia bonorum ipſe eſſe non bonus? Atqui iſta omnia, talia videmus, vt etiam improbi habeant, & obſint probis. Quamobrem licet irrideat, ſi quis velit: plus apud me vera ratio valebit, quàm vulgi opinio. neque ego

e *L. in bonã rebus, aut expetendis numerãdas eſſe duxi. al. in bonis rebus, aut expetẽdis eſſe duxi.*

f *v.c. quippe cum videremur, rebus his circumfluentib. ea tamen deſ. & ita L. g vox, ſolo. abeſt, ab. a. v. cod.*

a *prouocabulum illi nul. in cod. antiq. reperitur*

vnquam [a] illum bona perdidisse dicã si quis pecus, aut suppellectilem amiserit: nec non sæpe laudabo sapientem illum, Biantem, vt opinor, qui enumeratur inter septem sapiẽteis: cuius cùm patriã Prienem cepisset hostis, ceteriq; ita fugerent, vt multa de suis rebus secum asportarent: cùm esset admonitus à quodam, vt idẽ ipse faceret: Ego verò, inquit, facio. nam omnia mea porto mecum: ille hæc ludibria fortunæ, ne sua quidem putauit, quæ nos appellamus etiam bona. Quid est igitur, quæret aliquis, bonũ? si quid rectè fit, & honestè, & cum virtute id bene fieri, & rectè dicitur: &, quod rectum, & honestum, & cum virtute est, id solum opinor Bonum.

b *al sine expositionis exempl.*

Sed hæc videri possunt obscuriora, [a] cùm [b] sine appositione exemplorum lentiùs disputãtur. vita, atque factis illustrãda sunt summorũ virorum hæc, quæ verbis subtiliùs, quàm satis est, disputari videntur. Quæro enim à vobis, num vllam cogitationẽ habuisse videantur ij, qui hanc rempub. tam præclarè fundatam nobis reliquerunt,

c *al. atq;*

aut auri, [c] aut argenti ad auaritiam, aut amœnitatum ad delectationẽ, aut suppellectilis ad delicias, aut epularũ ad voluptates? Ponite ante oculos vnumquemq; regũ. Vultis incipiam à Romulo? vultis post liberam ciuitatem, ab ijs ipsis, qui liberauerunt

d *eam, abest, à quib. v. c.*

[d] eam? Quibus tãdem gradibus Romulus ascendit in cælum? Iísne, quæ isti bona appellant? an rebus gestis, atque virtutibus? Quid autem Numa Pompilius? minúsne gratas dijs immortalibus capedines, ac fictileis vrnulas fuisse, [e]

e *L. quam filicatas ad, quàm felicatas.*

[e] quàm delicatas aliorsũ patetas arbitramur? Omitto reliquos: sunt enim omnes pares inter se, præter Superbũ. Brutũ verò si quis roget, quid egerit in patria liberãda: si quis item reliquos eiusdem cõsilij socios, quid spectauerint, quid secuti sint: nimi quis exsistat, cui voluptas, cui diuitiæ, cui denique, præter officium fortis, & magni viri, quidquam aliud propositũ fuisse videatur? Quæ res ad necẽ Porsennæ Qu. Muciũ impulit, sine vlla spe salutis

suæ?

ſuæ? Quæ vis Horatiũ Coclitem cõtra omneis hoſtium copias tenuit in ponte ſolum? quæ patrem Decium, qui filium † deuouit, atque immiſit in armatas hoſtium copias? Quid continentia C. Fabricij, quid tenuitas victus M Curij ſequebatur? Quid duo propugnacula belli Punici, Cn. & P. Scipiones, qui Karthaginenſium aduẽtum corporibus ſuis intercludẽdum putauerũt? Quid Africanus maior? quid minor? quid inter horum ætates interiectus Cato? quid innumerabiles alij? nam domeſticis exemplis abũdamus. An putamus quemquam horũ cogitaſſe quidquam in vita ſibi expetendum, niſi quod laudabile eſſe, & præclarum videretur? Veniant igitur irriſores huius orationis, ac ſententiæ: & iam vel ipſi iudicẽt: vtrùm ſe horum alicuius, qui marmoreis tectis, ebore, & auro fulgẽtibus, qui ſignis, qui tabulis, qui cælato auro, & argento, qui Corinthijs operibus abundãt, an C. Fabricij, qui nihil eorum habuit, nihil habere voluit, ſimileis eſſe malint? Atq; hæc quidem, quæ modò huc, modò illuc transferũtur, facilè adduci ſolent, vt in rebus bonis eſſe negent illud tamẽ [a] atetè tenent, accuratéq; defendunt, voluptatem eſſe ſummum bonum. quæ quidẽ mihi vox pecudum videtur eſſe, non hominũ. Tu cùm tibi ſiue deus, ſiue mater (vt ita dicã) rerũ omniũ, natura, dederit animum, quo nihil eſt præſtantius, neq; diuinius: ſic te ipſe abijcies, atq; proſternes, vt nihil inter te, atq; inter quadrupedẽ [b] aliquid putes intereſſe? Quidquámne bonum eſt, quod non cum, qui poſſidet, meliorem [d] faciat? Vt enim quiſq; eſt maximè boni particeps, ita & laudabilis maximè: neq; eſt vllum bonum, de quo nõ is, qui id habeat, honeſtè poſſit gloriari. quid autẽ eſt horũ in voluptate? Meliorẽ mne efficit, aut laudabiliorẽ virum? an quiſquam in potiũdis voluptatibus gloria ſeſe, & prędicatione effert? Atqui ſi voluptas, quę plurimorum patrocinijs defenditur, in rebus bonis habenda non eſt: eaq;, quo eſt maior, eo magis mentem

a *v.c. arte.*

b *fort. quidquam.*

c *al. Quidquam bonum eſt, &c.*

d *L. facit?*

a *L. demouet.*

ſua ſede,& ſtatu [a] dimouet: profectò nihil eſt aliud bene, & beatè viuere,niſi honeſtè,& rectè viuere.

ὅτι αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν. *ideſt.*

*Se ipſa contentam eſſe virtutem ad beatè viuendum.*

NEc verò ego M. Regulũ,ærumnoſum,nec infelicẽ, nec miſerum,vnquam putaui. Nõ enim magnitudo animi eius cruciabatur à Pœnis, non grauitas, non fides,non conſtãtia,non vlla virtus, non deniq; animus ipſe: qui [1] tot virtutum præſidio munitus,tantoque comitatu circumſæptus,cùm corpus eius [b] caperetur, capi certè ipſe non potuit. Caium verò Marium vidimus, qui mihi ſecundis in rebus vnus ex fortunatis hominibus, in aduerſis, vnus ex ſummis viris videbatur, quo beatius eſſe mortali nihil poteſt. Neſcis, inſane neſcis, quantas vireis virtus habeat.nomen tantum virtutis vſurpas: quid ipſa valeat,ignoras.nemo poteſt non beatiſſimus eſſe,qui eſt totus aptus ex ſeſe, quiq; in ſe vno ſua ponit omnia. [c] cuius autem ſpes omnis, & ratio, & cogitatio pendet ex fortuna: huic nihil poteſt eſſe certi: nihilq; [d], quod exploratum habeat, permanſurum ſibi ne vnum quidem diem. Eum tu hominem terreto, ſi quem eris nactus,iſtiuſmodi mortis,aut exſilij minis, mihi verò quidquid acciderit in tam ingrata ciuitate, ne recuſanti quidem euenerit, [e] non modò non repugnãti. Quid enim ego laboraui,aut quid egi,aut in quo cuigilauerunt curæ,& cogitationes meæ, ſi quidem nihil peperi tale, nihil conſecutus ſum, vt eo ſtatu eſſem, quem neque fortunæ temeritas, neque inimicorum labefactaret iniuria? Mortémne mihi minitaris,vt omnino ab hominibus: an exſilium, vt ab improbis demigrandum ſit? mors terribilis eſt ijs, quorum cum vita omnia exſtinguuntur: non iis,quorum laus emori non poteſt: exſilium autem [f] terribile illis,quibus quaſi circumſcriptus eſt habitandi locus: non ijs, qui omnem orbem terrarum,vnam vrbem eſſe ducunt. Te miſeriæ, te

b *al. caperetur, capi.*

c *al. cui ſpes.*

d *L. permanſurum ſibi vnum diem.*

e *al. non modo repugnãti.*

f *vox, terribile, abeſt à v.c.*

te ærumnæ premunt omnes, qui te beatum, qui te florentẽ putas: tuæ libidines te torquent: tu dies, noctesq; cruciaris, cui nec ſatis eſt, quod eſt, & idipſum, [a] quod habes, ne non ſit diuturnum futurũ, times: te conſcientiæ ſtimulant maleficiorum tuorum: te metus exanimant iudiciorum, atque legum: quocunque adſpexiſti, vt furiæ, ſic tuæ tibi occurrunt iniuriæ, quæ te [b] reſpirare non ſinunt. Quamobrẽ vt improbo, & ſtulto, & inerti nemini bene eſſe poteſt: ſic bonus vir, & ſapiens, & fortis, miſer eſſe non poteſt. Nec verò, cuius virtus, moresque laudandi ſunt, eius non laudanda vita eſt: neque porrò fugienda vita, quæ laudanda eſt. eſſet autem fugienda, ſi eſſet miſera. Quamobrem quidquid eſt laudabile, idem & beatum, & florens, & expetendum videri debet.

a *hoc totum, quod habes, in reperitur th. v.c.*

b *al. ſuſpirare.*

## ὅτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα, καὶ τὰ κατορθώματα. *id eſt, Æqualia eſſe peccata, & recte facta.*

PARVA, inquis res eſt: [c] atqui magna culpa. Nec enim peccata, rerũ euentu, ſed vitijs hominum metienda ſunt. In quo peccatur, id poteſt aliud alio maius eſſe, aut minus: ipſum quidem illud peccare, quoquo te verteris, vnum eſt. Auri nauem euertat gubernator, an paleæ, in re aliquantũ, in gubernatoris [d] inſcitia nihil intereſt. Lapſa eſt alicuius libido in muliere ignota: dolor ad pauciores pertinet, quàm ſi petulãs fuiſſet in aliqua generoſa, ac nobili virgine: peccauit verò nihilominus, liquidẽ eſt peccare tanquã [e] tranſilire lineas: quod cum feceris, culpa cõmiſſa eſt: quàm lõgè progrediare, cùm ſemel tranſieris, ad augendam tranſeundi culpam nihil pertinet. Peccare certè licet nemini. Quod autem non licet, id hoc vno tenetur, ſi arguitur non licere, [f] id nec maius, nec minus vnquam fieri poteſt: quoniã in eo eſt peccatum, ſi non licuit. Quod ſemper vnum, & idem eſt, quæ ex eo peccata naſcuntur, æqualia ſint oportet. Quod ſi virtutes pares ſunt inter ſe: paria eſſe etiam

c *L. At magna.*

d *L. inſcientia.*

e *v.c. tranſire, &c.*

f *L. Id ſi quidem nec maius.*

vitia neceſſe eſt. Atqui pares eſſe virtutes, nec bono viro meliorẽ, nec temperãte temperãtiorẽ, nec forti fortiorẽ, nec ſapiẽte ſapientiorẽ poſſe fieri, facillimè poteſt perſpici. An virũ bonum dices, qui depoſitũ nullo teſte, cùm lucrari impunè poſſet, nuri põdo decem, reddiderit: ſi idem in decem millibus pondo non idem fecerit? aut temperãtem eum, qui ſe in aliqua libidinẽ eõtinuerit, in aliqua effuderit? Vna virtus eſt conſentiens cũ ratione, & perpetua conſtãtia. nihil huic addi poteſt, quo magis virtus ſit: nihil demi, vt virtutis nomẽ relinquatur. etenim ſi bene facta, rectè facta ſunt, & nihil recto rectius: certè ne bono quidẽ melius quidquã inueniri poteſt. Sequitur igitur, vt etiã vitia ſint paria: ſiquidem prauitates animi rectè vitia dicũtur. Atqui quoniã pares virtutes ſunt rectè facta, [a] quãdo à virtutibus proficiſcũtur, paria eſſe debent: itemq; peccata, quoniam ex vitijs manant, ſint æqualia neceſſe eſt. A philoſophis, inquis, iſta ſumis. Metuebam, ne à lenonibus diceres. Socrates diſputabat iſto modo. Bene hercle narras. nam iſtum doctum, & ſapientẽ virum fuiſſe, memoriæ traditum eſt. Sed tamẽ quæro ex te (quãdo verbis inter nos cõtendimus, nõ pugnis) vtrum potius de bonis eſt quærẽdum, quid baiuli, atq; operarij, an quid homines doctiſſimi ſenſerint? præſertim cum hac ſententia nõ modo verior, ſed ne vtilior, quidem hominũ vitæ reperiri vlla poſſit. [b] Quæ vis enim quæ magis arceat homines ab omni improbitate, quàm ſi ſenſerint, nullũ in delictis eſſe diſcrimẽ: eque peccare ſe, ſi priuatis, ac ſi magiſtratibus manus [c] inferant? quamcunq; in domum ſtuprum intulerint, eandem eſſe labem libidinis? Nihilne igitur intereſt (nam hoc dicet aliquis) patrem quis necet, an ſeruum? Nuda iſta ſi ponas, iudicari qualia ſint, nõ facilè poſſunt. patrem vita priuare, ſi per ſe ſcelus eſt: Sagũtini, qui parẽtes ſuos, liberos emori, quàm ſeruos viuere maluerunt, [d] parricidæ fuerunt ergo & parenti nonnunquam

a *al. quoniam à virt. & ita L.*

b *L. quæ vis eſt enim, q.*

c *L. afferant? & ita v. c.*

d *L. patricida.*

nunquam adimi vita ſine ſcelere poteſt: & ſeruo ſæpe ſine iniuria non poteſt. Cauſa igitur hæc, nõ natura diſtinguit: [1] quæ quando alteri acceſſit, id fit propenſius: ſi vtrique adiuncta ſit, paria fiant, neceſſe eſt. illud tamẽ intereſt, quòd in ſeruo necando, [a] ſi adſit iniuria, ſemel peccatur. in patris vita violanda multa peccãtur. violatur is, qui procreauit: is, qui aluit: is qui erudiuit: is, qui in ſede, ac domo, atque in rep. collocauit, multitudine peccatorum præſtat, eoq; pœna maiore dignus eſt. Sed nos in vita, non quæ cuique peccato pœna ſit, ſed quãtum cuique liceat, ſpectare debemus. quidquid non oportet, ſcelus eſſe: quidquid non licet, nefas putare debemus. etiámne in minimis rebus? etiã: ſi quidem [2] rerũ modum fingere non poſſumus: animorum tenere poſſumus: hiſtrio ſi paullò ſe mouit extra numerum, aut ſi verſus pronũtiatus eſt ſyllaba vna breuior, aut longior, exſibilatur, & explodituꝛ: in vita, quę omni geſtu moderatior, omni verſu aptior eſſe debet, vt in ſyllaba te peccare dices? poëtam non audio in nugis: in vitæ ſocietate audiam ciuem, digitis peccata demetiẽtem ſua? quæ ſi [3] viſi ſunt breuiora, leuiora qui poſſint videri, cùm, quidquid peccatur, perturbatione peccetur rationis, atque ordinis? perturbata autẽ ſemel ratione, & ordine, nihil poſſit addi, quo magis peccari poſſe videatur.

[a] *L. ſi id ſit iniuria.*

Οτι πάντες [b] οἱ μωροὶ μαίνονται. *id eſt,*
*Omnes ſtultos inſanire.*

[b] *al. οἱ ἄφρονες.*

EGo verò te non ſtultum, vt ſæpe, non improbum, vt ſemper, [1] ſed demẽtem, & inſanum [c] rebus addicam neceſſarijs. Sapientis animus magnitudine cõſilij, tolerantia rerum humanarum, contemptione fortunæ, virtutibus, deniq; omnibus, vt mœnibus, ſæptus, vincetur, & expugnabitur, qui ne ciuitate quidẽ pelli poteſt? quæ eſt enim ciuitas? Omníſne conuentus ferorum, & immanium? omníſne etiam fugitiuorum, ac latronum congregata vnum in locum multitudo? cernè negabis,

[c] *L. rationib. aduincam.*

num igitur erat illa tum ciuitas, cùm leges in ea nihil valebant: cum iudicia iacebant: cùm mos patrius occiderat: cùm, ferro pulsis magistratibus, senatus nomẽ in rep.[a] non erat? Prædonum ille concursus, & te duce latrocinium in foro cõstitutum. & reliquiæ coniurationis à Catilinæ furijs ad tuum scelus, furoremq; conuersæ,

a *L. non erat*

b *L. non ciuitas erat.*

[b] num ciuitas erat? Itaque pulsus ego ciuitate non sum, quæ tũ nulla erat:[c] accersitus in ciuitatẽ sum, cùm esset in rep. consul, qui tum nullus fuerat: esset senatus, qui tũ occiderat: esset consensus populi liberi esset iuris, & æquitatis, (quæ vincla sunt ciuitatis) repetita memoria. At vide, quàm ista tui latrocinij tela cõtempserim. iactã, & immissam à te nefariam in me iniuriam semper duxi: peruenisse tamen ad me nunquam putaui: nisi fortè, cùm parietes disturbabas, aut cùm tectis sceleratas faceis inferabas, meorũ aliquid ruere,[d] aut deflagrare arbitrabare. Nihil neq; meũ est, neq; cuiusquã quod auferri, quod eripi, quod amitti potest. Si mihi eripuisses diuinam animi mei cõstãtiam, meas curas, vigilias, cõsilia,[e] quibus resp. inuicta stat: si huius æterni beneficij immortalem memoriam deleuisses: multo etiam magis si illam mentem, vnde hæc consilia manarũt, mihi eripuisses: tum ego accepisse me confiterer iniuriam. Sed si hæc nec fecisti, nec facere potuisti reditum mihi gloriosum iniuria tua dedit, non exitũ calamitosum: ergo ego semper ciuis[f] eram, & tum maximè, cùm meã salutem senatus exteris nationibus,[g] vt ciuis optimi, cõmendabat: tu ne nunc quidem es ciuis: nisi fortè idem esse hostis, & ciuis potest. An tu ciuem ab hoste natura, ac loco, non animo, factisq; distinguis? Cædem in foro fecisti: armatis latronibus templa tenuisti: priuatorum domos, ædesq; sacras incẽdisti. Cur hostis Spartacus, si tu ciuis? potes autem esse tu ciuis, propter quem aliquando ciuitas nõ fuit?[g] & me exulẽ, tuo nomine, appellas, cùm omnes meo discessu exsulasse remp. putẽt?

c *L. arcessitus.*

d *al. aut deflagrari.*

e *L. quibus resp. te inuitissimo stat.*

f *verbum eram, abest, a. v.c.*

Nun-

Nunquámne,homo amentiſſime,te circumſpicies? nũquámne, quid facias conſiderabis, nec quid loquare, neſcis,exſilium ſcelerum eſſe pœnam? meum illud iter ob præclariſſimas res à me geſtas eſſe ſuſceptum? Omnes ſcelerati,atq; impij, quorum tu te ducem eſſe profiteris,quos leges exſilio affici volunt, exſules ſunt,etiã ſi ſolum non mutarũt. an cùm omnes leges te exſulem eſſe iubeant, non eris tu exſul? Non appellatur inimicus, qui cum telo fuerit? ante ſenatum tua ſica deprehenſa eſt qui hominem occiderit? tu plurimos occidiſti. qui incendium fecerit? ædeis Nympharum manu tua deflagrauit. qui templa [a] deorum occupauit? in foro [b] etiam caſtra poſuiſti. Sed quid ego communeis leges profero, quibus omnibus es exſul? Familiariſſimus [c] tuus de te priuilegium tulit, vt, ſi in opertum Bonæ Deæ acceſſiſſes,exſulares. At te id feciſſe,etiam gloriari ſoles. Quomodo igitur tot legibus in exſilium eiectus, nomen exſulis non perhorreſcis? Romæ ſum, inquis: Et tu quidem in operto fuiſti. Non igitur, vbi quiſque erit, eius loci ius tenebit: ſi ibi eum legibus eſſe ſubiectum non oportebit.

a *vox, deorum, abeſt, ab o.v.c.*

b *particula, etiam, abeſt, ab o.v.c.*

c *v.c. tuus Cornificius de te pr.*

ὅτι πάντες οἱ σοφοὶ ἐλεύθεροι, πάντες δὲ μωροὶ δοῦλοι. *id eſt, Omneis ſapienteis liberos eſſe, & ſtultos omneis ſeruos.* 5

LAVDETVR verò hic imperator, aut etiam appelletur, aut hoc nomine dignus putetur. quomodo? aut cui tandem hic libero imperabit, qui non poteſt cupiditatibus ſuis imperare? Refrenet primùm libidines, ſpernat voluptates, iracundiam teneat, coërceat auaritiam, ceteras animi labes repellat: tum incipiat alijs imperare, cum ipſe improbiſſimis dominis, dedecori, ac turpitudini parêre deſierit, dum quidem his obediet, nõ modò imperator, ſed liber habendus omninò non erit. præclarè enim eſt hoc vſurpatũ à doctiſſimis, quorũ auctoritate non vterer, ſi mihi apud aliquos agi eſſet hæc habẽda eſſet oratio: cũ verò apud prudẽtiſſimos loquar

quibus hæc inaudira non ſunt: cur ego ſimulem, me, ſi quid in his ſtudijs operæ poſuerim, perdidiſſe? Dictum eſt igitur ab eruditiſſimis viris, niſi ſapientem, liberum eſſe neminem. Quid eſt enim libertas? poteſtas viuẽdi, vt velis. Quis igitur viuit, vt vult, niſi qui recta ſequitur, qui gaudet officio, cui viuendi via conſiderata, atq; proui ſa eſt? [a] qui legibus nõ propter metum paret, ſed eas ſequitur, atq; colit, quia id ſalutare maximè eſſe iudicat: qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat deniq;, niſi libẽter, ac liberè? cuius omnia cõſilia, resq́; omnes, quas gerit, ab ipſa proficiſcũtur, eodemq́; referuntur: nec eſt vlla res, quæ plus apud eum polleat, quàm ipſius volũtas, atque iudicium: cui quidem etiam, quæ vim habere maximam dicitur, Fortuna ipſa cedit, quæ ſicut ſapiens poëta dixit, Suis ea cuique fingitur moribus. Soli igitur hoc contingit ſapienti, vt nihil faciat inuitus, nihil dolens, nihil coactus. quòd etſi ita eſſe, pluribus verbis diſſerendum eſt: [b] illud tamen breui conficiẽdum eſt, niſi qui ita ſit affectus, eſſe liberũ neminem. Igitur omnes improbi, ſerui. nec hoc tam re eſt, quàm [c] dicto inopinatum, atq; mirabile. nõ enim ita dicunt, eos eſſe ſeruos, vt mãcipia, [d] quæ ſunt dominorum facta nexu, aut aliquo iure ciuili: ſed, ſi ſeruitus ſit, ſicut eſt obedientia, fracti animi, & abiecti, & arbitrio carẽtis ſuo, quis neget, omneis leueis, omneis cupidos, omneis deniq; improbos, eſſe ſeruos? An ille mihi libet videatur, cui mulier imperat? cui leges imponit, præſcribit, iubet, vetat quod videtur? qui nihil imperãti negare poteſt, nihil recuſare audet? poſcit, dãdum eſt: vocat, veniendũ: eijcit, abeundum: minatur, extimeſcendũ. ego verò iſtum nõ modò ſeruum, ſed nequiſſimum ſeruum, etiam ſi in ampliſſima familia natus ſit, appellandũ puto. Atq; vt in magna familia, ſunt alij lautiores, vt ſibi videtur, ſerui + [d] ſed tamen ſerui atrienſes ac tu pari ſtultitia, quos ſigna, quos tabulæ, quos cælatum argẽtum, quos Corinthia opera, quos

a *al. qui nẽ legibus quidẽ propter met. paret.*

b *L. tamen breue conſitendum eſt, & ita v.c.*

c *v.c. dicto.*

d *L. ſed tamen ſerui, vt atrienſes: alij inferiore loco, vt mediaſtini: ſic ſtulti quidẽ omnes, vt tu, pari ſtultitia ſunt, quos ſigna, &c.*

quos ædificia magnifica nimio opere delectãt. Ex ſummis, inquiũt, ciuitatis principes ſumus: Vos verò ne cõſeruorũ quidẽ veſtrorũ principes eſtis. Sed vt in familia, qui tractãt iſta, [a] qui tergunt, qui vngũt, qui verrunt, qui ſpargunt, nõ honeſtiſſimum locum ſeruitutis tenent: ſic in ciuitate, qui ſe iſtarũ rerum cupiditatibus dediderũt, ipſius ciuitatis locum pænè infimum obtinent. Magna, inquis, bella geſſi: magnis imperijs, & prouincijs præfui. Gere igitur animũ laude dignũ. [5] [b] Actæonis tabula te ſtupidum detinet, aut ſignũ aliquod Polycleti. Omitto, vnde ſuſtuleris, & quomodo habeas. intuentẽ te, admirantem, clamores tollentem cùm video, ſeruũ te eſſe ineptiarum omnium iudico. Nónne igitur ſunt illa feſtiua? Sunt. nã nos quoq; oculos eruditos habemus. ſed obſecro te, ita venuſta habeantur iſta, nõ vt vincula virorum ſint, ſed vt oblectamenta puerorum. Quid enim cenſes? ſi L. Mummius aliquem iſtorum videret matellionem Corinthum cupidiſſimè tractantẽ, cùm ipſe totam Corinthũ cõtempſiſſet: vtrum illum ciuem excellentem, an atrienſem diligentẽ putaret? Reuiuiſcat [c] M. Curius, aut eorum aliquis, quorũ in villa, ac domo nihil ſplendidum, nihil ornatũ fuit, præter ipſos: & videat aliquem ſummis populi beneficijs vſum, barbatulos [d] mullulos exceptantem de piſcina & pertractãtem. & murænarum copia gloriantem: nónne hũc hominem ita ſeruum iudicet, vt ne in familia quidem dignum maiore aliquo negotio putet? An eorum ſeruitus dubia eſt, qui cupiditate peculij nullã condicionẽ recuſant duriſſimę ſeruitutis hereditatis ſpes quid iniquitatis in ſeruiendo non ſuſcepit? quem nutum locupletes orbi ſenis nõ obſeruat? [6] loquitur ad voluntatem: quidquid denuntiatum ſit, facit: aſſentatur, [7] aſſidet, [e] miratur quid horum eſt liberi? quid deniq; [f] non ſerui inertis? Quid? iam illa cupiditas, quæ videtur eſſe liberior, honoris, imperij, prouinciarũ, quàm dura eſt domina! quàm imperioſa!

a *L. qui tergent.*

b *L. Echionis tabula.*

c *L. M. Curius.*

d *v. e. mullos.*

e *L. munerat. al. numerat.*

f *al. ſerui nõ inertes?*

quàm vehemens! Cethego, homini non probatissimo, seruire [a] res coëgit eos, qui sibi esse amplissimi videbantur: mittere munera, noctu venire domum ad eum, precari, deniq; supplicare. quæ seruitus est, si hæc libertas existimari potest? Quid? cùm cupiditatum dominatus excessit, & alius est dominus exortus ex conscientia peccatorum, timor? quàm est illa misera, quàm dura seruitus! adolescentibus paullo loquatioribus est seruiendum. omnes, qui aliquid scire videntur, tãquam domini, timentur. [8] Iudex verò quantum habet dominatum? quo timore nocenteis afficit? an non est omnis metus, seruitus? Quid valet igitur illa eloquentissimi viri, L. Crassi, copiosa magis, quàm sapiens oratio? ERIPITE NOS EX SERVITVTE. quæ est ista seruitus, tam claro homini, tamq́; nobili? [9] Omnis animi debilitati, & humilis, & fracti timiditas, seruitus est. NOLITE SINERE NOS CVIQVAM SERVIRE, In libertatem vindicari vult? minimè. Quid enim adiungit? NISI VOBIS VNIVERSIS Dominum mutare, non liber esse vult, QVIBVS ET POSSVMVS, ET DEBEMVS. Nos verò siquidem animo excelso, & alto, & virtutibus exaggerato sumus, nec debemus, nec possumus. Tu posse te dicito, quandoquidem potes: debere ne dixeris: quoniam nihil quisquam debet, nisi quod est turpe non reddere. Sed hæc hactenus. Ille videat, quomodo imperator esse possit: cùm eum ne liberum quidem esse ratio, & veritas ipsa conuincat.

*a vocula, res abest, ab o v. c. nec ea agnoscit L. subintelligitur enim cupiditas honoris.*

ὅτι μόνος ὁ σοφὸς, πλούσιος. *idest,*
*Solum sapientem esse diuitem.*

QVÆ est ista in commemoranda pecunia tua tam insolens ostẽtatio? solúsne tu diues? Prò dij immortales. egóne me audiuisse aliquid, & didicisse, non gaudeam? Solúsne tu diues? Quid si ne diues quidem? quid si pauper etiam? quem enim intelligimus diuitem? aut, hoc verbũ, in quo homine ponimus? opinor in eo,

cui

cui tanta possessio est,[a] vt ad liberiliter viuẽdum facilè contentus sit: qui nihil quærat, nihil appetat, nihil optet amplius. Animus enim oportet tuus, se iudicet diuitem, non hominum sermo, neq; possessiones[b] tuæ quę si tibi nihil deesse putas, nihil curas amplius, satiatus es, aut contentus etiam pecunia. concedo, diues es. sin autem propter auiditatem pecuniæ nullum quæstum turpem putas, cùm isti ordini ne honestus quidẽ possit esse vllus: si quotidie fraudas, decipis, poscis, pacisceris, aufers, eripis: si socios spolias, ærarium expilas: si testamenta amicorum exspectas, aut ne exspectas quidẽ atqui ipse supponis: hæc vtrùm abundantis, an egentis signa sunt? Animus hominis, diues, non arca appellari solet. quamuis illa sit plena, dum te inanem videbo, diuitem nõ putabo. etenim ex eo, quãtum cuique satis est, metiuntur homines diuitiarum modũ. Filiam quis habet? pecunia est opus. duas? maiore. plureis? maiore etiã & si, vt aiunt, Danai quinquaginta sunt filiæ, tot dotes magnam quęrunt pecuniam. quantum enim cuique opus est, ad id accommodatur, vt antè dixi, diuitiarum modus. qui igitur nõ filias plureis, sed innumerabileis cupiditates habet, quę breui tempore maximas copias exhaurire possint: hunc quo modo ego appellabo diuitem, cùm ipse egere se sentiat? multi ex te audierũt, cùm diceres, neminem esse diuitem, nisi qui exercitum alere posset suis fructibus: quod populus Rom. ex tãtis vectigal. b. iampridem vix potest. ergo hoc proposito, nunquam eris diues antè, quam tibi ex tuis possessionibus tãtum reficiatur, vt ex eo tueri sex legiones, & magna equitũ, ac peditum auxilia possis. Iam fateris igitur non esse te diuitem, cui tãtum desit, vt expleas id, quod exoptas. itaque istam paupertatem, vel potiùs egestatem, ac mẽdicitatem tuam nunquam obscurè tulisti. nam vt ijs, qui honestè rem quærunt mercaturis faciendis, operis dãdis, publicis sumẽdis, intelligimus opus esse quæsito: sic,

a *fort. vt ea ad lib.*

b *[illegible].c. tuæ. nihil sibi deesse putat: nihil curat amplius, satiatus est.*

c *L. iudiciũ.*

qui videt domi tuæ pariter [1] accuſatorum, atque [2] iudicum conſociatos greges, qui nocenteis, & pecunioſos reos eodem te auctore corruptelam iudicij molienteis, qui tuas mercedũ pactiones in patrocinijs, [2] interceſſiones pecuniarũ in coitionibus candidatorũ, dimiſſiones libertorum [b] ad fœnerandas, diripiendasq́; prouincias: qui expulſiones vicinorum, qui latrocinia in agris, qui cum ſeruis, cum libertis, cum clientibus ſocietates, qui poſſeſſiones vacuas, qui proſcriptiones locupletiũ, qui ſedes municipiorũ, qui illam Sullani temporis meſſem recordetur, qui teſtameta ſubiecta, qui ſublatos tot homines, qui denique omnia venalia, [3] [c] delectum, decretum, alienam, ſuam ſententiam, forum, domum, vocem, ſilentium. quis hunc non putet confiteri, ſibi quæſito opus eſſe? cui autem quæſito opus ſit, quis vnquam hunc verè dixerit diuitem? eſt enim diuitiarum fructus in copia: copiam autem declarat facietas rerum, atque abundantia: quam tu quoniam nunquam aſſequêre, nunquam omnino es futurus diues. Meam autem quoniam pecuniam contemnis, & rectè (eſt enim ad vulgi opinionem mediocris: ad tuam, nulla: ad meam modica) de me ſilebo: de te loquar. Si cenſenda nobis, atque æſtimãda res ſit, vtrùm tãdem pluris æſtimabimus pecuniam Pyrrhi, quam Fabricio dabat, an continentiam Fabricij, qui illam pecuniã repudiabat? vtrum aurum Samnitum, an reſponſum [d] M. Curij? hereditatem L. Paulli, [e] an libertatem Africani, qui eius hereditatis Qu. Maximo fratri partem ſuam conceſſit? Hæc profectò, quæ ſunt ſummarum virtutũ, pluris æſtimãda ſunt, quàm illa, quæ ſunt pecuniæ. Quis igitur, ſi quidem, vt quiſque, quod plurimi ſit, poſſideat [f] ita ditiſſimus habendus ſit, dubitet, quin in virtute diuitiæ [g] ſint? quoniã nulla poſſeſſio, nulla vis auri, & argẽti, pluris, quàm virtus, æſtimanda eſt. O dij immortales: non intelligunt homines, quàm magnum vectigal ſit parſimonia,

b *L. ad de fœnerandas. dir.*

c *L. dilectũ.*

d *L. M'*

e *L. an libertatem.*

f *v.c. ita diuitiſſimus.*

g *al. poſitæ ſint.*

[1] Venio

[a]Venio enim ad sumptuosos: relinquo istũ quęstuosum. Capit ille ex suis prædijs sexcenta sestertia: ego cẽtena ex meis: illi aurata tecta in villis, & sola marmorea facienti, & signa, tabulas, suppellectilem, & vestem infinitè concupiscenti, [4] non modò ad sumptum ille est fructus sed etiam ad fænus, exiguus. ex meo tenui victigali, detractis sumptibus cupiditatis, aliquid etiam redundabit. Vter igitur est[b] ditior, cui deest, an cui superat? qui eget, an qui abundat? Cuius possessio quo est maior, eo plus requirit ad se tuendam: an quæ suis se viribus sustinet? Sed quid ego de me loquor, qui morum, ac temporum titio aliquantum etiam ipse fortasse in huius seculi errore verser? [c] M. Manilius patrum nostrorum memoria (ne semper Curios, & Lucinos loquamur) pauper tandem fuit, habuit enim ędiculas in Carinis, & fundum in Labicano, nos igitur [d] ditiores sumus. qui plura habemus? vtinam quidem essemus. sed nõ æstimatione census, verùm victu atque cultu terminatur pecuniæ modus. nõ esse cupidum, pecunia est: non esse emacem, vectigal est. contẽtum verò suis rebus esse, maximæ sunt, certissimæq; diuitiæ. Etenim si isti callidi rerũ æstimatores, prata, & areas quasdam magno æstimãt, quòd ei generi possessionum minimè quasi noceri potest: quãti est æstimanda virtus, quæ nec eripi, nec surripi potest vnquam: neque naufragio, neq; incẽdio amittitur. nec tempestatum, nec temporum permutatione mutatur? qua prędití qui sunt, soli sunt diuites. Soli enim possidẽt res & fructuosas, & sempiternas: soliq́ue, quod est propriũ diuitiarum, contẽti sunt rebus suis, satis esse putãt, quod est: nihil appetunt, nulla re egent, nihil sibi deesse sentiunt, nihil requirunt. Improbi autem, & auari quoniam incertas, atq; in casu positas [e] habent, & plus semper appetũt, nec eorum quisquam adhuc inuentus est, cui quod haberet, esset satis: non modò non copiosi ac diuites, sed etiam inopes, ac pauperes existimandi sunt.

a *L. venio enim ad sunt.*

b *al. diuitior.*

c *L. M' Manil.*

d *al. diuitiores.*

e *L. possessiones habent.*

# M. TVLL. CICERONIS DE SOMNIO SCIPIONIS.

*Ex libro de Repub. Sexto.*

CVM in Africam venissem, à Manlio Cõsule ductus ad quartam legionem (vt scitis) Tribunus militum: nihil mihi potius fuit, quam vt Masinissam conuenirem, Regem familiæ nostræ iustis de causis amicissimum. Ad quẽ vt veni, complexus me senex collachrymauit, aliquantoq; post suspexit in cælum: & Grates, inquit, tibi ago, summe Sol, vobisq;, reliqui cælites, quòd antè quàm ex hac vita migro, cõspicio in meo regno, & his tectis P. Cornelium Scipionẽ, cuius ego nomine ipso recreor: ita nunquam ex animo meo discedit illius optimi atq; inuictissimi viri memoria. Deinde ego illum de suo regno, ille me de nostra Rep. percontatus est: multisq; verbis vltrò citroq; habitis ille nobis consumptus est dies. post autẽ regio apparatu accepti, sermonem in multam noctem produximus: cum senex nihil nisi de Africano loqueretur, omniaq; eius nõ solùm facta, sed etiam dicta meminisset. deinde, vt cubitũ discessimus, me, & fessum de via, & qui ad multã noctem vigilassem, arctior, quàm solebat, somnus cõplexus est. Hic mihi (credo equidẽ ex hoc, quod eramus locuti: fit enim ferè, vt cogitationes, sermonesque nostri pariant aliquid in somno tale, quale de Homero scribit Ennius, de quo videlicet sæpissimè vigilans solebat cogitare, & loqui) Africanus se ostendit illa forma, qua mihi ex imagine

imagine eius,quàm ex ipſo erat notior. quem vt agnoui, equidem cohorrui. ſed ille, Ades, inquit, animo & omitte timorem,Scipio,& quæ dicam,trade memoriæ. Vid: ſne illam vrbem, quæ parêre Pop. Roma. coacta per me, renouat priſtina bella, nec poteſt quieſcere? (oſtendebat autem Carthaginem de excelſo & pleno ſtellarum, illuſtri, & claro quodam loco) ad quam tu oppugnandam nunc venis penè miles, hanc hoc biennio c o s. euertes,eritque cognomen id tibi per te partum, quod nabes ex nobis adhuc hæreditarium. Cùm autem Carthaginem deleueris, triumphum egeris, Cenſorq; fueris,& obieris Legatus Ægyptum, Syriam, Aſiam, Græciam, delegere iterum abſens c o s. bellumq; maximum conficies,Numantiam excindes. Sed cùm eris curru Capitolium inuectus, offendes Remp. perturbatam conſilijs nepotis mei. Hic tu, Africane, oſtendas oportebit patriæ lumen animi, ingenij, conſilique tui. ſed eius temporis ancipitem video quaſi fatorum viam. Nam,cùm ætas tua ſeptenos octies Solis anfractus,reditusque conuerterit,duoque hi numeri quorum vterque plenus: alter altera de cauſa habetur,circuitu naturali ſummam tibi fatalem confecerint: in te vnum, atque tuum nomen, ſe tota conuertet ciuitas: te Senatus,te omnes boni,te ſocij,te Latini intuebuntur: tu eris vnus,in quo nitatur ciuitatis ſalus,ac ne multa, Dictator Remp. cõſtituas oportet,ſi impias propinquorum manus effugeris. Hic cum exclamaſſet Lælius,ingemuiſſentque cæteri vehementius,leniter arridens Scipio, quæſo, inquit, ne me è ſomno excitetis, & pax ſit rebus: audite cetera. Sed quò ſis, Africane alacrior ad tutandam Rempublicam, ſic habeto: Omnibus, qui patriam conſeruauerint, adiuuerint, auxerint, certum eſſe in cælo, ac diffinitum locum, vbi beati æuo ſempiterno fruantur. nihil eſt enim illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem

in terris fiat,acceptius,quàm concilia cœtusq́, hominũ iure ſociati,quæ ciuitates appellantur:harum rectores, & conſeruatores hinc profecti,huc reuertẽtur.Hîc ego etſi eram perterritus, non tam metu mortis quàm inſidiarũ à meis,quæſiui tamen, viuerétne ipſe pater Paulus,& alij,quos nos extinctos arbitremur.Imò verò,inquit,ij viuunt,qui ex corporum vinculis, tãquam è carcere,euolauerũt:veſtra verò,quæ dicitur vita,mors eſt. quin tu aſpicias ad te venientem Paulum patrem.Quẽ vt vidi,equidem vim lachrymarum profudi: ille autem me amplexus, atque oſculans flere prohibebat: atque ego vt primum fletu repreſſo loqui poſſe cœpi,Quæſo, inquam, pater ſanctiſſime,atque optime, quando hæc eſt vita ( vt Africanum audio dicere ) quid moror in terris,quin huc ad vos venire propero? Non eſt ita,inquit ille: niſi enim Deus,is,cuius hoc templum eſt omne, quod conſpicis, iſtis te corporis cuſtodijs liberauerit,hoc tibi aditus patêre nõ poteſt. homines enim ſunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum, quem in hoc templo medium vides, quæ dicitur terra:hiſq́ue animus datus eſt ex illis ſempiternis ignibns.quæ ſydera, & ſtellas vocatis : quæ globoſæ, & rotundæ diuinis animatæ mentibus circulos ſuos, orbesq́ue conficiunt celeritate mirabili. Quare & tibi Publi,& pijs omnibus retinendus eſt animus in cuſtodia corporis: nec iniuſſu eius,à quo ille eſt vobis datus,ex hominũ vita migrandum eſt,ne munus humanum aſſignatum à Deo defugiſſe videamini. Sed ſic Scipio,vt auus hic tuus,vt ego, qui te genui, iuſtitiam cole, & pietatem : quæ , cùm ſit magna in parentibus, & propinquis, tum in patria maxima eſt:quia ea vita via eſt in cælum, & in hũc cœtum eorum,qui iam vixerunt, & corpore laxati, illũ incolũt locum,quem vides. Erat autem is ſplendidiſſimo candore inter flammas elucens circulus, quem vos (vt à Graijs accepiſtis ) orbem lacteum nuncupatis: ex quo omnia

*Pulchrè multa in hãc ſententiam Cicer. Tuſculan. 1.*

omnia mihi contemplanti,præclara cætera,& mirabilia videbantur.erant autẽ eæ ſtellę,quas nunquam ex hoc loco vidimus: & eæ magnitudines omnium, quas eſſe nunquam ſuſpicati ſumus. ex quibus erat illa minima, quæ vltima cælo,citima terris luce lucebat aliena:ſtellarum autem globi terræ magnitudinẽ facilè vincebãt. Iam verò ipſa terra ita mihi parua viſa eſt, vt me imperij noſtri,quo quaſi punctum eius attingimus,pœniteret: quam cùm magis intueret, Quæſo, inquit Africanus, quouſq; humi defixa tua mens erit? Nónne aſpicis,quæ in tẽpla Veneris? nónne tibi orbibus, vel potius globis, cõnexa ſunt omnia:quorum vnus eſt cæleſtis extimus, qui reliquos omnes complectitur, ſummus ipſe Deus, arcens, & continens cæteros, in quo infixi ſunt illi, qui voluuntur ſtellarum curſus ſempiterni:cui ſubiecti ſunt ſeptem,qui verſantur retrò,cõtrario motu atq; cælum. ex quibus vnum globũ poſſidet illa, quam in terris Saturniam nominant.deinde eſt hominũ generi proſper, & ſalutaris ille fulgor,qui dicitur Iouis: tũ rutilus,horribilisq; terris,quem Martem dicitis.deinde ſubter mediam ferè regionẽ Sol obtinet, dux & princeps, & moderator luminum reliquorum,mens mũdi, & temperatio,tanta magnitudine,vt cũcta ſua luce luſtret,& compleat.hunc,vt comites,cõſequuntur alter Veneris,alter Mercurij curſus: in infimoque orbe Luna radijs Solis accẽſa cõuertitur:infrà autẽ iam nihil eſt, niſi mortale, & caducum, præter animos generi hominum munere Deorum datos. ſupra Lunam ſunt æterna omnia. nam ea,quæ eſt media,& nona tellus,neq; mouetur, & infima eſt & in eam ferũtur omnia ſuo motu põdera. Quæ cùm intuerer ſtupens,vt me recepi, Quis hic,inquam quis eſt,qui cõplet aures meas tantus,& tam dulcis ſonus? Hic eſt,inquit ille,qui interuallis coniunctus imparibus, ſed tamen pro rata portione diſtinctis, impulſu, motu & ipſorum orbium conficitur:qui acuta cum gra-

Tuibus temperans, varios æquabiliter concentus efficit, nec enim silentio tanti motus incitari possunt,& natura fert,vt extrema ex altera parte grauiter, ex altera autẽ acutè sonent. Quam ob causam summus ille cæli stelliferi cursus,cuius conuersio est concitatior,acuto & excitato mouetur sono:grauissimo autem hic lunaris,atq; infimus. Nam terra nona immobilis manens,ima sede semper hæret complexa medium mundi locum.illi autem octo cursus in quibus eadem vis est duorum, Mercurij, & Veneris, * modorũ septem efficiunt distinctos interuallis sonos : qui numerus rerum omniũ ferè modus est,quod docti homines neruis imitati, atque cãtibus,aperuere sibi reditum ad hunc locum:sicut alij,qui præstantibus ingenijs in vita humana diuina studia,coluerunt, Hoc sonitu * oppletæ aures obsurduerunt : nec est vllus hebetior sensus in vobis:sicut in illis, vbi Nilus ad illa,quæ * Catadupa nominãtur,præcipitat ex altissimis montibus : ea gens,quæ illum locũ accolit propter magnitudinem sonitus,sensu audiendi caret. Hic verò tantus est totius mũdi incitatissima cõuersione sonitus, vt eum aures hominum capere nõ possint,sicut intueri Solem nequitis aduersum , eiusque radijs acies vestra, sensusq; vincitur. Hæc ego admirans,referebam tamẽ oculos ad terram identidem.tum Africanus.Sentio,inquit , te sedem etiam nunc hominum contemplari, ac domum:quæ si tibi parua (vt est) ita videtur,hæc cælestia semper spectato,illa humana contemnito.Tu enim quam celeritatem sermonis hominum,aut quam expetendam gloriam cõsequi potes? Vides habitari in terra raris , & angustijs in locis, & in ipsis quasi maculis, vbi habitatur,vastas solitudines interiectas:hosque qui incolunt terrã,non modo,interruptos ita esse, vt nihil inter ipsos ab alijs ad alios manare possit:sed partim obliquos,partim * aduersos,partim etiã aduersos stare vobis, à quibus * expectare gloriã certè nullã potestis,cernis autem

*Hic locus variat : vide in annotationibus.*

* *oppletæ.*

* *Catadupæ.*

* *transuersos.*

* *sperare.*

autem terram eandem, quasi quibusdam redimitam, & circũdatam cingulis, è quibus duos maximè inter se diuersos, & cæli verticibus ipsis ex vtraq; parte subnixos, obriguisse pruina vides: medium autem illum, & maximum Solis ardore torreri. duo sunt habitabiles, quorum australis ille, in quo qui insistunt, aduersa vobis vrgent vestigia; nihil ad vestrum genus, hic autem alter subiectus Aquiloni, quẽ incolitis, cerne, quàm vos tenui parte contingat. omnis enim terra, quæ colitur à vobis, angusta verticibus, lateribus latior, parua quædam insula est, circumfusa illo mari, quod Atlanticum, quod Magnum, quod Oceanum appellatis in terris: qui tamen tanto nomine, quam sit paruus, vides. Et his ipsis cultis, notisq; terris, num aut tuum, aut cuiusquam nostrum nomen, vel Caucasum hunc, quem cernis, transcendere potuit, vel illum Gangem transnare? quis in reliquis oriẽtis, aut abeuntis Solis vltimis, aut Aquilonis, austriue partibus tuum nomen audiet? quibus amputatis, cernis profecto quantis in angustijs vestra gloria se dilatari velit. Ipsi autem, qui de vobis loquuntur, quam diu loquẽtur? Quinetiã, si cupiat proles illa futurorum hominũ deinceps laudes vnuscuiusq; nostrum à patribus acceptas posteris prodere: tamen propter eluuiones, exustionesq; terrarum, quas accidere tempore certo necesse est, non modo non æternam, sed ne diuturnam quidẽ gloriam assequi possumus. Quid autem interest, ab ijs, qui posteà nascẽtur, sermonem forè de te, cùm ab ijs nullus fuerit, qui antè nati sint? qui nec pauciores, & certè meliores fuerunt viri: cùm præsertim apud eos ipsos, à quibus nomẽ nostrum potest audiri, nemo vnius anni memoriam cõsequi possit. homines enim populariter annum tantummodo Solis, id est, vnius astri, reditu metiuntur: cum autem ad idem, vnde semel profecta sunt, cuncta astra redierint, eademque totius cæli descriptionem longis interuallis retulerint,

tum ille verè vertens annus appellari poteſt: in quo vix dicere audeo, quàm multa ſecula hominum teneantur. namque, vt olim deficere Sol hominibus, extinguiq́ue viſus eſt, cùm Romuli animus hæc ipſa in templa penetrauit: ita quandocunq; eadem parte Sol, eademq́ue tempore iterum defecerit, tum ſignis omnibus ad idem principium, ſtellisq́; reuocatis, expletum annũ habeto. Huius quidem anni nondum vigeſſimam partem ſcito eſſe conuerſam. Quocirca ſi reditum in hũc locum ſperaueris, in quo omnia ſunt magnis, & præſtãtibus viris: quanti tandem eſt iſta hominum gloria, quæ pertinere, vix ad vnius anni partem exiguam poteſt? Igitur altè ſpectare ſi voles, atque hãc ſedem, & æternam domum contueri: neque ſermonibus vulgi dederis te, nec in præmijs humanis ſpem poſueris rerum tuarum: ſuis te, illecebris oportet ipſa virtus trahat ad verum decus. quid de te alij loquantur, ipſi videant: ſed loquentur tamen. Sermo autem omnis ille, & angũſtijs cingitur ijs regionum, quas vides, nec vnquã de vllo perennis fuit, & obruitur hominum interitu, & obliuione poſteritatis extinguitur. Quæ cùm dixiſſet, Ego verò, inquam, ô Africane, ſi quidem bene meritis de patria quaſi limes ad cæli aditum patet, quamquam à pueritia veſtigijs ingreſſus patrijs, & tuis decori veſtro non defui: nunc tamen tanto præmio propoſito enitar multò vigilantius: & ille, Tu verò enitere, & ſic habeto, te non eſſe mortalem, ſed corpus hoc. nec enim is es, quem forma iſta declarat: ſed mens cuiuſque, is eſt quiſque: non ea figura, quæ digito demonſtrari poteſt. Deum te igitur ſcito eſſe: ſiquidem Deus eſt, qui viget, qui ſentit, qui meminit, qui præuidet, qui tam regit, & moderatur, & mouet id corpus, cui præpoſitus eſt, quàm hunc mũdum princeps ille Deus: & vt ipſum mundum ex quadam parte mortalem ipſe Deus æternus, ſic fragile corpus animus ſempiternus mouet. Nam quod ſemper mouetur, æternum

& patrũ.

num eſt; quod autem nouum affert alicui, quod ipſum agitatur aliunde, quando finem habet motus, viuendi finem habeat neceſſe eſt. ſolùm igitur, quod ſeſe mouet, quia nunquam deſeritur à ſe: nunquam ne moueri quidem deſinit: quin etiam cæteris, quæ mouentur, hîc fons, hoc principium eſt mouendi. principio autẽ nulla eſt origo: nam ex principio oriuntur omnia, ipſum autem nulla ex re fieri poteſt: nec enim hoc eſſet principium, quod gigneretur aliunde. quod ſi nũquam oritur, nec occidit quidem vnquam. nam principium extinctũ, nec ipſum ab alio renaſcetur, nec ex ſe alius creabit: ſi quidem neceſſe eſt à principio omnia oriri. Ita fit, vt motus principium ex eo ſit, quòd ipſum à ſe mouetur: id autem nec naſci poteſt, nec mori: vel concidat omne cælum, omnisque natura conſiſtat neceſſe eſt, nec vim vllam nanciſcatur, * quæ à primo impulſu moueatur. Cùm pateat igitur æternum id eſſe, quod à ſeipſo mo ueatur: quis eſt, qui hanc naturam animis eſſe tributam neget? inanimatum eſt enim omne, quod impulſu agitatur externo: quod autem anima eſt, id motu cietur interiore, & ſuo. nam hæc eſt natura propria animæ, atque vis. Quæ ſi eſt vna ex omnibus, qua ſeſe moueat, neq; nata eſt certè, & æterna eſt hãc tu exerce in optimis rebus: Sunt autem hæ optimæ curæ de ſalute patriæ, quibus agitatus, & exercitatus animus velocius in hanc ſedem, & domum ſuam peruolabit: idque ocyus faciet, ſi iam tum, cùm erit incluſus in corpore, eminebit foras, & ea, quæ extrà erunt, cõtemplans, quàm maximè ſe à corpore abſtrahet. Nam eorum animi, qui ſe corporis voluptatibus dediderũt, earumq; ſe quaſi miniſtros præbuerunt, impulſuq; libidinum voluptatibus obedientium. deorum, & hominum iura violauerunt, corporibus elapſi circum terram ipſam volutantur: nec in hunc locum, niſi multis exagitati ſeculis reuertũtur. Ille diſceſſit: ego ſomno ſtatim ſolutus ſum.

* qua.

# IN SOMNIVM SCIPIONIS ANNOTATIONES.

ILLI autem octo cursus, in quibus eadem vis est duorum, Mercurij & Veneris modorum, septem efficiunt distinctos interuallis sonos (qui numerus rerum omnium fere modus est.) Hic locus nonnihil torquet eruditos. Nam & in nostris exemplaribus habetur varius, in nonnullis sic habetur: Octo cursu quibus eadem vis est modorum. septem eff. &c. Nec vlla mentio fit Mercurij & Veneris. At Theodori versio discrepat ab vtraque lectione. Sic enim reddidit: ἐκεῖνοι γάμιλιν ὁι ἐκτὰ δρομοι, ἅν δοιτη αὐτοῖς πρόσεσι δυναμις, ἑπτὰ διωρισμένας τοῖς διαςήμασιν ἤχας ἀποτέλεσιν, ὅτις ὁητα ἀριθμὸς, σύνδεσμος ἄτιχρυς τῶν ὄντων ἐστίν. id est, Illi autem cursus, quorum gemina vsdem vis ineſt, septem interuallis distinctos efficiunt sonos, qui sanè numerus, planè, rerum omnium modus est. Videtur enim pro modus legisse nouus, qui vertit σύνδεσμος. Qui addiderunt. Mercurij & Veneris, videntur terræ quoq; dedisse suum sonum. Quamquam totum hoc de concentu orbium commentum, dictu iucundius est, quàm vero simile. De terra certè non sensit Cicero, quam vnam facit immobilem, docens reliquorum orbium sonos ex agitatione motuq; cieri. Hoc isti parum animaduertentes ne sint soni nouem, eandem vocem tribuerunt Veneri & Mercurio. quod in organis musicis aliquoties fit, vt duæ chordæ reddant eandem sonum. Iam quod Cicero loquitur de septenario cùm orbes sint octo, bifariam potest explicari. Primùm vt summa acuta, & ima grauis accipiantur pro eadem, propter summam consonantiam, veluti fit in Magade. Deinde vt in Ciceronis sermone septem referamus non ad sonos, sed ad interuallis: efficiunt sonos distinctos septem interuallis. Siquidem in διὰ πασῶν octo quidē voces sunt, sed interualla non nisi septem. Porro quod M. Tullius ait eandem esse vim modorum in illis octo, non sentit omnes idem sonare, sed ad harmoniam absoluēdam pariter agere. In quo differunt omnes à terra, qui talis vis non adest. Quid autem sequutus Theodorus, vertit ἁπτὴ, non satis queo diuinare, nisi fortè sensit de duplici motu sphærarum non de sonis. Quanquam in hu quid attinet torqueri, cùm ipse sermo Græcus no satis cohæreat? Et fieri potest, vt Theodorus aliud scripserit, quàm legimus. Si tollantur ea verba, quæ satis appareat ab erudito quopiam addita, demonstrauimus nihil esse scrupuli.

* *
*

FINIS.

# M. T. CICERONIS PHÆNOMENωN, EX ARATO FRAGMENTA.

AB Iove muſarum primordia,
Malebant tenui contenti viuere cultu. *Cic. 2. leg.*
Et Iouis in regno, cæliq; in parte reſedit. *Lactant.*
Cetera labuntur celeri cæleſtia motu, *Lactant.*
Cum cæloq; ſimul nocteisq; dieſq; feruntur. *Cic. 2. Nat. Deor.*
Extremusq; adeo duplici de cardine vertex
Dicitur eſſe Polus.
Ex his altera apud Graios Cynoſura vocatur,
Altera dicitur eſſe Helice.
Quas noſtri Septem ſolti vocitare triones.
Hæc fidunt duce nocturna Phœnices in alto.
Sed prior illa, magis ſtellis diſtincta refulget,
Et latè prima confeſtim à nocte videtur.
Hæc verò parua eſt ſed nautis vſus in hac eſt:
Nam curſu interiore breui conuertitur orbe.
Has inter veluti rapido cum gurgite flumen,
Toruu' Draco ſerpit ſubter ſupraq; reuoluens
Seſe, conficiensq; ſinus è corpore flexos.
Huic non vna modo caput ornans ſtella relucet,
Verùm tempora ſunt duplici fulgore notata,
Et trucibusq; oculis duo feruida lumina flagrant,
Atque vna mentum radianti ſidere lucet:
Obſtipum caput & tereti ceruice reflexum
Obtutum cauda maioris figere dicas.
[a] Quod caput hic paullum leſe ſubditoq; recondit, *a v.c. Hoc caput.*
Ortus vbi atque obitus partem admiſcentur in vnam.
* *Id autem caput*
Attingens defeſſa velut mærentis imago

vertitur * *quam quidem Græci*
a *v.c. quia.* Ἐγγόνασιν vocitant, genibus [a] quod nixa feratur.
Hîc illa eximia posita est fulgore corona.
propter, caput Anguitenentis
Quem claro perhibent ὀφιοῦχον nomine Graij.
Huic supera duplices humeros affixa videtur
Stella micans tali specie, talique nitore.
Hic pressu duplici palmarum continet Anguem
Eius & ipse manet religatus corpore toto.
Namq, virum medium Serpens sub pectora cingit,
Ille tamen nitens grauiter vestigia ponit.
Atque oculos vrget pedibus pectusq́; Nepaï.

*Septentriones sequitur*

Arctophylax vulgo qui dicitur esse Bootes,
Quòd quasi temone adiunctam præ se quatit Arcton.

*huic Booti*

b *v.c. videtur.* * subter præcordia fixa [b] tenetur
Stella micans radijs, Arcturus nomine claro.

* *cui subiecta fertur*

Spicum illustre tenens splendenti corpore Virgo.

Ferrea tum verò proles exorta repente est:
Ausaq́; funestum prima'st fabricarier ensem,
Et gustare manu victum domitumq́; iuuencum.

Et natos Geminos inuises sub caput Arcti
Subiectus mediæ est Cancer: pedibusq́; tenetur
Magnu' leo tremulam quatiens è corpore flammam.

Hoc motu radientis Etesiæ in vada ponti,

Nauibus assumptis fluitantia quærere aplustra

*Auriga*

Sub læua geminorum obductus parte feretur,
Aduersum caput huic Helice truculenta tuetur.
At Capra læuum humerum clara obtinet.

Verum

Verum hæc eſt magno atque illuſtri prædita ſigno.
Contrà,hœdi exiguum iaciunt mortalibus ignem,
*cuius ſub pedibus*
Corniger eſt valido connixus corpore Taurus.
Has Græci ſtellas ὑάδας vocitare fuerunt.
Namq; ipſum in tergum Cynoſuræ vertitur arcti.
*hunc antecedit*
Obſcura ſpecie ſtellarum Caſſiepeia.

Hanc autem illuſtri verſatur corpore propter
Andromeda,aufugiens adſpectum mœſta parentis.

Huic Equus ille iubam quatiens fulgore micanti
[a] Summa contingit caput aluo,ſtellaq́; iungens
Vna tenet duplices communi lumine formas,
Æternum ex aſtris cupiens connectere nodum.

Exin contortis Aries cum cornibus hæret.

a *v.c. Summum.*

# ARATI PHÆNOMENA
## A M. T. CICERONE ADOLESCENTE Latina facta.

EQVIBVS hinc ſubter poſſis cognoſcere fultum,
Iam cæli mediam partem terit, vt prius illæ
Chel, [b] quum pectus quod cernitur Orionis.
Et propè conſpicies paruum ſub pectore [c] claro
Andromedæ ſignum, Deliôton dicere Graij
Quòd ſoliti,ſimili quia forma littera claret:
Huic ſpatio ductum ſimili latus exſtat vtrumque.
At non tertia pars lateris: [d] nam non minor illis,
Sed ſtellis longè denſis præclara relucet.

b *v.c. tum.*
c *v.c. clara.*
d *v.c. namq; eſt minor.*

Inferior paullo eſt Aries,& flamen ad Auſtri
a *v.c.illi.* Inclinatior,atque etiam vehumentius [a] illo
b *v.c.prælabitur.* Piſces,quorum alteri paullo [b] prælabitur antè,
Et magis horriſonis Aquilonis tangitur alis.
Atque horum è caudis duplices velut eſſe catenæ
Dicuntur,ſúa diuerſæ per lumina ſerpunt:
c *v.c.tamen.* Atque vna [c] tandem in ſtella communiter hærent,
Quam veteres ſoliti cæleſtem dicere nodum.
Andromadæ læuo ex humero ſi quærere perges,
Appoſitum poteris ſuprà cognoſcere Piſcem.
d *v.c.natum ſummo Ioue Perſea viſes.* E pedibus [d] vatum ſummo natus Ioue Perſeus,
Quos humeris retinet defixo corpore Perſeus:
Quem ſumma ab regione Aquilonis flamina pulſant.
Hic dextram ad ſedes intendit Caſſiepeæ,
Diuerſoſque pedes vinctos talaribus aptis
e *v.c.elapſus.* Puluerulentus vti de terra [e] lapſu' repentè
f *v.c.magno.* In cælum victor [f] magnum ſub culmine portat.
At propter læuum genus omni ex parte locatas
Paruas Vergilias tenui cum luce videbis,
Hæ ſeptem vulgò perhibentur more vetuſto
Stellæ, cernuntur verò ſex vndique paruæ.
At non interiſſe putari conuenit vnam:
Sed frúſtrà temere à vulgo ratione ſine vlla
Septem dicier, vt veteres ſtatuêre poëtæ,
g *v.c.ſignãt.* Æterno cunctas æuo qui nomine [g] dignant.
Alcyone, Meropeq́; , Cæleno, Taygeteq́; ,
Electra,Steropeq́; , ſimul ſanctiſſima Maia,
Hæ tenues paruo labentes lumine lucent:
At magnum nomen ſigni, clarumq́; vocatur,
h *al.clarat.* Propterea quòd & æſtatis primordia [h] claret,
Et pòſt hiberni præpandens temporis ortus
Admonet vt mandent mortales ſemina terris.
i *al.connexa.* Inde Fides leuiter poſita & [i] conuexa videtur,
k *al.paruus.* Mercurius [k] paruus manibus quam dicitur olim
l *al.In cuna.* [l] Infirmis fabricatus in alta ſede locaſſe.

Quæ

[a] Quæ genus ad læuum Nixi delapſa reſedit,
Atque inter flexum genus, & caput Alitis hæſit.
Namq; eſt Ales auis, lato ſub tegmine cæli
Quæ volat, & ſerpens geminis ſecat aëra pennis,
Altera pars huic obſcura eſt, & luminis expers:
Altera nec paruis, nec claris lucibus ardet,
Sed mediocre iacit quatiens è corpore lumen.
Hæc dextram Cephei dextro pede peller e palmam
Geſtit: iam verò clinata eſt vngula vehemens
Fortis equi propter pennati corporis alam.
Ipſe autem labens [b] multis equus ille tenetur
Piſcibus: huic ceruix dextra mulcetur Aquari.
Serius hæc obitus terrai [c] iuſſit equinis
Quàm gelidum valido de corpore frigus anhelans
Corpore ſemifero magno Capricornus in orbe:
Quem quum perpetuo veſtiuit lumine Titan,
Brumali flectens [d] contorquet tempore curſum.
Hoc caue te [e] ponto ſtudeas committere menſe:
Nam non longinquum ſpatium habêre diurnum:
Non hiberna cito voluetur curriculo nox:
Humida non ſeſe veſtris aurora querelis
Ocyus oſtendet, clari prænuntia ſolis:
At validis æquor pulſabit viribus Auſter:
Tum [f] fixum tremulo quatietur frigore corpus.
Sed tamen anni iam labuntur tempore toto,
Nec cui ſignorum cedunt, neque flamina vitant,
Nec metuunt canos minitanti murmure fluctus.
Atque etiam ſupero naui pelagoq́; [g] vagato
Menſe, ſagitti potens ſolis cùm ſuſtinet orbem.
Nam iam cum minus exiguo lux tempore præſtò eſt.
Hoc ſignum veniens poterunt prænoſcere nautæ:
[h] Iam propè [i] præcipiti antè licebit viſere nocti
Vt ſeſe oſtendens emergit Scorpius altè,
Poſteriore trahens flexum vi corporis arcum:
Iam ſuprà cernes Arcti caput eſſe minoris,

a *v.c.Hæc.*
b *al.mutis.*
c *v.c.viſit equus vii.*
d *v.c.cùm torquet.*
e *v.c.in pontum.*
f *v.c.fiſſum.*
g *v.c.vagantur.*
h *al.Nam.*
i *v.c.præcipitante.*

Et magis erectum ad ſummum verſarier orbem.
Tum ſeſe Orion toto iam corpore condit
Extrema prope nocte,& Cepheus conditur antè.
a *al.palmis.* Lumborum tenus à [a] prima depulſus ad [b] vndas.
b *v.c. vmbras.* Hic [c] miſſo reuocans fulgens iacet vna ſagitta,
c *v.c.miſſo reuocans.* Quam propter nitens penna conuoluitur Ales:
[d] Et clinata magis paullo eſt Aquilonis ad Auras.
d *v.c.Hæc.* At propter ſe aquila ardenti cum corpore portat
Igniferum mulcens tremebundis æthera pennis,
e *v.c.animis.* Non [e] minus ingenti cum corpore,ſed graue mœſtis
Oſtendit nautis perturbans æquora ſignum.
Tum magni curuus capricorni corpora propter
Delphinus iacet haud nimio luſtratu' nitore,
Præter quadruplices ſtellas in fronte locatas,
Quas interuallum binas diſterminat vnum.
Cætera pars læta tenui cum lumine ſerpit.
Illæ quæ fulgent luces ex ore coruſco,
f *v.c.Aquilonis.* Sunt inter partes gelidas [f] Aquilone locatæ,
Atque inter ſpatium, & læti veſtigia ſolis.
g *v.c.fuſca.* At pars inferior Delphini [g] fuſca videtur
Inter ſolis iter, ſimul inter flamina venti,
Viribus erumpit quà ſummi ſpiritus Auſtri.
Exinde Orion obliquo corpore nitens
Inferiora tenet truculenti corpora Tauri:
h *v.c.ſuſpiciens.* Quem qui [h] ſuſpiciet in cælum nocte ſerena
Latè diſperſum non viderit, [i] abdita verò
i *v.c. haud ita.* Cætera ſe ſperet cognoſcere ſigna poteſſe.
Namq; pedes ſubter rutilo cum lumine claret
Feruidus ille Canis ſtellarum luce refulgens.
k *al.venter.* Hunc tegit obſcurus ſubter præcordia [k] veſper:
l *al.Nec.* [l] Ver toto ſpirant rabidò de corpore flammam
Æſtiferos validis erumpit flatibus ignes:
Totus ab ore micans iacitur mortalibus ardor.
m *v.c.culmina.* Hic vbi ſe pariter cum ſole in [m] lumina cæli
Extulit,haud paritur foliorum tegmine fruſtra

Suſpenſos

Suſpenſos animos arbuſta ornata tenere.
Nam quorum ſtirpes tellus amplexa prehendit,
Hæc augens anima vitali flamine mulcet:
At quorum nequeunt radices findere terras,
Denudat folijs ramos & cortice truncos.
Hunc propter, ſubterq; pedes, quos diximus ante
[a] Oriona, iacet leuipes Lepus. hic fugit ictus
Horrificos metuens roſtri tremebundus acuti.
Nam Canis infeſto ſequitur veſtigia curſu
Præcipitantem agitans, oriens iam denique paullo
Curriculum nunquam defeſſo corpore ſedans.
At canis ad caudam ſerpens [b] prælabitur Argo,
Conuerſam præ ſe portans cum lumine puppim:
Non, aliæ naues vt in alto [c] pondere proras
Antè ſolent roſtro Neptunia prata ſecantes,
Sed conuerſa retrò cæli [d] ſemper loca portat:
Sicut quum cœptant tutos [e] conſtringere portus,
Obuertunt [f] nauem magno cum pondere nautæ,
Aduerſamq; trahunt optata ad littora puppim,
Sic conuerſa vetus ſuper æthera vertitur Argo,
Atque vſque à prora ad [g] cælum ſine lumine malum,
A malo ad puppim [h] cum lumine clara videtur,
Inde gubernaculum diſperſo lumine fulgens,
Clari poſteriora Canis veſtigia condit.
Exin ſemotam procul, in tutoque locatam
Andromadem tamen explorans fera quærere Piſtrix
Pergit, & vſque ſitam validas Aquilonis ad auras
Cærula veſtigat finita in partibus auſtri.
Hanc aries tegit, & [i] ſquammoſi corpore Piſces
Fluminis [k] illuſtri tangentem corpore ripas.
Namq; etiam Eridanum cernes in parte locatum
Cæli, funeſtum magnis cum viribus amnem,
Quem lachrymis mœſtæ Phaëthontis ſæpe ſorores
Sparſerunt, letum mœrenti voce canentes.
Hunc Orionis ſub leua cernere planta.

a *v.c. Orionis.*
b *v.c. prolabitur.*
c *al. ponere.*
d *v.c. ſe per.*
e *v. c. contingere.*
f *v.c. nauim.*
g *v c. celſum.*
h *v. c. clara cum luce.*
i *v c ſquammoſo.*
k *al. illuſtru.*

Serpentem poteris, proceraq; vincla videbis,
Quæ retinent Piſces, caudarum parte locata,
Flumine mixta retro ad Piſtricis terga reuerti.
a *v.c.Hæc.* [a] Hic vna ſtella [b] vertuntur quam iacit ex ſe
b *v.c.nectitur.* [c] Piſtricis ſpinæ valida cum luce refulgens,
c *al. piſtrix à ſpina.* Exinde exiguæ tenui cum lumine multæ
Inter Priſticem fucæ ſparſæq; videntur
d *al.omnes.* Atque gubernaclum ſtellæ, quas contegit [d] omnis
Formidans acrem morſum Lepas: his neque nomen,
Nec formam veteres certam ſtatuiſſe videntur.
e *v.c.quæ.* Nam [e] quæ ſideribus claris natura poliuit,
Et vario pinxit deſtinguens lumine formas,
f *v.c.has.* [f] Hæc ille aſtrorum cuſtos ratione notauit,
Signaq́ue ſignauit cæleſtia nomine vero:
g *v.c. cum lumine.* Has autem, quæ ſunt paruo [g] ſub culmine fuſæ,
Conſimili ſpecie ſtellas, pariliq́ue nitore,
h *al.clarare.* Non potuit nobis nota [h] clarere figura.
Exinde auſtralem ſoliti quem dicere Piſcem,
Voluitur inferior Capricorno verſus ad Auſtrum,
Piſtricem obſeruans, procul illi Piſcibus hærens.
At propè conſpicies expertis nominis omnes
Inter Priſticem & Piſcem quem diximus Auſtri
Stellas ſub pedibus ſtratas radiantis Aquari.
Propter Aquarius obſcurum dextra rigat amnem,
Exiguo qui ſtellarum candore niteſcit.
E multis tamen his duo latè lumina fulgent.
Vnum ſub magnis pedibus cernetur Aquari.
Quòd ſupereſt, gelido delapſum flumine fontis
i *v.c.Spiniferam.* [i] Spiniferam ſubter caudam Piſtricis adhæſit:
k *v.c.Hæ.* [k] Et tenues ſtellæ perhibentur nomine [l] Aquari.
l *al.Aquæ.* Hic aliæ volitant paruo cum lumine claræ,
Atque priora pedum ſubeant veſtigia magni
m *v.c. cedunt.* Arcitenentis, & obſcuræ ſine nomine [m] condunt
Inde Nepæ cernes pſopter fulgentis acumen
Aram, quam flatu permulcet ſpiritus Auſtri,

Exiguo

Exiguo ſuperûm quæ lumina tempore tranat:
Nam procul Arcturo eſt aduerſa parte locata.
Arcturo magnum ſpatium ſuperà dedit orbem
Iupiter hunc paruum inferiore in parte locauit.
Hic tamen æterno intuiſens loca curriculo nox,
Signa dedit nautis, cuncti quæ noſcere poſſent,
Commiſerans hominum metuendos vndiq; caſus.
Nam quum fulgentem cernes ſine nubibus atris
Aram ſub media cæli regione locatam,
A ſumma parte obſcura caligine tectam,
Tum validis fugito deuitans viribus Auſtrum:
Quem ſi proſpiciens vitaueris, omnia cautè
Armamenta locans, tutò labêre per vndas.
Sin grauis inciderit vehementi flamine ventus,
Perfringet celſos defixo robore malos:
Vt res nulla feras poſſit mulcere procellas,
Ni parte ex Aquilonis opacam pellere nubem
Cœperit, & ſubitis auris diduxerit Ara,
Sin humeros medio in cælo Centaurus habebit.
Ipſeq; cærulea contectus nube feretur,
Atque Aram tenui c›ligans veſtiet vmbra,
Ad ſignorum obitum vis eſt metuenda Fauoni.
Ille autem Centaurus in alta ſede locatus
Quà ſeſe[a] claro collucens Scorpius infert,
[b] Hæc ſubter partem præportans ipſe virilem
Cedit, equi partes properans coniungere Chelis.
Hic dextram porgens quadrupes qua vaſta tenetur,
Quam nemo certo donauit nomine Grajum,
Tendit, & illuſtrem truculentus cedit ad Aram.
Hic ſeſe infernis[c] de partibus erigit Hydra
Præcipiti lapſu flexo cum corpore ſerpens.
Hæc caput atque oculos torquens ad terga Nepai,
Conuexoq; ſinu ſubiens inferna Leonis,
Centaurum leni contingit lubrica cauda:
In medioq; ſinu fulgens cratera releet

a *v.c.clxl.*
b *v.c.Hæc.*
c *v.c.d.*

Extremum nitens plumato corpore Coruus
Roſtro tundit, & hîc Geminis eſt ille ſub ipſis
a *al. Anteeanis.* [a] Ante canem Graio Procyon qui nomine fertur
Hæc ſunt quæ viſens nocturno tempore ſigna,
b *al. cælum.* Legitimo cernes [b] cæli luſtrantia curſu.
Æternumq́; volens mundi pernoſcere motum,
c *al. orbem.* Nam quæ per bis ſex ſignorum labier [c] orbes
Quinque ſolent ſtellæ, ſimili ratione notari
Non poſſunt: quia quæ faciunt veſtigia curſu,
d *v.e protrita feruntur.* Non eedem ſemper ſpatio [d] portata teruntur.
e *al. Sed.* [e] Sic malunt errare vagæ per nubila cæli,
Atque ſuos vario motu metirier orbes.
Hæc faciunt magnos longinqui temporis annos,
Quum redeunt ad idem cæli ſub tegmine ſignum.
Quare ego nunc nequeo totos euoluere curſus.
Verum hæc, quæ ſemper certo voluuntur in orbe
f *edemus al. educam.* Fixa ſimul magnos [f] edem * gentibus orbes
Quatuor æterno luſtrantes lumine mundum,
Orbes ſtelligeri portantes ſigna feruntur,
g *v.c. terras.* Amplexi [g] terra cæli ſub tegmine fulti.
E quibus annorum volitantia lumina noſces,
Quæ denſis diſtincta licebit cernere ſignis.
Tum multos orbes magno cum lumine latos,
Vinctos inter ſe, & nodis cæleſtibus aptos,
Atque pari ſpatio duo cernes eſſe duobus.
h *v.c. Atſi.* [h] Nec ſic nocturno [i] cognoſcens tempore cælum,
i *v.c. conuiſens.* Quum neque caligans deterſit ſidera nubes,
Nec pleno ſtellas ſuperauit lumine Luna
Vidiſti magnum candentem ſerpere circum,
k *al. vocatur.* Lacteus hic nimio fulgens candore [k] notatur.
l *v.c. Is.* [l] Hic non perpetuum detexens conficit orbem,
Sed ſpatio multum ſupereſt præſtare duobus
Dicitur, & latè cæli luſtrare cauernas.
m *al. illuſtriatum.* Quorum alter tangens Aquiſonis vertitur auras,
Ora petens geminorum, [m] illuſtratum genus ardens

In

In ſeſe retinens Aurigæ portat vtrumque.
Hunc ſura læua Perſeus, humeroque ſiniſtro
Tangit:[a] ad Andromedam hic dextra de parte tenetur,
Imponitque pedes duplices Equus: & ſimul Ales
Ponit auis caput,& clinato corpore tergum,
Anguitenens humeris connititur: illa recedens
Auſtrum conſequitur deuitans corpore Virgo.
At verò totum ſpatium conueſtit & orbis
Magnu' Leo, & claro collucens lumine Cancer,
In quo conſiſtens conuertit curriculum ſol
Æſtiuus,medio diſtinguens corpore curſus.
Hic totus medius circo diſiungitur ipſo:
Pectoribus validis,atque aluo poſſidet orbem
Hunc octo in partes diuiſum noſcere circum
Si potes, inuenies ſupero conuertier orbe
Quinque pari ſpatio, partes tres eſſe relictas.
Tempore nocturno quas vis inferna[b] frequentet.
Alter ab infernis Auſtri conuertitur auris:
Diſtribuens medium ſubter ſecat hic Capricornum,
Atque pedes gelidum riuum fundentis Aquari,
Cæruleæque[c] feram caudam Piſtricis,& illum
Fulgentē Leporem, inde pedes Canis,& ſimul amplam
Argolicam retinet[d] crebro cum lumine Nauem:
Tergaq; Centauri atque Nepai portat acumen:
Inde Sagittari defixum poſſidet arcum.
Hunc à clariſonis auris Aquilonis ad Auſtrum,
[e]Condens poſtremum tangit rota feruida ſolis:
Exinde in ſuperas brumali tempore flexu
Se recipit ſedes: huic orbi quinque tributæ.
Nocturnæ partes, ſupera tres luce dicantur.
[f]Haſce inter mediam in partem retinere videtur
Tantus quantus erit collucens Lacteus orbis,
In quo autumnali,atque iterum ſol lumine verno
Exæquat ſpatium lucis cum tempore noctis.
Hunc retinens Aries ſublucet corpore totus,

a *al. at Andromedæ.*
b *v. c. frequentat.*
c *v.c. ferè.*
d *v.c. claro.*
e *v.c. Cedens.*
f *v.c. Hoſce inter mediam part.*

Atque genu flexo Taurus connititur ingens:
Orion Claro contingens corpore fertur:
Hydra tenet flexu Crateram Coruus adhæret,
a *al. & Chelæ.* Et paucæ [a] Chelis ſtellæ: ſimul Anguitenentis
Sunt genua, & ſummi Iouis Ales nuntius inſtat:
Propter Equus capite & ceruicum lumine tangit,
Hoſce æquo ſpatio deuinctos ſuſtinet axis,
Per medios ſummo cæli de vertice tranans.
Ille autem claro quartus cum lumine circus,
Partibus extremis extremos continet orbes,
Et ſimul à medio media de parte ſecatur,
Atque obliquus in his nitens cum lumine fertur:
Vt nemo, cui ſancta manu doctiſſima Pallas
Solertem ipſa dedit fabricæ rationibus artem,
Tam tornare carè contortos poſſiet orbes,
b *al. numine.* Quàm ſunt in cælo diuino [b] lumine flexi,
Terram cingentes, ornantes lumine mundum,
Culmine tranſuerſo retinentes ſidera fulta.
Quatuor hi motu cuncti voluuntur eodem,
Sed tantum ſupera terras ſemper tenet ille
Curriculum, obliquè inflexus tribus orbibus vnus,
Quanto eſt diuiſus Cancer ſpatio à Capricorno,
c *v.c. At.* [c] Ac ſubter terras ſpatium par eſſe neceſſe eſt:
Et quantos radios iacimus de lumine noſtro,
d *v.c. hunc.* Quicis, [d] lunæ conuexum cæli contingimus orbem,
Sex tantæ poterunt ſub eum ſuccedere partes,
Bina paribus ſpatio cæleſtia ſigna tenentes.
Zodiacum hunc Græci vocitant, noſtriq; Latini
Orbem ſignifer um perhibebunt nomine vero:
Nam gerit hic voluens bis ſex ardentia ſigna.
Æſtifer eſt pandens feruentia ſidera Cancer.
Hunc ſubter fulgens cedit vis torua Leonis,
Quem rutilo ſequitur collucens corpore Virgo.
Exin proiectæ claro cum lumine Chelæ,
Ipſaq; conſequitur lucens vis magna Nepai:

Inde

Inde Sagittipotens dextra flexum tenet arcum:
Post hunc ore fero Capricornus vadere pergit:
Humidus inde loci collucet Aquarius orbi.
Exin squammigeri serpentes ludere Pisces:
Queis comes est Aries obscuro lumine labens,
Inflexoq́; genu proiecto corpore Taurus,
Et Gemini clarum iactantes lucibus ignem.
Hæc sol æterno [a] conuestit lumine lustrans,
Annua conficiens vertentia tempora [b] cursus.
Hic quantus terris [c] confectus pellitur orbis,
Tantundem [d] ille patens superà mortalibus edit.
Sex omni semper cedunt labentia nocte,
Tot cælum [e] iussus fugientia signa reuisunt.
Hoc spatium tranans cæcis nox conficit vmbris,
Quod supera terras prima de nocte relictum est
[f] Signifer ex orbis & signorum ordine sultum.
Quòd si solis aues certos cognoscere cursus,
Ortus signorum nocturno tempore vises:
Nam semper signum exoriens Titan trahit vnum.
Sin autem officiens signis mons obstruet altus,
Aut adiment lucem cæca caligine nubes:
Certas ipse notas cæli de tegmine sumes,
Ortus atque obitus omnes cognoscere possis.
Quæ simul existant cernes, quæ tempore eodem
Præcipitent obitum nocturno tempore nosces.
[g] Iam simul vt supero se toto lumine Cancer
Extulit, extemplo cedit delapsa Corona,
Et loca conuisit cauda tenus infera Piscis.
Dimidiam [h] retinens stellis distincta Corona
Partem etiam supera, atq; alia de parte repulsa est:
[i] Quum tamen insequitur Piscis, nec totus ad vmbras
Tractus, sed supero contectus corpore cedit,
Atque humeros vsq; à genibus. clarumq́; recondit
Anguitenens validis magnum à ceruicibus Anguem.
Iam verò Arctophylax non æqua parte secatur.

a *v.c.* conuertit.
b *v.c.* cursu.
c *al.* conuexus.
d *v.c.* patens.
e *v.c.* rursus.
f *al.* Signifero ex orbis &c.
g *v.c.* Nam simul ac primum supere se lum.
h *v.c.* retinet.
i *al.* Quam.

Nam breuior clara cæli de parte videtur,
Amplior infernas depulsus possidet vmbras.
Quatuor hic obiens secum deducere signa
Signifero solet ex orbi, tum serius ille
Quum supera sese satiauit luce, recedit,
Post mediam labens claro cum corpore noctem,
Hæc obscura tenens [a] conuestit sidera tellus:
At parte ex alia claris cum lucibus errat
Orion, humeris & lato pectore fulgens,
Et dextra retinens non cassum luminis ensem.
Sed quum de terris vis est patefacta Leonis,
Omnia, quæ Cancer præclaro detulit ortu,
Cedunt obscurata, simul vis [b] maior Aquari
Pellitur, ac flexo [c] confidens corpore Nixus
Iam superos ferme depulsus lumine cedit:
Sed læuum genus, atque illustrem linquit in altum
Plantam. tum contra exoritur clarum caput Hydræ,
Et Lepus, & Procyon, qui sese feruidus infert
Ante Canem: inde Canis vestigia prima videntur.
Non pauca è cælo depellens signa repente
Exoritur candens [d] illustria lumina Virgo.
Cedit clara Fides Cyllenia mergitur vnda
Delphinus, simul obtegitur depulsa Sagitta,
Atque Auis ad summam caudam, primasq; recedit
Pinnas, & magnus pariter delabitur Amnis.
Hic Equus à capite & longa ceruice latescit:
Longiùs exoritur iam claror corpore Serpens,
Craterąq; tenus lucet mortalibus Hydra.
Inde pedes Canis Ostendit iam posteriores,
Et pòst ipse trahit claro cum lumine Puppim:
Insequitur labens per cæli lumina Nauis.
Et [e] iamiam toto processit corpore Virgo:
Hæc medium ostendit radiato stipite malum.
At quum procedunt obscuro corpore Chelæ,
Exsilit pariter larga cum luce Bootes,

a *v. c. conuerit.*

b *v. c. magna Aquilæi.*

c *al. considens.*

d *al. illustri lumine.*

e *v. c. cùm iam.*

Cuius

Cuius in aduersum est Arcturus corpore fixus,
Totáque iam supera fulgens prolabitur Argo,
Hydráque quòd latè cælo dispersa tenetur,
Nondum tota [a] latet [b] non caudam contegit vmbra. a al.patet. b v.c.nam.
Iam dextrum genus, & decoratam lumine suram
Erigit ille [c] vagans vulgato nomine Nixus, c al.vacans.
Quem nocte extinctum, atque exortum vidimus vnà,
Persæpe vt paruum tranans geminauerit orbem.
Hic genus & suram cum Chelis erigit altè:
Ipse autem præceps obscura nocte tenetur,
Dum Nepa & Arctenens inuisant lumina cæli,
[d] Non secum Medium pandet Nepa tollere, verò d v.c.Nam.
In cælum totum exoriens conabitur arcus,
Hic tribus elatus cum signis corpore toto
Lucet: at exoritur media de parte Corona,
Caudáque Centauri extremo candore refulget.
Hic se iam totum cæcas Equus abdit in vmbras,
Quem rutila fulgens pluma præteruolat Ales.
Occidit Andromadæ clarum caput, & fera Pistrix
Labitur horribiles epulas funesta requirens.
Hanc contra Cepheus non cessat tendere palmas,
Illa vsque ad spinam mergens se cærula condit.
At Cepheus caput atque humeros, palmasq; reclinat,
Quum verò vis est vehemens exorta Nepai,
Latè fusa volat. *in terras labitur vnda,*
*Oriónque metu perculsus conditur vnâ.*
*Pace huius liceat causam explicuisse timoris,*
*Virgo, tua: mihi, quæso, veni placata Diana,*
*Hæc fama est hominum,* hæc per terras fama vagatur,
Vt quondam Orion manibus violasse Dianam
Dicitur, excelsis errans in collibus amens,
Quos tenet Ægæo defixa in gurgite [e] Echinades, e v.c. Chius.
Brachia quam viridi conuestit tegmine vitis.
Ille feras vecors amenti corde necabat
OEnopionis aueus epulas [f] cenare nitentes. f v.c.ornari.

At verò pedibus ſubitò perculſa Dianæ
Inſula diſceſſit, diſiectáque ſaxa reuellens
Perculit, & cæcas luſtrauit hinc lacunas,
E quibus ingenti exiſtit cum corpore præſes
Scorpius, infeſtus præportans flebile acumen
Hic valido cupidè venantem perculit ictu,
Mortiferum in venas ſigens per vulnera virus:
Ille graui moriens contraxit corpore terram.
Quare cùm magnis ſeſe Nepa lucibus effert,
Orion fugiens commendat corpora terris.
Tum verò fugit Andromeda, & neptunia Piſtrix,
Tota latet, cedit conuerſo corpore Cepheus,
Extremas medio contingens corpore terras,
Hic caput & ſuperas potis eſt demergere partes:
Infera lumborum nunquam conueſtiet vmbra.
Nam retinent Arcti luſtrantes lumine ſuras.
Labitur illa ſimul gnatam lachrymoſa requirens
Caſſiepea, neque ex cælo depulſa decorè
Fertur: nam verſo contingens vertice primùm
Terras poſt [a] humeros cuerſa ſede refertur.
Hanc illi tribuunt pœnam Nereides almæ,
Cum quibus (vt perhibent) auſa eſt contendere forma.
Hæc obit inclinata: at pars exorta Corona eſt.
Altera, cum caudaq; omnis iam panditur Hydra.
At caput & totum ſeſe Centaurus opacis
Eripit è tenebris, linquens veſtigia parua.
[b] Ante pedum contecta, ſimul cum lumine pandit:
Ipſe feram dextra retinet, prolabitur inde
Anguitenens capite & manibus: profert ſimul Anguis
Iam caput, & ſummum flexo de corpore lumen,
Hic ille exoritur [c] conuerſo corpore Nixus,
Aluum, crura, humeros, ſimul & præcordia [d] luſtrans,
Et dextra radios læto cum lumine iactans.
Inde Sagittipotens ſuperas conuiſcere luces
Inſtitit & mergit Nixi caput, & ſimul effert

Seſe

a *v.e. humeris.*
b *al. Antepedum.*
c *v.c. conuerſus.*
d *v.c. geſtãs.*

Sese clara Fides, & promit è corpore Cepheus, a v.c. pectore.
Feruidus ille canis toto cum corpore cedit,
Abditur Orion, obijt & Lepus abditus vmbra,
Inferiora cadunt Aurigæ lumina lapsu.
Inde obiens Capricornus ab alto lumine pellit
Aurigam, instantemq; Capram, paruos simul Hædos,
Et magnam antiquo depellit nomine Naueam.
Obruitur Procyon, emergunt Alite lapsum,
Et terris volucris existit clara Sagitta.
Crus dextrumq; pedem linquens obit infera Perseus
In loca, tum cedens à puppi linquitur Argo.

Sub pedibus profert finita Booti. Prisc. lib. 8.
Tertia sub caudam ad genus ipsum lumina pandit. Prisc. lib. 6.
Quem neq; tempestas perimet, neq; longa vetustas Prisc. li. 10.
Interimet, stinguens præclara insignia cæli.

## PROGNOSTICA.

Vt cùm luna means Hyperionis officit orbi, Stinguntur radij cæca caligine tecti. Prisc. li. 10.

Ast autem tenui quæ candent lumine Planæ.

Atque etiam ventos præmonstrat sæpe futuros Prisc. li 16.
Inflatum mare, cùm subitò penitusque tumescit, Cicer. 1.
Saxáque cana salis niueo spumat liquore, Diui.
Tristificas certant Neptuno reddere voces:
Aut densus stridor cùm celso è vertice montis
Ortus adaugescit scopulorum sæpe repulsu.
Cana fulix itidem fugiens è gurgite ponti,
Nuntiat horribiles clamans instare procellas,
Haud modicos tremulo fundens è gutture cantus.

Vos quoque signa videt aquæ dulcis alumnæ
Cùm clamore paratis inaneis fundere voces.
Absurdóque sono fonteis & stagna cieris.
*Quis est qui ranunculos hoc videns suspicari possit?*
Sæpe etiam pertriste canis de pectore carmen,

Et matutinis acredula vocibus instat,
Vocibus instat, & assiduas iacit ore querelas,
Cùm primùm gelidos tores aurora remittit.
Fuscáque nonnunquam cursans per littora cornix,
Demersit caput, & fluctum ceruice recepit.
Mollipedésque boues spectantes lumina cæli
Naribus humiferum duxêre ex aëre suctum.

Iam verò semper viridis semperque grauata,
Lentiscus triplici solita grandescere fœtu.
Ter fruges fundens, tria tempora monstrat arandi.
Prisc. lib. 6. Caprigeni pecoris, custos de gurgite vasto.

CETERA DESIDERANTVR.

## M. Tulij Ciceronis Alcyones.

Nonius. Alcyonem genuit claris delapsus ab astris
Præuius auroræ solis, noctisque satelles.

## M. Tulij Ciceronis Limon.

Cicero. Tu quoque, qui solus lecto sermone, Terenti,
Conuersum, expressumque Latina voce Menandrum
In medio populi sedatis vocibus effers,
Quidquid come loquens, atq; omnia dulcia linquens.

## M. Tullij Ciceronis Marius.

Cicero. Nuntia fulua Iouis, miranda visa figura.
Cicero. Hic Iouis altisoni subitò pinnata satelles
Arboris è trunco serpentis saucia morsu,
Ipsa feris subigit transfigens vnguibus anguem
Semianimum, & varia grauiter ceruice micantem,
Quem se intorquentem laniens, rostroq; cruentans
Iam satiata animum, iam duros vlta dolores,
Abijcit efflantem, & laceratum affligit in vndas,
Seque obitu à solis nitidos conuertit ad ortus.
Hanc vbi præpetibus pinnis, lapsuque volantem

Conspe-

Conſpexit Marius diuini numinis augur,
Fauſtaq; ſigna ſuæ laudis, reditusq; notauit:
Partibus intonuit cæli patet ipſe ſiniſtris.
Sic aquilæ clarum firmauit Iupiter omen.

## M. Tullij Ciceronis de ſuo conſulatu, lib. II.

Principio ætherio flammatus Iupiter igni — Cicero. 1. Diuin.
Vertitur, & totum colluſtrat lumine mundum,
Menteq́ue diuina cælum, terrasq́ue petiſſit:
Quæ penitus ſenſus hominum, vitasque retentat,
Ætheris æterni ſæpta, atque incluſa cauernis.
Et ſi ſtellarum motus, curſuſque vaganteis
Noſſe velis, quæ ſint ſignorum in ſede locatæ,
Quæ verbo, & falſis Graiorum vocibus errant,
Re vera certo lapſu, ſpatioque feruntur:
Omnia iam cernes diuina mente notata.
Nam primùm aſtrorum volucreis te Conſule motus,
Concurſuſque graueis ſtellarum ardore micanteis.
Tu quoque, cùm tumulos Albano in monte niualeis
Luſtraſti, & læto mactaſti lacte Latinas,
Vidiſti & claro tremulos ardore cometas.
Multáque miſceri nocturna ſtrage putaſti,
Quod ferme dirum in tempus cecinere Latinæ,
Cùm claram ſpeciem concreto lumine luna
Abdidit, & ſubitò ſtellanti nocte perempta eſt.
Quid verò Phœbi fax triſtis nuntia belli
Quæ magnum ad columen flammato ardore volabat,
Præcipiteis cæli parteis, obitúſque petiſſet:
Aut cùm terribili, perculſus fulmine ciuis
Luce ſerenanti vitali lumina liquit:
Aut cum ſe grauido tremefecit corpore tellus.
Iam verò variæ nocturno tempore viſæ
Terribiles formæ bellum, motúſque monebant:
Multáque per terras vates præcla furenti

Pectore fundebant tristeis minitantia casus,
Atque ea, quæ lapsu tandem cecidere vetusto,
Hæc fore, perpetuis signis, clarisq; frequentans.
Ipse deûm genitor cælo, terrisq; canebat.
Nunc ea, Torquator quæ quondam, & consule Cotta
Lydius ediderat Tyrrhenæ gentis haruspex.
Omnia fixa tuus glomerans determinat annus.
Num pater altitonans pellanti nixus Olympo,
Ipse suos quondam tumulos ac templa petiuit,
Et Capitolinis iniecit sedibus ignes,
Tum species ex ære vetus, generosaq; Natæ
Concidit, elapsæq; vetusto numine leges:
Et diuum simulachra pereunt fulminis ardor.
Hic siluestris erat, Romani nominis altrix
Martia, quæ paruos Mauortis semine natos
Vberibus grauidis vitali rore rigabat:
Quæ tum cum pueris flammato fulminis ictu
Concidit, atque aulsa pedum vestigia liquit.
Tum quis non artis scripta ac monumenta volutans,
Voces tristificas chartis promebat Etruscis?
Omnes ciuili generosam stirpe profectam
Vitare ingentem cladem, pestemq; monebant:
Vel legum exitium constanti voce ferebant,
Templa deumq; adeò flaminis, vrbeisq, iubebant
Eripere, & stragem horribilem, cædemq; vereri:
Atque hæc fixa graui fato, ac fundata teneri,
Ni pòst excisam ad columen formata decorè
Sancta Iouis species claros spectaret in ortus:
Tum fore, vt occultos populus, sanctusq; senatus
Cernere conatus posset, si solis ad ortum
Conuersa, inde patrum sedes, populiq; videret.
Hæc tardata diu species, multumque morata,
Consule te tandem celsa est in sede locata:
Atque vna fixi ac signati tempora horæ
Iupiter excelsa clarabat sceptra columna:

Ac

Ac clades patriæ flamma, ferroque parata
Vocibus Allabrogum patribus, populoque patebat,
Rite igitur veteres, quorum monumenta teneris,
Qui populos, vrbesque modo ac virtute regebant:
Rite etiam vestri, quorum pietasque, fidesque
Præstitit, ac longè vicit sapientia cunctos
Præcipuè ingenti coluerunt numine diuos,
Hæc adeò penitus cura videre sagaci,
Oria qui studijs læti tenuere decoris,
Inque Academia vmbrifera, nitidoque Lyceo
Fuderunt claras fœcundi pectoris arteis.
E quibus ereptum pri no iam a flore iuuentæ,
Te patria in media virtutum mole locauit,
Tu tamen anxiferas curas requiete relaxas,
Quòd patriæ voces studijs, nobisque sacrasti,
Atque animo pendens nostris euentata timebat.

Nonius.

## M. Tullij Ciceronis de suo consulatu lib. III.

Cicero 2. Att.

Interea cursus, quos prima à parte iuuentæ,
Quosque adeò consul virtute, animoque petisti,
Hos retine, atque auge famam, laudemque bonorum.

## M. Tullij Ciceronis de suis temporibus.

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ,
O fortunatam natam me Consule Romam.

Quint.
Quint.

## M. Tullij Ciceronis elegia Tamelastis.

Iam mare Tyrrhenum longè penitusque palumbes
Reliquit.

Seruius in 1. Æneid.

## M. Tullij Ciceronis Homeri conuersio.

Tales sunt hominum mentes, qualis pater ipse Iuppiter auctiferas lustrauit lumine terras.

Aug. lib. 8. c. 8. Ciuit.

## M. Tullij Ciceronis iocularis libellus.

Quint. Fundum Varro vocat, quem possim mittere funda,
Nitamen excideris, qua causa funda patet.

## M. Tullij Ciceronis Fragmenta librorum incertorum.

Lact. lib. 3. c. 16. Recteque Tullius ciuileis viros, qui rempublicam gubernant, qui vrbeis aut nouas constituant, aut constitutas æquitate tueantur, qui salutem, & libertatem ciuium, vel bonis legibus, vel salubribus consilijs, vel iudicijs gratuitis conseruent, philosophiæ doctoribus præferri.

Aug. lib. 4. contra Pelagium. Eorum quippe opinioni conuenienter ait quodam loco Tullius, se non putare idem esse arietis, & P. Africani ingenium.

Aug. vita Beata. An verò, quod ait Tullius, multorum in terris prædiorum dominos diuites appellamus, omnium virtutum possessores pauperes nominabimus?

Aug. epi. 1. * Nullum vnquam verbum, quod reuocare vellet, emisit.

Quint. lib. 11. c. 1. * Non se id egisse, vt ita diceret, quomodo se quilibet posse confideret, sed quo modo nemo.

Hier. Super obitu Paulinæ Cæsar cùm quoldã ornare voluit, non illos honestauit, sed ornamenta ipsa turpauit.

Lact. lib. 5. c. 11. Etenim si nemo est, qui non mori malit, quàm conuerti in aliquam figuram bestiæ, quamuis mentem hominis habiturus, quanto est miserius, in hominis figura animo esse efferato? mihi quidem tanto videtur, quanto est præstabilior animus corpore.

Lact. lib. 7. c. 11. Nihil esse, quod sit manibus humanis laboratum, quod non aliquando ad interitum redigatur vel iniuria hominum, vel ipsa confectrice omnium vetustate.

Quint. lib. 8. c. 4. Hoc miror enim, querorq; hominem ita pessundare verbis alterum velle, vt etiam nauem perforet, in qua ipse nauiget.

Fœminas

Fœminas omneis visu nocere, quæ duplices pupillas habent. Plinius li. 3. cap. 2.

Meliora vnguenta sunt, quæ terram, quàm quæ crocum sapiunt. Pli. li. 7. c. 5. & li. 13. c. 3.

In nuce inclusam Iliada Homeri carmen in membrana scriptum. Idem li. 17. cap. 21.

Fuisse qui peruideret cxxxv. M. passuum. Ibidem.

Gladiatores inuisos habemus, si omni modo vitam impetrare cupiunt: fauemus, si contemptum eius præ se ferunt. Senec. 1. Tranquil.

Si mihi vitæ spatium duplicetur, vel ijs tantummodo poëtis pereurrendis, qui λυρικοὶ à Græcis vocantur, non esset suffecturum. Idem in epist.

Et quamquam optatissimum est, perpetuò fortunam quam florentissimam permanere: illa tamen æquabilitas vitæ non tantum habet sensum, quantum cùm ex aduersis, & perditis rebus ad meliorem statum fortuna reuocatur. Marcell. li. 15.

In libris de rep. Platonis me comitem profiteor: in consolatione filiæ, Crantorem sequor, item Panætium de officijs. Plinius.

Omnium pectora sic attingit, vt cogat in gemitum. Auguſt.

O miserum cui peccare licebat. Auguſt.

Nullę sunt occultiores insidiæ, quàm quę latét in simulatione officij, aut in aliquo necessitudinis nomine. Philosophiam dij paucis quibusdam veram dederunt. Auguſt.

Arcera. Nonius.

Existimaui honestissimè molestias posse deponi, si me ad philosophiam retulissem. Nonius. Fortun.

Forem. Seruius.

Ad militiam euntibus dari solebant custodes, quibus primo anno regerentur. Idem 3. Georg.

De accusatore lege quincta dicta. Idem 6.

Est autem causa difficilis, laudare puerum: nõ enim Æneidæs laudanda, sed spes est.

Auguſt. Hippocrates nobiliſſimus medi eius ſcriptum reliquit, quoſdam fratres, cum ſimul ægrotare cœpiſſent, & eorum morbus eodem tempore ingrauesceret, eodem leuaretur, geminos eſſe ſuſpicatum.

Marcel. * Cùm parcere, vel lædere potuiſſem, ignoſcendi quærebam cauſas, non puniendi occaſiones, quod iudicis lenti & conſiderati eſt proprium.

Infelices eſſe, qui omnia ſibi licere exiſtimarent.

Erythræo oppido ſuperpoſitum monimẽ Mimantas.

Mare. l. 26 * De plebeia fæce ſellulariorum.

Idem li. 31 Qui fuit locus religioſiſſimus, is erit diſertiſſimus. &

Auguſt. cuſtodia caſtrorum nõ honoris, ſed oneris exiſtimatur.

Diomed. Lex Dei præclara & diuina ſemper, quæ recta & honeſta iubet, vetat praua & turpia: cui parere ſanctiſſimè ac certiſſimæ legi, iuſtè ac legitimè neceſſe eſt viuere.

Lact. Atq; adeò in pleriſq; ciuitatibus intelligi poteſt acuendæ virtutis gratia, aut quo libentius reip. cauſa periculum adiret optimus quiſque virorum fortium memoriam honore deorum immortalium conſecratam.

Feſtus. Ructarentur.

Idem. Teſqua.

Quint. Dic mihi quæſo Xenophontis vxor, ſi vicina tua melius habeat aurum, quàm tu habes, vtrũne illius, an tuum malis: illius inquit. Quid? ſi veſtem & cæterum ornatum muliebrem pretij maioris habeat, quàm tu habes, tuúmne an illius mahs? illius verò reſpondit. Age ſis, inquit, ſi virũ illa meliorem habeat, quàm tu habes, vtrumne tuum virũ malis, an illius? Hic mulier erubuit, & meritò. Malè enim reſponderat ſe malle alienum aurum, quàm ſuum: nam eſt id improbum. At ſi reſpondiſſet, ſe malle aurum ſuum tale eſſe, quale illud eſſet: potuiſſet pudicè reſpondere, malle virum ſuum talem eſſe, qualis melior eſſet.

Ex Auſonio, de monoſyllabis.

Seps.

Ex

Ex Carisio. Plure venit. Columel-

Romanum fuisse ciuem Næuium Pollionem, pede la.li.3.c.8.
longiorem, quàm quemquam longissimum.

Donatus in vita Terentij.

Est imitatio vitæ, speculum consuetudinis, imago Comœ-
veritatis. dia.

In Andr. Gell li.10.

Non solum videam, sed etiam audiam, plenéque cap.18.
sentiam. Isid.lib.19.

Mausolus rex terræ Cariæ. cap.1.

Tunc se fluctigero tradit, mandátque paroni. Lact. lib.7.

Quoniam vtraque earum sententiarum doctissimos cap.8.
habuit auctores, nec, quid certi sit, diuinari potest. Plin.lib.7.

P. Ventidium mulionem castrensem suffurraneum cap.43.
fuisse. Idē lib.29.

* Formicas soliuagas. cap.4.

Mustella catulos suos quotidie transfert, mutátque Ibid.
sedem. Idē. lib.30.

Animalia byturos vocari, qui viteis in Campania cap.3.
erodant. Idē lib. 31.

Cicero in admirandis posuit, Reatinis tantum palu- cap.2.
dibus vngulas iumentorum indurari. Idē lib.31.

Quædam terræ imbribus ficciores fiunt, veluti in cap.4.
Naruiensi agro, quod admirandis suis inseruit M. Cic. Solinus.
siccitate lutum fieri prodens, imbre puluerem. cap.2.

Romam conditam olympiadis sextæ anno tertio.

# Q. CICERO DE PETITIONE CONSVLATVS AD M. TVLLIVM FRATREM.

ETSI tibi omnia suppetunt, [1] quæ consequi ingenio, aut vsu homines, aut diligentia possunt: tamen ab amore nostro non sum arbitratus alienum, ad te perscribere ea, quæ mihi veniebant in mentem, dies ac noctes de petitione tua cogitanti. [2] non vt aliquid ex ijs noui adijceres: sed vt ea, quæ in re dispersa, atque infinita viderentur esse ratione, & distributione sub vno aspectu ponerentur. Quanquam igitur plurimum natura valet, [3] tamen videtur in paucorum mensium negotio posse simulatio naturam vincere. Ciuitas quæ sit, cogita, quid petas, qui sis. Prope quotidie ad forum tibi descendenti meditandum hoc sit, nouus sum, consulatum peto, Roma est. Nominis nouitatem dicendi gloria maximè subleuabis. Semper ea res plurimum dignitatis habuit. Non potest, qui dignus habetur patronus consularium, indignus consulatu putari. Quamobrem quoniam ab hac laude proficisceris, &, quidquid es, ex hoc es: ita paratus ad dicendum venito, quasi in singulis causis iudicium de tuo omni ingenio futurum sit. Eius facultatis adiumenta, quæ tibi scio esse sepositа, vt parata ac prompta sint, cura, & sæpe, quæ de Demosthenis studio & exercitatione scripsit Demetrius, recordare. Deinde & amicorum multitudo, & genera appareant: habes enim ea, [4] quæ noui non habuerunt, omneis publicanos, totum ferè

ferè equeſtrem ordinem, multa præterea municipia, multos abs te defenſos homines cuiuſque ordinis, aliquot collegia: præterea ſtudio dicendi conciliatos plurimos adoleſcentulos, quotidianam amicorum aſſiduitatem & frequentiam. Hæc cura vt teneas & commendando, & rogando, & omni ratione efficiendo, vt intelligant & qui debent tua cauſa, referendæ gratiæ, & qui volunt, obligandi tui tempus ſibi aliud nullum fore. Etiam hoc multum videtur adiuuare poſſe nouum hominem, hominum nobilium voluntas, & maximè conſularium. Prodeſt enim, quorum in locum te numerum peruenire velis, ab his ipſis illo loco, ac numero dignum putari. Hi rogandi omnes ſunt diligenter, & ad eos allegandum: perſuadendumque eſt ijs, nos ſemper cum optimatibus de rep. ſenſiſſe, minimè populares fuiſſe, ſi quid locuti populariter videmur, id nos eo conſilio feciſſe, vt nobis Cn. Pompeium adiungeremus, vt eum, qui plurimum poſſet, aut amicum in noſtra petitione haberemus, aut certè non aduerſarium. Præterea adoleſcentes nobileis elabora vel vt habeas, vel vt teneas, ſtudioſos tui quos habes. Multum dignitatis afferet. Plurimos habes: perfice vt ſciant, quàtum in his plures eſſe. Quòd ſi adduxeris eos, vt ij, qui nolunt, vt cupiant, plurimum proderit. Ac multum etiã nouitatē tuam adiuuãt, quod eiuſmodi nobiles tecum petunt, vt nemo ſit qui aedeat dicere, plus illis nobilitatem, quàm tibi virtutē prodeſſe oportere. Nam P. Galbam, & L. Caſſium ſummo loco natos, quis eſt, qui petere conſulatū putet? vides igitur ampliſſimis ex familijs homines, qui ſine neruis ſint, tibi pares eſſe non poſſe. At Antonius & Catilina moleſti ſunt. Imò homini nouo, induſtrio, innocenti, diſerto, gratioſo apud eos, qui res iudicãt, optandi competitores: ambo à pueritia ſicarij, ambo libidinoſi, ambo egētes. Eorum alterius bona proſcripta vidimus, vocē denique audiuimus iurant is ſe Romæ iudicio æquo cum

homine Græco certare non posse: & ex senatu eiectum scimus. Optima verò censorũ existimatione in prætura competitorem habuimus, amico Sabidio, & Panthera, cùm ad tabulam quos poneret, nõ habebat. Quo tamen in magistratu amicam, quam palam domi haberet, de machinis emit. In petitione autem cõsulatus caupones omnes hic cõpilare per turpissimam legationẽ maluit, quàm adesse, & Po. Ro. supplicare. [6] Alter verò, dij boni, quo splendore est? primùm nobilitate eadẽ: deinde maiore non virtute, sed audacia. [7] Quin ille manias, & vmbram suam metuit. [8] hic ne leges quidẽ, natus in patris egestate, educatus in sororis stupris, corobaratus in cæde ciuium, cuius primus ad remp aditus in equitibus Ro. occidẽdis fuit. Nam illis, quos meminimus, Gallis, qui Tantasiorum, ac Volunniorum, capita demebant, Scylla vnũ Catilinã præfecerat, in quibus ille [9] hominem optimum, Qu. Cæcilium sororis suæ virum, equitẽ Rom. nullarum partium, cum semper natura, tum etiam ætate iam quietum, suis manibus occidit. Quid ego nũc dicam, petere cum tecum cõsulatum, qui hominẽ charissimũ Popu. Ro. M. Marium, in spectante Populo Ro. [10] virgis per totam vrbẽ ceciderit? ad bustum egerit? ibi omni cruciatu viuum lacerarit? [11] stanti collum gladio suo dextera secuerit, cùm sinistra capillũ eius à vertice teneret? caput sua manu tulerit, cùm inter digitos eius riui sanguinis fluerent? qui postea cum histrionibus, & cum gladiatoribus ita vixit, vt alteros libidinis, alteros facinoris adiutores haberet? qui nullũ in locũ tam sanctum ac tam religiosum accessit, in quo nõ, [12] etsi in alijs culpa non esset, tamen ex sua nequitia dedecoris suspicionem relinqueret: qui ex curia Curios, & Annios, ab atrijs Sapalas, & Caruilios, ex equestri ordine Pompilios & Vettios sibi amicissimos compararit? qui tantum habet audaciæ, tãtum nequitiæ, tãtum deniq; in libidine artis, & efficacitatis, [13] vt parentum propè in gremijs prætex-

prætextatos liberos constuprarit. Quid ego nunc tibi de Africa, quid de restium dictis scribam? nota sunt: & ea tu sæpius legito. Sed tamē hoc mihi non prætermittendum videtur, quòd primùm tam egens ex eo iudicio discessit, quàm quidam iudices eius ante illud iudicium fuerunt: deinde tam inuidiosus, vt aliud in eum iudiciū quotidie flagitetur. Hic se sic habet, vt magis timeat, etiā si quieuerit, quàm vt contemnat, si quid commouerit. Quanto melior tibi fortuna petitionis data est, quā nuper homini nouo C. Cœlio? ille cum duobus hominibus ita nobilissimis petebat, vt tamen in ijs omnia pluris essent, quàm ipsa nobilitas: summa ingenia, summus pudor, plurima beneficia, summa ratio, ac diligētia petendi.[14] Tamē eorum alterum, cùm deesset alter, Cœlius, etiā cùm multo esset inferior genere, superior nulla re pænè superauit. Quare si facies, ea, quę tibi natura, & studia, quibus vsus est semper, largiuntur, quæ temporis, tui ratio desiderat, quæ potes, quæ debes: non erit difficile certamen cum ijs competitoribus, qui nequaquam sunt tā genere insignes, quàm vitijs nobiles. Quis enim reperiri tam improbus ciuis potest, qui velit vno suffragio duas in rempub. sicas[a] distringere? Quoniam igitur, quę subsidia nouitatis haberes, & habere posses, exposui: nunc de magnitudine petitionis dicendum videtur. Cōsulatum petis: quo honore, nemo est, qui te non dignum arbitretur: sed multi, qui inuideant. Petis enim homo ex equestri loco summum locum ciuitatis, atque ita summum[15] vt forti viro, diserto, innocenti multo ille idē honos plus amplitudinis, quàm ceteris afferat. Noli igitur putare eos, qui sunt eo honore vsi, non videre, tu cum idē sis adeptus, quid dignitatis habiturus sis.[16] Eos verò, qui consularibus familiis nati locū maiorū consecuti non sunt, suspicor tibi, nisi qui admodū te amāt, inuidere. Etiā nouos homines prætorios existimo nisi qui tuo beneficio vincti sunt, nolle abs te se honore superari

a v.c. destringere.

Iam in populo quàm multi inuidi sint, quàm multi consuetudine horum annorũ ab hominibus nouis alienati, venire tibi in mentem certò scio, esse etiã nonnullos tibi irato ex iis causis, quas egesti, necesse est. Iam illud tute circunspicito, quod ad Cn. Pompeij gloriã augendam tãto studio te dedisti, num quos tibi putes ob eam causam [17] esse non amicos; quamobrem cùm & summũ locum ciuitatis petas, vt videas esse studia, quæ tibi aduersentur, adhibeas necesse est omnẽ rationẽ & curam, & laborẽ, & diligẽtiam. Et petitio magistratuum diuisa est in duarum rationum diligentiam: quarum altera in amicorum studijs, altera in populari voluntate ponẽda est. Amicorũ studia beneficijs, & officijs, & vetustate, & facilitate, ac iucunditate naturæ parta esse oportet. Sed hoc nomen amicorum in petitione latius patet, quàm in cetera vita. Quisquis est enim, qui ostẽdat aliquid in te voluntatis, qui colat, qui domum veniat, is in amicorum numero est habendus. Sed tamẽ, qui sunt amici ex causa honestiore, cognationis, aut affinitatis, aut sodalitatis, aut alicuius necessitudinis, his caute & luculẽdum esse maximè prodest. [18] Deinde vt quisq; est intimus, ac maximè domẽsticus, vt is amet, & quàm amplissimum esse te cupiat, valdè elaborandum puto: tum vt tribules, vt vicini, vt clientes, vt denique liberti, postremo etiam serui tui: nam verè omnis sermo ad forensem famam à domesticis emanat auctoribus. Deniq; instituendi sunt cuiuscunq; generis amici ad speciem homines illustres honore aut nomine, qui etiã si suffragãdã studia non habent, tamen afferunt petitori aliquid dignitatis ad [a] iustitiam obtinẽdam. Magistratus, ex quibus maximè cõsules, deinde tribuni pleb. ad conficiẽdas centurias homines excellenti gratia, qui abs te tribum, aut centuriã vt aliquod beneficium aut habeant aut vt habeant sperent, eos prorsus magnopere compara, & confirma. Nã per hos annos homines ambitiosi vehementer [19] omni studio,

a *v.c. ius obtinendum.*

ſtudio,atque opere elaborarunt, vt poſſent à tribulibus ſuis ea, quæ peterent,impetrare. Hos tu homines,quibuſcunque rationibus tibi adiungere poteris,vt ex animo,atq; vt ex illa ſumma volũtate tui ſtudioſi ſint,laborato. Quòd ſi ſatis grati homines eſſent hęc omnia tibi parata eſſe debebant,[20] ſicut parata eſſe confido: nam hoc biennio quatuor ſodalitates ciuiũ ad ambitionem gratioſiſſimorum tibi obligaſti, M. Fundanij, Q.Gallij, Cn. Cornelij,[a] L.Coruini: horum in cauſis ad te defe- a *L. C. Orchinij.*
rendis quidnam eorum ſodales tibi receperint & confirmarint,ſcio.nam interfui. Quare hoc tibi faciendum eſt,[21] vt hoc tempore ab ijs,qui debent,exigas,ſæpe cõmonendo,rogando,cõfirmando,curando vt intelligant nullum tempus aliud ſe vnquam habituros reſtituendę gratiæ. profectò homines & ſpe reliquorũ tuorum officiorum,etiam recentibus beneficiis ad ſtudium nauandum excitabũtur. Et omnino quoniã eo genere amicitiarum [22] petitio tua maximè munita eſt, quod cauſarũ defenſionibus adeptus es:tac vt planè ijs omnibus,quos deuinctos tenes, deſcriptum,ac depoſitum ſuum cuiq; munus ſit.[23] & quemadmodum nemini illorum nulla in re vnquam moleſtus fuiſti,ſic cura vt intelligant omnia te,quę ab illis tibi deberi putaris,ad hoc tẽpus reſeruaſſe. Sed quoniã tribus rebus homines maximè ad beneuolentiã,atq; ad hæc ſuffragandi ſtudia adducũtur,beneficio, ſpe,adiunctione animi,vel [b]voluntate:animad- b *L.voluntatu.*
uertendũ eſt,quemadmodum cuique horum generi ſit inſeruiendũ. Minimis beneficijs homines adducuntur, vt ſatis cauſæ putent te ſibi ad ſtudiũ ſuffragationis dedifſe:ne dum ij,quibus ſaluti fuiſti, quos tu habes plurimos,vt intelligant,ſi hoc tuo tẽpore non ſatis fecerint, ſe probatos nemini vnquam fore. Quod cùm ita ſit,tamen rogandi ſunt,atq; etiã in hanc opinionẽ adducendi, vt, qui nobis adhuc obligati fuerint, ijs viciſſim nos obligari adhuc poſſe videamur. Qui autẽ ſpe tenentur,

quod genus hominum multo est diligẽtius, atque officiosius: ijs fac vt propositum, ac paratũ auxilium tuum esse videatur, deniq; vt spectatorem te suorũ officiorũ esse intelligant diligentem, vt videre te planè, atq, animaduertere, quãtum ab vnoquoq; proficiscatur, appareat. Tertium illud genus est studiorum voluntarium: quod agẽdis gratijs, accõmodandis sermonibus ad eas rationes, propter quas quisq; studiosius esse tui videbitur, significãda erga illos pari voluntate, adducẽda amicitia in spem familiaritatis, & cõsuetudinis confirmari oportebit. atq; in ijs omnibus generibus iudicato & perpendito quãtum quisque possit, vt scias & quemadmodũ cuiq; inseruias, & quid à quoquo exspectes, & postules. Sunt enim quidam homines in suis [a] vicinitatibus, & municipijs gratiosi: sunt diligẽtes, & copiosi: qui etiã si antea non studuerunt huic gratiæ, tamen ex tempore elaborare eius causa, [24] cuius causa debent, aut volunt, facilè possunt. His hominũ generibus sic inseruiendum est, vt ipsi intelligãt te videre quid à quoquo exspectes, sentire quid accipias, meminisse quid acceperis. Sunt autem alij, qui aut nihil possunt, aut etiã odio sunt tribulibus suis, nec habent tantum animi, aut facultatis, vt enitantur ex tempore. hos internoscas: & videto ne, spe in aliquo maiore posita, præsidij parum comparetur. Et quãquam partis & fundatis amicitijs fretum ac munitum esse oportet: tamen in ipsa petitione amicitiæ permultæ, ac peru ilea comparãtur. Nam in ceteris molestijs habet hoc tamen petitio commodi, vt possis honestè, quòd in cetera vita non queas, quoscunq; velis, adiungere ad amicitiam: quibus cum si alio tempore agas, vt te vtãtur, absurdè facere videare: in petitione autem nisi id agas & cum multis, & diligẽter nullus petitor esse videare. Ego autem tibi hoc confirmo, esse neminẽ, nisi si aliqua necessitudine competitorum alicui tuorum sit adiunctus, à quo non facilè, si contenderis, impetrare possis,

a *al. ciuitatibus.*

poſſis, vt ſuo beneficio promereatur, ſe vt ames, & ſibi vt debeas, modò intelligat te magni eſtimare, ex animo agere, bene ſe ponere, fore ex eo non breuem & ſuffragatoriam, ſed firmam & perpetuam amicitiam. Nemo erit, mihi crede, [25] in quo modo aliquid virtutis ſit, qui hoc tempus ſibi oblatum amicitiæ tecum conſtituendæ prætermittat, præſertim cùm id tibi caſus afferat, vt ij tecum petant, quorum amicitia aut contemnenda, aut fugienda ſit, & qui hoc, quod ego te hortor, non modò non aſſequi, ſed ne incipere quidem poſſint. Nam quid incipias? Antonius homines adiungere, atque inuitare ad amicitiam, quos per ſe ſuo nomine appellare nō poſſit? mihi quidem ſtultius nihil videtur, quàm exiſtimare eum ſtudioſum tui, quem non noris. Eximiam quādam gloriam, & dignitatem, ac rerum geſtarum magnitudinem eſſe oportet in eo, quem homines ignoti, [26] nullis ſuffragantibus meritis honore afficiant. vt quidem homo iners, ſine officio, ſine ingenio, cum infamia, nullis amicis ſæptus, hominum plurimorum ſtudio, atque omnium bona exiſtimatione munitum præcurrat, ſine magna culpa negligētiæ fieri non poteſt. Quamobrem omneis centurias multis & varijs amicitijs, cura, vt cōfirmatas habeas: & primum id, quòd ante oculos eſt, ſenatores, equitesq; Romanos, ceterorum ordinū nauos homines & gratioſos complectere. Multi homines vrbani induſtrij, multi libertini [27] gratioſi in foro, nauiq; verſantur: quos per te, quos per cōmuneis amicos poteris ſumere. Cura vt tui cupidi ſint, elaborato, appetito, allegato, ſummo beneficio te affici oſtēdito. [28] Deinde habeto rationē vrbis totius, collegiū omnium pagorū vicinitatū. Ex ijs principes ad amicitiā tuam ſi adiūxeris, per eos reliquam multitudinem facilè tenebis. Poſtea totā Italiam fac vt in animo, ac memoria [29] tibi tributim deſcriptam, comprehēſamq; habeas: ne quòd municipium, coloniam, præfecturam, locum denique

Italiæ ne quem esse patiare, in quo non habeas firmamenti quod satis esse possit. Perquiras etiã & inuestiges homines ex omni regione, eosq; cognoscas, appetas, cõfirmes. cures vt in suis[2] ciuitatibus tibi aliquos petãt, & tua causa quasi candidati sint. Volẽt te amicũ, si suam à re amicitiam expeti videbunt. Id vt intelligant, oratione, quæ ad eam rationẽ pertinet, consequere. Homines municipales, ac rusticani si nomine tantùm nobis noti sunt, in amicis se esse arbitrantur. Si verò etiam præsidij in se aliquid tibi constitutum esse putant, non amittunt occasionẽ promerendi. Hos ceteri, & maximè tui competitores ne norunt quidem, tu & nosti, & facilè cognosces: fine queis amicitia esse non potest, neq; id tamen satis est, tametsi magnũ est: si non consequatur spes vtilitatis, atq; amicitię, ne nomenclator solùm, sed amicus etiam bonus esse videare. [3°] Ita cùm & hos ipsos, qui propter suam ambitionẽ, apud tribules suis plurimum gratia possint, tui studiosos in centurijs habebis: & ceteros, qui apud aliquam partem tribulium propter municipij, aut ciuitatis, aut collegij rationem valent, cupidos tui cõstitueris: in optima spe esse debebis. Iam equitum centuriæ multo facilius mihi diligentia posse teneri videntur. Primùm cognoscendi sunt equites, deinde adipiscendi: deinde habebis tecum ex iuuentute optimum quemq;, & studiosissimum humanitatis. multo enim faciliùs illa adolescentulorum ad amicitiam ætas adiungitur. [3¹] Tum autẽ quòd equestor ordo tuus est, sequentur illi huius auctoritatem ordinis, si abs te adhibebitur ea diligentia, vt non ordinis illius auctoritatem solùm voluntate, sed etiam singulorum amicitijs eas cẽturias confirmatas habeas. iam studia adolescentulorum in suffragãdo, in obeundo, in nuntiando, in affectando mirificè & magna & honesta sunt. Et quoniam affectationis mentio facta est, id quoque curandum est, vt quotidiana cuiusque generis, & ordinis, & ætatis vtare: nam

2 *L. vicinitatib.*

ex

ex ea ipſa copia coniectura fieri poterit, quantum ſis in ipſo campo virium, ac facultatis habiturus. huius autem rei tres partes ſunt: vna ſalutatorum, cùm domum veniunt: altera deductorũ: tertia affectatorum. In ſalutatoribus, qui magis vulgares ſunt, & ad hanc cõſuetudinẽ, quæ nunc eſt, plures veniunt, hoc efficiendũ eſt, vt hoc ipſum mimimum officium eorũ tibi gratiſſimũ eſſe videatur. Qui domum tuam venient, ijs ſignificato te animaduertere, & eorum amicis, qui illis renuntient, oſtẽdito, ſæpe ipſis dicito. Sic homines ſæpe, cùm obeunt plures competitores, & vident vnum eſſe aliquem, qui hæc officia maximè animaduertat, ei ſe dedunt, deſerũt ceteros, minutatim ex communibus proprij, ex fucoſis firmi ſuffragatores euadunt. Iam illud teneto diligẽter, ſi eum, qui tibi promiſerit, fucum, vt dicitur, facere vello audieris, aut ſenſeris, vt te id audiſſe, aut ſcire diſſimules: ſi quis tibi ſe purgare volet, quòd ſuſpectũ eſſe arbitretur, affirmes te de illius voluntate nunquã dubitaſſe, nec debere dubitare: is enim, qui ſe nõ putat ſatisfacere, amicus eſſe nullo modo poteſt. Scire autẽ oportet, quo quiſq; animo ſit, vt etiam, quantum cuiq; confidas, cõſtituere poſſis. Iam deductorum officium, quo maius eſt quàm ſalntatorum, hoc gratius tibi eſſe ſignificato, atq; oſtendito, & quoad eius fieri poterit, certis temporibus deſcendito. Magnam affert opinionem, magnam dignitatem quotidiana in deducẽdo frequentia. Tertia eſt ex hoc genere aſſidua affectatorũ copia. In ea quos voluntarios habebis, cura vt intelligant te ſibi in perpetuum ſummo beneficio obligari. Qui autem tibi debẽt, ab ijs planè hoc munus exige: qui per ætatem, ac negotium poterunt, ipſi tecum vt aſſidui ſint. Qui ſi ipſi [a] ſectari non poterũt, neceſſarios ſuos in hoc munere conſtituant, valde ego te volo, & ad rem pertinere arbitror, ſemper cum multitudine eſſe. Præterea magnam affert laudem, & ſummam dignitatem, ſi ij tecum erunt, qui à

[a] Aſſectari

te defensi,& qui per te seruati, ac iudicijs liberati sunt. Hæc tu plane ab ijs postulato, vt, quoniã nulla impensa per te [a] alij [a] rem honestam, alij salutem, ac fortunas omneis obtinuerunt, nec aliud vllum tempus futurũ sit, vbi tibi referre gratiã possint, hoc te officio remunerẽt. Et quoniam in amicorũ studijs hæc omnis oratio versatur: qui locus in hoc genere cauendus sit, prætermittendum non videtur. Fraudis, atq; insidiarum, & perfidiæ plena sunt omnia. Nõ est huius temporis perpetua illa de hoc genere disputatio, quibus rebus beneuolus, & simulator dijudicari possit. Tantum est huius temporis admonere. Summa tua virtus, eosdem homines & simulare tibi se esse amicos, & inuidere [b] coget. Quamobrem Ἐπιχείρημα illud teneto, ΝΕΡΥΟΣ ΑΤΟΥΕ ΑΡΤΥΣ ΕΣΣΕ ΣΑΡΙΕΝΤΙΑΕ ΝΟΝ ΤΕΜΕΡΕ ΚΡΕΔΕΡΕ. Et cùm tuorũ amicorum studia constitueris, tum etiã obtrectatorum, atque aduersariorũ rationes, & genera cognoscito. Hæc tria sunt: vnum ex ijs, quos læsisti: alterum, qui sine causa nõ amant: tertium, qui competitorum valde amici sunt. Quos læsisti cùm contra eos pro amico diceres, his te purgato planè necessitudines commemorato: in spem adducito, te in eorum rebus, si se in amicitiam cõtulerint, pari studio, atque officio futurũ spondeto. Qui sine causa non amant, eos aut beneficio, aut spe, aut significãdo tua erga illos studia futura, [c] delineis, dans operam, vt de illa animi prauitate deducas. Quorum voluntas erit abs te propter competitorum amicitias alienior, his quoque inseruito oratione eadem qua superioribus: & si probare poteris, te in eos ipsos competitores tuos beneuolo esse animo ostendito. Quoniam de amicitijs constituendis satis dictum est, dicendum de illa altera parte petitionis, quæ in populari ratione versatur. Ea desiderat nomenclationem, blanditiam, assiduitatẽ, benignitatẽ, rumorem, & spem in rep. Primùm id, quod facis, vt homines noris significa,

a *L. honestam.*

b *al. coegit.*

c *al. delinito*

significa, vt appareat: & auge, vt quotidie melius fiat. Nihil mihi tam populare, neque tam gratum videtur. Deinde id, quod natura nō habes, induc in animum ita simulādum esse, vt natura facere videare.[35] Non committas tibi necesse est, ea, quę bono ac suaui homine digna sunt: Sed opus est magnopere blanditia: quæ etiam si vitiosa est, & turpis in cetera vita, tamen in petitione necessaria, etenim cùm deteriorem aliquem assentādo facit, improba est: cùm amiciorem, non tam vituperanda. petitori verò necessaria est, cuius & frons, & vultus, & sermo ad eorum, quoscunque conuenerit, sensum, & voluntatem[36] commutandus est. Iam assiduitatis nullum est præceptum: verbumq; ipsum docet, quæ res sit. Prodest quidem vehementer nusquam deesse: sed tamen hic fructus est assiduitatis, non solùm esse Romæ, atq; in foro, sed assiduè petere sæpe eosdem appellare, non committere vt quisquam possit dicere,[37] si quod eius sit consequi possis,[a] si abs te non sit rogatū, & valde ac diligenter rogatum. Benignitas autem latè patet, & est in re familiari, quæ quamquam ad multitudinem peruenire non potest, tamē ab amicis laudatur, & multitudini grata est.[38] Est in conuiuijs[39] quæ[b] facetè abs te, & amicis tuis concelebrentur & passim, & tributim: est etiam in opera, quam peruulga, & communica: cura, vt aditus ad te diurni atque nocturni pateant, neq; foribus solùm ædium tuarū, sed etiam vultu, & fronte, quæ est animi ianua. Quæ si significāt voluntatem abditam esse ac retrusam, parui refert patere ostium. homines enim non modò promitti sibi, præsertim quæ à candidato petāt, sed etiam largè ac honorificè promitti volunt. Quare hoc quidem facile pręceptū est, vt, quod acturus sis, id significes te studiosè, ac libēter esse facturum. Illud difficilius & magis ad tempus, quàm ad naturam accommodatum tuam: quod facere non possis,[40] vt id aut iucundè promittas, aut ingenuè neges.

a *L. se abs te non esse rog.*

b *L. facite & abs te, & ab amic.*

Quorum alterum eſt boni viri, alterum boni petitoris. Nam cùm id petitur, quod honeſtè, aut ſine detrimẽto noſtro promittere non poſſumus, quomodo ſi quis roget, vt cõtra amicum aliquam cauſam recipiamus: bellè negandum eſt, vt oſtendas neceſſitudinẽ, demõſtres quàm moleſtè feras, aliis te id rebus [a] exacturum eſſe perſuadeas. Audiui hoc dicere quẽdam de quibuſdam oratoribus, ad quos cauſam ſuam detuliſſet: gratiorem ſibi fuiſſe orationem eius, qui negaſſet, quàm illius, qui recepiſſet: Sic homines fronte, & oratione magis, quàm ipſo beneficio, reque capiuntur. Verùm hoc probabile eſt. Illud alterum ſubdurum tibi homini planè perito ſuadere. Sed tamen tempori tuo cõſulam. Quibus enim te propter aliquod officium neceſſitudinis affuturũ negaris, tamen ij poſſunt abs te placati æquiq; diſcedere. quibus autẽ idcirco negaris, quod te impeditũ eſſe dixeris aut amicorũ negotijs, aut grauioribus cauſis, antè ſuſceptis, inimici diſcedũt, omnesq; hoc animo ſunt, vt ſibi te mentiri malint, quàm negare. C. Cotta in ambitione artifex dicere ſolebat, ſe operam ſuam, quoad non cõtra officium rogaretur, polliceri ſolere omnibus, [b] impartire ijs, apud quos optimè poni arbitraretur: ideoq; ſe negare nemini, quòd ſæpe acciperet [c] cauſa, [d] cur is, qui pollicitur eſſet, vacuus foret plus quàm putaret: neq; poſſe domũ eius compleri, qui tantummodo reciperet, quãtum videret ſe obire poſſe: caſu fieri, vt agãtur ea, quæ non putaris, illa, quæ credideris in manibus eſſe, vt aliqua de cauſa non agãtur: deinde eſſe extremũ, vt iraſcatur is, cui mendacium dixeris. Id ſi promittas, & incertum eſt, & in diem, & in paucioribus. Sin autem id neges, certè ab alienis & ſtatim, & plureis. plures enim multo ſunt qui rogãt, vt vti liceat opera alterius, quàm qui vtãtur. Quare ſatius eſt, ex ijs aliquos aliquãdo tibi in foro iraſci, quàm omneis continuò domi, præſertim cùm multo magis iraſcãtur ijs, qui negẽt, quàm

a *Lexſaturum.*

b *al. impertire.*

c *prouocabulum cauſa abeſt à v.c.*

d *al. vtus, cui poll. non vtereiur: ſæpe vt ipſe plus vacui foret, quam p.*

quàm ijs,quem videant iusta causa impeditum,[45] vt facere,quod promisit,cupiat,si vllo modo possit. Ac ne videar aberrasse à distributione mea,qui hæc in hac popularj parte petitionis disputem:hoc sequor,hęc omnia nõ tam ad amicorum studia,quàm ad popularem famã pertinere.Etsi enim inest aliquod dictũ ex illo genere, benignè respõdere, studiosè inseruire negotijs amicorum,ac periculis:tamen hoc loco ea dico, quibus multitudinẽ capere possis, vt de nocte domus compleatur: vt multi spe tui præfidij teneantur, vt amiciores abs te discedãt quàm accesserint, vt quàmplurimorum aureis optimo sermone compleant.Sequitur,vt de rumore dicẽdum sit:cui maximè seruiendũ est.Sed quæ dicta sunt omni superiori oratione,eadem ad celebrãdum rumorem valent, dicẽdi laus, studia publicanorum,& equestris ordinis, hominum nobilium voluntas,adolescẽtulorum frequẽtia,eorum,qui abs te defensi sunt,assiduitas,ex municipijs multitudo eorum, quos tua causa venisse appareat,bene vt homines nosse,comiter appellare,assiduè ac diligẽter petere,benignus, ac liberalis esse, bene loqui existimere, domus vt multa nocte compleãtur, omniũ generũ frequẽtia adsit, satisfiat oratione omnibus: [46] re, operaq; multis [a] proficiatur,id quod fieri potest labore,& arte,& diligentia, non vt ad populũ ab ijs [b]omnibus fama perueniat,sed vt in ijs studijs populus ipse versetur. Iam vrbanã illam multitudinem & eorum studia,qui contiones tenent, quæ adeptus es in Pompeio ornãdo,in Manilij causa recipiẽda, Cornelio defendendo,[47] excitãda nobis sunt: quæ adhuc habuit nemo,quin idem splendorem omniũ,voluntatesq; haberet. Efficiendum etiam illud est,vt sciant omnes,Cn. Pompeii summam erga te esse voluntatem,& vehemẽter ad illius rationes, te id assequi, quod petis,pertinere.Postremò tota petitio cura vt pompæ plena sit,vt illustris,vt splendida,vt popularis,vt habeat summã spe-

a *L.perficiatur.*
b *al.hominibus.*

ciem, ac dignitatē, [a] vt, etiā si quid possit, nec competitorib. tuis exsistat aut sceleris, aut libidinis, aut largitionis accommodata ad eorum mores infamia. Atq; etiam in hac petitione maximè videndum est, vt spes [a] reip. bona de te sit, & honesta opinio. nec tamen in petendo resp. capessanda est, neq; in senatu, neque in contione. Sed hæc sunt tibi retinēda, vt senatus te existimet ex eo quòd ita vixeris, defensorem auctoritatis suę fore: equites Ro. viri boni, & locupletes ex vita acta te studiosum otij ac rerum tranquillarum: multitudo, ex eo duntaxat quòd oratione in contionibus, ac iudicio popularis fuisti, te à suis commodis alienum non futurum. Hæc mihi veniebant in mentem de duabus illis [b] commotionibus matutinis, quo tibi quotidie ad forum descendenti meditandum esse dixeramus. Nouus sum: Consulatum peto tertium restat, Roma est, ciuitas ex nationū conuentu cōstituta: in qua multæ insidiæ, multæ fallaciæ, multa in omni genere vitia versantur: multorum arrogātia, multorum cōtumacia, multorum maleuolentia, multorum superbia, multorum odia ac molestia perferenda est. Video esse magni consilij, atque artis, in tot hominum eiusmodi vitijs, tātisq; versantem vitare offensionem, vitare fabulam, vitare insidias, esse vnum hominē accommodatum ad tantam morum, ac sermonum, ac voluntatum varietatem. Quare etiam atq; etiam perge tenere istam viā, quam instituisti: excelle dicendo: hoc & tenentur Romæ homines, & alliciuntur, & ab impediendo, ac lędendo repelluntur. Et quoniam in hoc vel maximè vitiosa est ciuitas, quòd, largitione interposita, virtutis, ac dignitatis obliuisci solet, in hoc fac vt te bene noris, id est, vt intelligas eum esse te, qui iudicij ac periculi metum maximū competitoribus afferre possis. Fac itaque, vt se abs te custoditi, atq; obseruari, sciant Cùm diligentiam tuam, tum auctoritatem vimq́ue dicendi, tum profectò equestris ordinis erga te studiū pertimescent.

a v. c. populi R.

b L. commotionibus.

cent. atque hæc ita te volo illis proponere, [a] vt videare occasionem non meditari, sed vt hoc terrore facilius hoc ipsum, quod agis consequare. Et planè sic contẽde omnibus neruis, ac facultatibus, vt adipiscamur quod petimus. Video esse nulla comitia tam inquinata largitione, quibus non gratis aliquæ centuriæ renuntient suos maximè necessarios. Quare si aduigilamus pro rei dignitate, & si nostros ad summum studium beneuolos excitamus, & si hominibus studiosis gratiosisque nostri suum cuique munus describimus, & si competitoribus iudicia proponimus, [b] si ex equestribus metum inijcimus, diuisores ratione aliqua coërcemus: perfici potest, vt largitio aut nulla siãt, aut nihil valeat. Hæc sunt quæ putaui non melius scire me quàm te, sed facilius [c] his tuis occupationibus colligere vnum in locum posse, & ad te perscripta mittere. Quæ tamen ita scripta sunt, vt non ad omneis, qui honores petant, sed ad te propriè, & ad hanc tuam petitionem valeant. [d] tamen tu si quid mutandum esse videbitur, aut omnino tollendum, aut si quid erit præteritum velim hoc mihi dicas: volo enim hoc commentariolum petitionis haberi omni ratione perfectum.

a *L. non vt videare tam accusationem meditari.*

b *L. sequestribus met.*

c *al. istis.*

d *L. tamen si quid tibi mu.*

# DIONYSII LAMBINI
## ANNOTATIONES IN LIB. I. DE OFFICIIS.

*Propterea quod libri de officijs, & Cato maior, & Lelius, & Paradoxa à Carolo Langio multis locis non ita pridem emendata ex auctoritate libror. manuscriptorum, diligenter cum vulgatis comparatorum, nos eius emendationes, nisi quæ nobis non probabuntur, sequemur. neque vero temere vel sequemur, vel fugiemus, sed & antiqua scriptura librorum Memmianorum, & aliorum, quibus vsi sumus con-*

fideratæ, & indicio doctorum requisito, quid sequi, quid improbare debeamus, statuemus. In hac secunda editione præter libros Memmianos, Huraltinos, Clericanos, Cuiacianos quibus prima usi sumus: nacti sumus alios item manuscr. à P. Daniele Aurel. à Cl. Puteano, & Boëmerao, & aliis, qui nos ad horum librorum emendationem incredibiliter adiuverunt.

1 Item tibi censeo faciendum.) sic prorsus legendum est: atque hanc lectionem & ratio postulat, & libri veteres comprobant: quorum plerique habent partim, itidem, partim ut vulg. idem. Quod ad rationem attinet, sic loquuntur Latini, ut ego facio, ita, seu tu item facere debes. licet tamen etiam legere, itidem.

2 Quoniam utrique, Socratici & Platonici esse vol.) sic habent libri manuscr. nostri: neque aliter edidit Lambinus: sed propterea quòd hunc locum vulgò non intelligi, atque idcirco depravari video: libet mihi eum paucis explicare. sic igitur eum explano, sed tamen nostra legens, &c. nostra nempe Academica. Cicero enim erat Academicus. neque est quod quisquam mihi dicat, eum hîc secutum esse Panætium Stoicum. nam hoc est esse Academicum, nunc hoc, nunc illud tueri, & quod in quaque re ac disciplina insis probabile, id defendere. Iam hæc quæ deinceps sequuntur, non multum à Peripateticis dissidentia, illuc pertinent, multis locis ostendit Cicero, Academicos eosdem ferè fuisse, atque Peripateticos: utrique volumus esse Socratici & Platonici, &c. utrique, id est nos Academici, & vos Peripatetici. (Cratippus enim erat Peripateticus) volumus esse Socratici & Platonici, id est, Socratis & Platonis decreta tueri volumus: Philosophiam moralem Platonicam à Socrate acceptam sequimur.

3 Qui iam illos ferè æquar.) cùm in tribus libris manuscr. partim ita scriptum reperissem, qui se iam illis ferè æquarunt: partim sic, qui iam illis ferè æquarunt se, & aliquanto pòst tempore accessisset codex à Cuiacio nostro item manuscr. mihi

mihi ad hoc negotium conficiendum commodatò missus, in vnóque duntaxat abesse prouocabulum, se, animaduertissem. non putaui olim mihi à vulgata lectione discedendum: quin mihi hoc loco, risum mouit quorundam semidoctorum arrogantissimum supercilium, qui vbi mihi aliquid in quouis codice manuscr. repererum à vulgata lectione discrepans, etiam absurdissimum, statim damnata lectione recepta, affirmant, atque adeò adiurant deos omneis, ita vt in illo nescio quo codice scriptum est, esse legendum. quod fieri non debet. tractandi enim sunt libri veteres cum iudicio. Atque vt non temerè vulgata & recepta lectio damnanda est, etiam si nonnulli codices veteres ab ea dissentiant: ita non est mordicùs retinenda, neque pertinaciter defendenda, etiam si iam libri veteres adiuuent, cùm ratio & veritas reclamant. Nunc autem libris veteribus retractatis, non solùm ijs, quos olim adhibueram, sed etiam alijs multo pluribus & fortasse melioribus: in quibus ferè omnibus prouocabulum, se, non comparet. hanc in opinionem discessi, omnino si quid sit mutandum, legendum esse, vel, qui iam illos ferè æquarunt. sic enim Cæsar loquitur, lib. 5. longarum nauium cursum adæquarunt. & ipse Cicero in Timæos vt deorum vitam possint adæquare. vel, qui iam illis ferè æquantur.

4 Vt idem in vtr. gen. elaboraret) sic legendum, elaboraret, inquam, non, vt vulgò, laboraret, quamuis reclament codices, nam, e, verbi elaboraret, adsorptum est à postrema vocali eadem vocis antecedentis genere.

5 Contempsit alterum) Miror Langium sic hoc interpretari, contempsit Aristoteles oratorium dicendi genus; Isocrates philosophicum. nam hæc interprrtatio, linguam Latinam ignorantis est. Si enim Cicero eam, quam vult ille, sententiam exprimere voluisset: ita locutus esset: quorum vterque suo studio delectatus, contempsit alterius, seu contempsit alienum: nempe studium. nunc ita loquitur, vterq; contempsit alterum, id est, Aristoteles contempsit Isocratē, & Isocrates Aristotelē,

suo vterque studio delectatur. Sic omnino locus hic intelligendus. quod pace Langij dixerim non enim vt eum reprehenderim, (quamquam in hoc reprehensione dignus est) sed vt incautos admonerem, ne eius auctoritate adducti, in fraudem atque in errorem impellerentur, hæc adscripsi.

6 Si rerum aliquem dilectum reliquissent) toties diximus, dilectum, dixisse veteres pro eo, quem vulgus, delectum, dicit, & ita scriptum esse in libris manuscr. vt verear, ne lectorem vbtundam ταυτολογῶν; sed tamen etiam hoc loco testatum volui, ita habere eos omneis libros veteres, quibus vsi sumus.

7 Hoc autem commune, quod cathecon vocant.) Sic legendum arbitror, libris omnibus inuitis: in quibus vox Græca, καθῆκον, non reperitur. Eam enim puto esse à scriptore librario prætermissam: quod sæpe illi fecerunt, præsertim in vocabulis Græcis. Omnino sententia postulat, vt ita legatur. Perfectum officium, rectum, opinor, vocare possumus: hoc autem commune, officium, subintell. vocemus: quod illi καθῆκον vocant. Quid autem absurdius, quàm ita dicere, Græci commune, & medium officium, officium vocant? quasi verò Græci Latinis nominibus vtantur. At res spectatur, non verbum dicet aliquis. Atqui hic agitur de nominibus, & verbis: qualia Latina Græcis respondere, & paria esse possint. Præterea cur suprà rectum officium, dixit à Græcis catorthoma appellari, Græco nomine: commune, officium, verò, officium dixit ab ijs nominari vocabulo Latino? Vnde igitur nata est vox Latina, officium? ex glossa. Ita factum vt scriptores librarij, officium, pro cathecon scripserint.

8 Earúmque prægressus) sic scriptum reperi in tribus antiquiss. codicibus: quo modo item Andr. Turnebus se in vno scriptum vidisse mihi asseuerauit, vt de scripturæ veritate non sit dubitandum, cùm præsertim nomen, antecessiones quod sequitur, probet ita legendum esse.

9 Vt hominum cœtus & celebrari inter se) libri aliquot veteres sine verbo, celebrari, sic habent, vt hominum cœtus

&

& esse, & à se abiri, &c. nonnulli vt hominum cœtus & celebrationes & esse, & à se abiri velit: quæ sequor.

10 *Ad bene, beatèque viuendum.*) Codices manuscr. habent, ad beate viuendum, tantum, quæ sequor.

11 *Humanarúmque rerum contemtio.*) Falluntur qui legendum putant, humanarúmque rerum contentio. à verbo, contendo, referentes, ad contentionem, quæ oritur inter homines de rebus vilibus, vt de potentia, & imperio, & honore, & ceteris fortunæ bonis, quo nihil absurdius excogitari potest, & miror hoc ei veniisse in mentem. Nam primùm pugnantia loqueretur Cicero, & diceret res inter se contrarias ex eadem re oriri nempe virtutem & vitium, dicit enim ex appetitione principatus, laudabili scilicet & honestâ, oriri animi magnitudinem, quæ est virtus: & humanarum rerum contentionem, vt vult ille, quæ est vituperabilis & vitiosa. Deinde contentio humanarum rerum non puto æquè Latinè dici posse, vt, honorum contentio, quoniam hoc est vsitatum: illud non item. Induxit illum, quòd existimaret apud Ciceronem nolle alteri parêre nisi præcipienti, &c. esse vitiosum, cùm M. Tullius ipse ostendat esse laudabile his verbis, animus benè à natura informatus. Postremò demonstrabo sic esse legendum, vt edidi, & vt habent omnes aliæ editiones, nisi quòd habent litteram, p, ante, m, quam scripturam vulgatam scio esse prauam & peruersam. Sed ostendamus id quod polliciti sumus. De simili igitur humanarum rerum contemtione loquitur hîc Cicero, atque infrà non longè admodum: ibi: reliquis autem tribus, necessitates propositæ sunt ad eas res parandas, tuendásque, quibus actio vitæ continetur: vt & societas hominum coniunctióque seruetur: & animi excellentia cùm in augendis opibus vilissimísque & sibi, & suis comparandis, tùm multo magis in his dispiciendis eluceat. & infra eodem libro, nouem circiter pòst foliis, ibi, Intelligendum est autem, cùm propositæ sint genera quatuor, è quibus honestas, officiúmque manaret, splendidissimum videri, quòd animo magno,

elatoque, humanáſque res deſpiciente factum ſit. & infrà ab eo loco non longè admodum: ibi. In eo enim eſt illud, quod excellentes animos & humana contemnentes facit: & infrà, à proximo loco non longè, ibi, Capeſſentibus autem reſp. nihilominùs, quàm philoſophis haud ſcio an magis etiam, & magnificentia, & deſpicientia adhibenda eſt rerum humanarum. Et libro tertio, ſex foliis poſt principium, ibi, Etenim multo magis eſt ſecundum naturam celſitas animi, & magnitudo, iſtæque communitas, iuſtitia, liberalitas, quàm voluptas, quàm vita, quàm diuitiæ: quæ quidem contemnere, & pro nihilo ducere, comparantem cum vilitate communi, magni animi eſt & excelſi.

12 Poteſt nos in ſtudijs cognitionis.) ſic legendum eſt, vel libris omnibus reclamantibus: non vt vulgò, cogitationis, nam primùm abſurdum eſt ita dicere, agitatio mentis poteſt nos continere in ſtudijs agitationis, ſeu cogitationis. Deinde cùm cogitatio verſetur vel in conſilijs capiendis de rebus ad bene, beatéq; viuendum pertinentibus, vel in ſtudijs cognitionis: ſtudia cogitationis à ſtudijs cognitionis differant neceſſe eſt. ſic enim & ſtatim loquitur, aut in ſtudijs ſcientiæ, cognitioniſque.

13 Et huic coniunctæ beneficentiæ.) cùm & Langius teſtetur ſuos codices habere, beneficentia, & noſtri itidem habeant, non putaui mihi crimen temeritatis eſſe pertinendum, ſi eos librorum conſenſum ſecutus eſſem.

14 Aut bello, vt qui victoria potiti ſunt) ſic vnus habet ex noſtris codicibus, & rectè. nam in alijs libris voces peruerſo ordine poſitæ ſunt.

15 Eo ſi quis ſibi plus appetet) ſecutus ſum libros vulgatos. nam etiam noſtri ſic habent, vt ij, quibus eſt vſus Lāgius, ex quo ſi quis ſibi appetet, &c.

16 Mutatione officiorum.) ſic habent plerique libri veteres, nonnulli tamen, mutatione, vt vulgati.

17 Itaque videndum eſt ne non ſatis ſit) ſic omnes quidem libri habent: ſed ego ijs reclamantibus legendum putarim, verendum

verendum est, ne [illegible]

18. Quem alterum iustitiæ genus, &c.) Hic Iovne, qui in libris vulgatis sedulo in eadem corruptus est, ope librorum veterum præclare à nobis emendatus est. Est autem eius sententia hæc: etiam philosophi alterum quidem iustitiæ genus assequuntur, necui noxam inferendo, alterum iniuria, id est, eo quòd neminem iniurium inferant, iusti sunt: sed alterum iustitiæ genus non colunt, quòd discendi studio impediti, non tuentur eas, quas debent veri. Tangius negationem addidit, quam in nullis nostris exemplaribus manuscriptis reperimus: neque ille, opinor, in vllis reperit. Omnino nulla negatio adscribi debet: & ita, vti ego explicaui totus est intelligendus, quamuis aliter ille.

19. Vt non reddere depositum: etiam prom. non f.) Sic nunc edendum esse existimaui, sententiam Ciceronis ex iis, quæ antecedunt, & quæ sequuntur, odoratus: quæ talis est. Sed incidunt sæpe tempora, cùm ea, quæ iusta sunt, & iusti hominis, non sint facienda: vt reddere depositum: facere promissum, & similia, iusta, & iusti hominis sunt, & viri boni, sed hæc temporibus fiunt iniusta, & iniusti hominis, & ea migrare interdum, id est, ea transgredi, & negligere, seu violare, & non seruare, fit interdum vt sint iusti hominis, & viri boni, duæ voces, quæ fuerunt in contextu, ne fortasse, natæ sunt ex glossa, seu annotatione, cùm aliquis adscripsisset ad hæc verba, depositi non reddere, &c. vt fortasse, Quæ posteà coniecta sint in contextum, & pro vtilitate arbitratu communata. Quod & Carolo Langio iam olim visum memini.

20. Ea migrare interdum,) Reiiciendum est, non vt vulgo, ea negare, &c. quod iamdiu à Tangio, virore eod. secutus, occupaui. vtitur eadem verbis lib. 1. de leg. ib. & de diuin. vt idem notauit. valet autem hoc loco, vti ij, quæ commendauit, transgredi, violare, non seruare.

21. Nec si plus sibi nec quibi proc. Qui promissa contra vtil. est maius anteponere min.) sic nunc vtique & vere, duxi, delendi, vt suppositum, & ex glossa natum, quod ego in libris

& oculis deprehendi. nam multi ex nostris codicibus eam non habent: multi, qui habent, habent alia manuscripta: idq; intra contextum verborum Ciceronis, supra vocem, maius. Praeterea, anteponere, potius, quàm, anteponi, excudendum curavi, emendatiores, & pluribus codices secutus, accedit ratio, quae hoc postulat: sequitur enim, non sit contra officium, non facere quod dixeris. non dixit, non fieri quod dixeris, sed, non facere, &c. Quare hic quoque sic legendum, nec sit contra officium, maius anteponere minori. Sed fugit me admonere lectorem nouitium, & minus eruditum, hac, maius anteponere minori, sic intelligendo, maius damnum, minori commodo anteponere.

22 Cum hoste indutiae pactae) vetus codex vnus ex nostris habet, indutiae factae.

23 Sed credo aliquid secutos, opportunitatem loci max.) Langius positum putat. aliquid, Graecorum more, vi, id est, κατὰ τι. quod mihi non videtur, itaque disiunctionis notam adscribo, post, secutos: vt sit haec sententia: puto eos non crudelitate impulsos, Corinthum euertisse, sed aliquam rationem secutos, maximè loci opportunitatem, &c. Quòd autem quidam aiunt se in nonnullis libris scriptum reperisse, ob opportunitatem loci maxi. eamq; lectionem probant: ea verò inepta est, nec ferri potest, ob autem natum ex prima syllaba vocis sequentis.

24 Adeò summa erat obseruatio in bello mouendo) vox, mouendo, mihi suspecta est: velimq; ea deleta, legi, Adeò summa erat obseruatio in bello. Marci quidem, &c.

25 Qui arma contra ferret,) (sic nostri vet. codic. aliquot alij, qui ferret arma contra, &c. & ita Langius.

26 Vt enim cum ciui aliter contendimus, si est inimicus, aliter, &c.) Sic prorsus legendum est, quod vidit Franciscus Fabricius Marcodurianus, nam hoc, ciuiliter, corruptum est: & ex, ciui aliter factum, ciuiliter, sententia autem, & veritas ita legendum esse peruincunt.

27 Quidue ferat fort,) sic habent libri manuscripti, atque ita

ita sunt dubia legendum, non vt in vulg. ferat sunt, quod non est ab alijs emendatum. Suprà autem, ne quis erret, legendum vitam cernamus, non, vita.

28 Dono, ducite.) Passeratius distinguendum censet, post Dono, vt sit verbum, dono, at, cui assentior.

29 Volentibus cùm magnis dijs) sic omnino legendum, non volentibus id magnis dijs. Sic enim loquebantur veteres. Plautus, Milite glor. agite, ite cum dijs benè volentibus.

30 Secundo autem bello Punico) hæc omnia, quæ dissimilibus litteris impressa sunt, absunt à veteribus libris, & nonnullis vulgatis.

31 Id autem tantum abest ab officio) libri veteres habent, tantum abest officio: quod probo, talia sunt illæ, adigere arbitrum, apud eundem: propugnat nugis, apud Horatium. & hæc animum advertere, pro ad hæc, apud Lucretium lib. 1.

32 In quibus, præclarè agitur, si insunt simulacra, &c.) sic habent nostri codices veteres, & rectè. sententia autem est hæc, in quibus si insunt simulacra virtutis, præclarè agitur.

33 An imitari agros fertiles, &c.) sic legendum, & ita habent omnes libri veteres, an, autem hoc loco interrogando affirmat, id est, responsionem aientem postulat.

34 Sed quæ natura principia sint, &c.) Nonnulli ex nostris libris vete. habent, Sed quæ natura, &c. quo modo & Langius edidit: itamq; olim edi iusseram, paullo antè, ubi olim operarum culpa excusum erat, ita, cum, &c. legendum, ita in eum, &c. & supra non longè, coniunctioq; ubi opera excuderant, coniunctioq.

35 Quæ propagatio, & suboles) sic habent libri nostri veteres, suboles, inquam, & ita legendum, & scribendum esse admonuimus in commentarijs Horatianis.

36 Id quod Pythagoras vltimum in amicitia putauit) sic hunc locum legit Nonius, in voce, vltimus. vt indicat Langius: qui eruditè hunc locum explicat. nam libri veteres cum vulgatis congruunt: qui habent, vult in amicitia, vt vnus, &c.

37 *Exercitatioq; capienda* ) *docti quidam legi volunt, exercitatioq; adhibenda.*

38 *Et addendo ducendoq;* ) *sic omnes quidem habent libri veteres: sed malim legi, deducendoq;, siue subducendoq;.*

39 *Illa virago viri.* ) *legendum, vt habent libri veteres, Illa virago: & ita etiam olim excudi iusseram, reiecta vulgata lectione, Illaq; virgo viri: si mihi ab operarijs istis obtemperatum esset. proximo versu autem legendum, vt nunc edidimus, Salmaci, das spolia, sine sudore & sanguine, non, vt vulgò, sine sanguine. & sudore. est enim senarius, deinde, das, in secunda persona, indicatiui modi, non, da, Quod scio iam antè Faerno in mentem venisse.*

40 *Leuctris: hinc noster Cocles. hinc Decij.* ) *Sic restitui, atque omnino sic legendum. Nam Stratocles, quod est in vulg. non reperitur in libris manuscriptis, sed pro eo, Stercocles: & deinceps, hinc Decij. &c. ita vt facile appareat, hoc, Stercocles, esse peccatum librarij, qui cùm scribere deberet, noster Cocles, scripserit, Stercocles, omissa prima syllaba, no. Hæc cùm olim scripsissem, neque scirem cuiquam mortalium hoc idem venisse in mentem, ( nam si ita esset, non dissimulassem, aut tacuissem ) admonitus sum postea, Petrum Balduinum, quem ego adolescens, iam grandem natu Lutetiæ cognoui, hoc quoque animaduertisse. Quare huius loci emendatio viro illi doctiss. accepta referatur, qui anteuertit, non mihi.*

41 *Eosdem bonos & simplices* ) *legendum, vt habent libri manuscripti, &, vt nunc edidi, eosdem bonos, & simpl. non, vt vulgò, eosdemq; bonos, & simpl.*

42 *Vt quisque est altissimo animo, & gloriæ cupidiss* ) *cum in omnibus ad vnum libris manuscr. scriptum reperissem, altissimo animo, & gloriæ cupiditate: quo modo & quidam eruditi viri se in suis reperisse testantur: atque hanc scripturam ferri non posse satis intelligerem: cogitabam vnde scriptori librario, qui primus hunc locum deprauasset, ansa peccandi oblata esset: venit mihi tandem in mentem, scriptum esse à Cicerone, & gloriæ cupidissimo, deinde ab ijs scriptoribus*

vibus librarij, qui Ciceronis ætati erant proximi, scriptum est cupidiss. quomodo nos quoque hodie scribere solemus. hinc posteriores librarij, imperiti ex illo cupidiss. fecerunt cupiditas: ex qua alij, quasi aliquid intelligentes, cupiditate. Ita hæsit hoc mendum ad nostram usque ætatem in veteribus libris. Hæc est mea coniectura. Alij putant legendum, & gloriæ maximè cupido. non malè illi quidem, sed plus nimio licenter. verumtamen iudicent eruditi.

43 Plenáque laborum & periculorum cùm vitæ, tum mult. aliar. rerum, &c.) sic omnino legendum est, & ita habent libri veteres omnes. vox causa autem, quæ reperitur in libris vulgatis ante vocem vitæ, supposita, & adulterina est: cùm eam inculcasset sciolus aliquis, qui non videret, unde regeretur generandi casus, vitæ: neque intelligeret regi ab altero generandi casu, periculorum: ut sit periculorum vitæ. &c. nam viri fortis est adire pericula vitæ, earumq; rerum, quæ ad vitam pertinent.

44 Et hæc vitanda.) Etiam libri nostri habent, videnda. quod notauit Langius. quæ scriptura, ut mihi non displicet, (sic enim explicari potest, videnda, id est, cogitanda, considerandæ, animaduertenda, subimus. sunt.) ita recepta lectio non videtur damnanda. verumtamen multum apud me valet librorum veterum auctoritas.

45 At ille verè à se dixerit adiutum.) partim sic habent nostri codices, at ille verè à se dixerit adiutum Themistoclem: partim sic, at ille verè se adiutum se Themistoclem: partim sic, at illa verè ab se adiutum Themistoclem: quomodo edidit Langius & rectè. Mendosè autem hîc aperuit isti scriptum olim, dixit adiutum Themistoclem, pro, dixerit: quod tamen si deleatur, neque quidquam de sententia decedat, & multum venustatis accedat.

46 Quamquam imperium Lacedem. partum est.) Locus est non sincerus. nam libri veteres emendatiores non habent participium, dilatatum, ante verbum, putatur: in nonnullis scriptum est, ut in vulgatis, dilatatum putatur. omnino hæc

participium, suspectum est, dixisse enim potius Cicero, propagatum, seu amplificatum. Præterea Pausaniæ & Lysandri rebus gestis, si verũ quæritis, imperium Lacedæmoniũ parum est. Pausaniæ, cùm primùm apud Plateas Mardonium satrapam regium, qui præerat, nescio quot barbarorum myriadibus, superauit: deinde cum pari felicitate apud Hellespontum barbarorum præsidia delecit, & Græciam liberauit. his enim secundis rebus factum est, vt Lacedæmonij soli digni haberentur: qui Græciæ imperarent. quod & Demosthenes ipsum orat. κατὰ τιμάρχου, his verbis Εἰσὶ γὰρ οἱ Παυσανίαν τὸν Λακεδαιμόνιον βασιλεῖ ὑβρίζειν ἐπιχειρήσαντες, ἐξ ἧς ἐρήμης, δι' ἣν ἀγνωμίαν μόνοι κἀγαθοὶ τῶν Λακεδαιμονίων, ὅτε, id est, postquam autem Pausanias rem Lacedæmoniorum non contumeliosè tractare cœpit, neque satis habuit, Lacedæmonios solos imperio dignos esse habitos, &c. Lysandri, cùm apud Ægos fluuium Athenienſium classem ducentarũ nauium, decem, aut nouẽ nauibus exceptis, deleuit, & Athenienſes hi suam potestatem redegit, atque ita bellum Peloponnesiacum, quod annos viginti ſex produ ctum erat, confecit. Hæc adscripsi, quod quidam scripsit, verius esse, quod ad historiam attinet, amplificatum esse Lacedæmonij imperium Pausaniæ & Lysandri rebus gestis, quàm parum.

47 Concedat laurea linguæ.) sic est scriptum in codicibus antiquis emendatioribus, & ita admonuimus esse legendum in oratione in Pisonem; mirorq; nihil esse hæc de re à Langio notatum, P. Victorius quidem lib. 3. Variar. lect. cap. 24. multis verbis, vt soles, ostendit, sic, vt edidimus, legendum esse. Tantum autem huius loci depravandi in scioliis fuit studium, vt non solùm laudi, pro linguæ, substituerint, sed etiam, pacis. sic enim scriptum reperi in vno codic. manuscr. concedat laurea pacis.

48 Nec vllius otium.) Sic omnino legendum non, vt vulgò, odium, quod Langius ante nos admonuit, idq; ex auctoritate codicum manuscript. quibuscum nostri consentiunt. Sed quod ille, otium hîc interpretatur securitatem cuiusvis Rom.

qualis

qualis erat Troianorum qua nocte oppressi sunt, nec ille vehementer erras, nam significat hic Cicero se remp. maximis periculis liberasse, & conuiuatorum manibus eripuisse consilio & vigilantia, sine vlla dimicatione, sine exercitu, summa cum pace & otio, vt declarat Catilinar. 3. his verbis. Quod si Catilina vrbe ad hanc diem remansisset: quamquam quoad fuit omnibus eius consiliis occurri, atq; obstitit tamen, vt leuissimè dicam, dimicandum nobis cum illo fuisset: neque nos vnquam, dum ille in vrbe hostis fuisset, tantis periculis, tanta pace, tanto otio, tanto silentio remp. liberassemus, tanta pace, & tanto otio, &c. id est: cum tanta pace, & tanto otio, & tanto silentio. Suprà proximè quidam libri habent, optimum vbi ceteri optimum.

49 Quàm decertandi nos vocem, fortitudo, post verbum, decertandi, sustulimus, quamuis eam reperimus in duob. libris antiquis, nam perspicuè apparet, ab aliquo, qui putaret quippiam deesse, esse adiectam, quod & Langius videtur.

50 Portio vero animi & const.) deleda vox animi, & subintelligendum viri. argumentum id est, quod sequitur non longè sed præsenti animo vti, seu niti &c. quod & ille indicat.

51 Sed præsenti animo vti, & consilio) quidam legi volunt, præsenti animo niti, quod probo. nos in libris antiquis tamen reperimus, vti.

52 Non ad eorum, quibus commissa est) libri veteres ferè omnes sic habent, vt edidi, nō quibus commissi, vt vulgò legitur.

53 Nec adulari nos finamus) vel adulari, patiendi hic significationem habet, vel legendum, adulari nobis finamus. mendosè porrò operæ hic fecerunt olim, non, pro, nos.

54 Adhibenda est igitur quædā reuerentia aduersus hom. & optimi cuiusque, &c.) duas voces, aduersus homines, vt superuacaneas, & à semidocto aliquo in contextum illatas, delendas arbitror. ordo enim est hic, reuerentia, optimi cuiusque viri & reliquorum est adhibenda: nisi ita dicamus, reuerentia optimi cuiusque, & reliquorum, adhibenda est aduersus homines. quod duriusculum est.

55 *Est autem quod differat in hominum ratione hab.*) sic restitui ex auctoritate codicum antiquorum: atque ita sine dubio legendum. Videtur autem idem fere valere hoc in hominum ratione habenda, atque illud, adhibenda hominum reverentia, nisi quòd habere hominum rationem, latius patet, quàm adhibere reverentiam.

56 *Duplex est enim vis animorum, atque naturæ*) videtur legendum, atque naturæ.

57 *Et quietibus ceteris*) Langius delet vocem, quietibus, quia in optimo codice non comparet. nos in aliquot nostris reperimus, idcirco retinuimus: neque tamen Langij factum damnamus.

58 *Ne nimis ludum profundamus*) secutus essem lectionem vulgatam, quæ in plerisque libris antiquis reperitur: nisi plane mendosa esset, ne ne nimis omnia profundamus, quemadmodum & Langio videtur, qui legendum putat, ne nimis profundamus, deleta voce, omnia. Cùm igitur hic locus sine dubio mihi videretur mendosus, Ciceronemq; hoc sensisse arbitrarer, ioco & ludo esse moderate utendum: non dubitaui, quin ita locutus sit, ne nimis iocum seu ludum profundamus, est enim genus loquendi & elegans, & Ciceroni usitatum, jusseram tamen edi, ne nimis ioca profundamus, si mihi operæ obtemperare voluissent: quòd hæc lectio propiùs accedat ad scripturam antiquam, omnia profundamus, facilior enim fuit prolapsio à voce, ioca, ad vocem, omnia, præsertim si ita scripta esset, omnia. Quidam lectionem vulgatam tuentur, paullum tamen immutantes, & ex, nimis, mimis facientes: quod fateor me in uno antiquo codice reperisse: eamq; sic explicant. ne omnia nostra largiamur mimis, risum scilicet nobis turpi imitatione moventibus putaui etiam aliquando legendum, ne nimis nos profundamus. consideret & judicet lector eruditus.

59 *Reliquisq; bestijs antecellat.*) nostri libri habent partim reliquisq; belluis antecellat, partim antecedat. & paullo antè libri veteres ordine verborũ inverso: homine dignus: al-

ter

ter ne libero quidem : vbi vulgati : libero dignus ; alter, ne homine quidem.

60 Atq; in omni ratione dissimulatorem) malim legi, in omni oratione, quo modo scriptum reperi in duob. cod. manuscr.

61 Ad nodum autem tenenda sunt sua cuiq;) libri veteres habent, tenenda sunt sua cuique, quos secuti sumus : vulgati autem, tuenda sunt, &c.

62 Quàm se aliena deceant) quidam legi volunt, dedeceant. ego nihil muto.

64 Epigonos, Medumq;) libri veteres habent, Medumq; quos sequor. vulgati verò, Medeamq;.

64 Nam quod Herculem Prodicus dicit) libri aliquot veteres habent : Nam quod Herculem Prodicium dicunt. &c.

65 Ex eo quo quisque modo natus est, &c. libri aliquot veteres habent, ex eo modo, quem quisque natus est.

66 Sensim dissuere.) etiam libri Memmiani, & Danielis, & Cuiatiani habent diluere, de quo verbo doctè quidem Langius : sed tamen paullum ab eo dissentio. non enim puto trãslationem esse à colorib. sed potiùs à rebus vinctis & colligatis. diluere enim hîc puto idẽ ferè valere, quod διαλύειν, id est, dissoluere, quemadmodum reluere valet, id quod obligatum, seu pignori oppositum est, repignerare & resoluere. Cæcil. Vt aurum & vestem, quod matris fuit, Reluat, quod viua ipsa opposuit pignori. Quin apud Abellium, diluunt, idem significat, quod dissoluunt, sic ille lib. 12. cap. 1. Vinculum illud, coagulumq; animi atque amoris, quo parenteis cum filijs natura consociat, interscindunt, aut certè quidem diluunt, deteruntq;, Vnus alius habet, deluere : quod fortasse rectius est, & ita videri potest in Lelio legendum : Tales igitur amicitiæ sunt remissione vsus deluendæ, vbi tamen editum est, eluendæ.

67 Sed satis erit intelligi) sic habent plerique libri veteres cum vulgatis consentientes. nonnulli, sed satis facilè poterit intelligi : quam scripturã quamuis olim probarim, tamen nunc minus probo. eamq; magis probarẽ, deleta voce, satis, sed fa-

*cilè poterit intelligi: Omnino vulgatam, & receptam lectionem modis omnib. retinẽdam censeo: sed satis erit intelligi: præsertim cùm in aliquot libris manuscriptis reperiatur.*

68 *Nihil fuit in Catulis vt eos, &c.) à me impetrare non potui, vt libros aliquot manuscriptos nõ sequerer, in quibus scriptum est, Nihil fuit in Catulis, &c. quomodo & Langius edidit. Quanquam lectio vulgata, cuius eadem sententia, non est fortasse reyciendæ. Ne ea quidem damnanda est, quam in trib. alijs codicib. manuscr. reperi, Quod fuit in Catulis, vt &c. quia sensui Ciceronis non aduersatur. Videtur enim hoc sentire M. Tullius in Catulis fuisse vocem suauem & dulcem, eosq; pressè loqui solitos esse, & leniter, adeò vt eos exquisitè literatos esse putaret, qui audiret. Nam quanquam essent literati, tamen multi alij cùm literati essent, hac laude suauiter loquendi carebant. Sed, vt redeam ad eã scripturam, quam secutus sum, videtur, siquis eam probauit, aliquid in ea immutandum, atque ita legendum. Nihil fuit aliud in Catulis, cur eos exquisito &c. Ac quod ad vocẽ aliud, eam ego reperi in duobus cod. antiquis, vt de ea non sit admodum dubitandum, de particula, cur, quamuis nulli codices adiuuent, tamen consuetudo Latini sermonis, vt ita legatur, postulat. Sic igitur velim legi, Nihil fuit aliud in Catulis, cur eos exquis. &c. Nihil fuit aliud autem, præter suauitatem, & lenitatem vocis, scilicet.*

69 *Sed vtcunque aderunt,) libri nostri veteres non habent, res, quod est in vulgatis, neq; habuit in suis Langius, vt nos admonet; Itaque deleuimus. Verùm, pro, vtcunque, malim legi, vt quique, & pro, delectamur, delectantur.*

70 *O domus antiqua: heu, quàm disp. dominare domino?) sic habent ferè omnes libri veteres, quos sequimur: quo modo & ante nos secutus est Langius. Sed non celebo lectorem me reperisse in duobus pro, dominare, nominare: quod fortasse non est continuò reyciendum. potest enim sic explicari. O domus antiqua, quæ olim habuisti dominum honoratum, & clarum virum, & quæ dicebaris domus illius, aut*

illius

illius viri, ſcilicet Pompeiani: eheu, quàm diſpari & diſſimilis domini domus diceris? Conſideret lector.

71 Colere, tueri, ſeruare debemus) verbum, debemus reperitur in nonnullis libris manuſcriptis, in pleriſque non. Omnino poteſt ſine ſententiæ iacturâ deleri: vt repetatur ἀπὸ κοινοῦ.

72 Ex quibus aliquid acquiritur) ſic habet codices Memmiani, & cæteri, melius, quam vulgati, exquiritur. antiquiritur autem, vt editum à Langio eſt, multò minùs placet.

73 Adhibent agendi, cogitandiq;) libri nonnulli veteres habent, agendi, congregandiq;, acidam, augendi, congregandiq;, &c. quarum ſcripturarum neutra placet.

74 Quòd non poteſt accidere tempus) vocem tempus, delendam putarim.

# IN LIB. SECVNDVM.

1 In quo tum quæri dixi, quid vtile, quid inutile, tum ex duobus vtilibus, quid, &c.) fateor, me nullis in codic. antiquis hoc membrum reperiſſe, tum ex duobus vtilib. aut ex plurib. quid max. vtile, quemadmodum & Langius, & alij teſtantur ſe non reperiſſe in ſuis. Sed ego hîc vulgatos ſecutus ſum, hac de cauſa maximè, quòd aut hoc ipſum membrum, quod non reperitur in manuſcr. addendum eſt: aut ſi hoc delendum eſt, illud ſuperius quoq; quod habent & manuſcripti & vulgati, in quo tum quæri &c. delendum eſt. quod & Langius ſuſpicatur: quorum alterutrum cùm faciendum mihi eſſe viderem: malui in eam partem peccare, quæ cautior eſt, & exiſtimare hoc membrum, quod in libris manuſcr. non reperitur, à ſcriptore librario, cuius exemplum cæteri ſecuti ſint, eſſe omiſſum: quod non erat eis inuſitatum.

2 Quantum ſuperfuerat amicorũ & reipub. temporis.) Sic habent noſtri libri veteres: vulgati autem mendosè, temporibus. At Langius neque, temporis, neque, temporibus, edidit.

3 Partim ſunt inanima.) Sic eſſe legendum primùm libri

veteres, deinde Nonius Marcellus, qui hunc locum profert, postremò usus Latini sermonis, peruincunt: non vt vulgò inanimata.

3 Quarum opera efficitur aliquid.) Sic edendum curaui, libris omnibus inuitis, sola ratione & veritate fretus. Nam si, opere, legeremus, proinde habendũ esset, atq; si ita diceret, quarum effectu seu effecto efficitur aliquid. Nam, opus, est res effecta: opera autem, labor, qui ponitur in opere faciendo. Atq; ita nõ ita multò pòst loquitur: pleraq; sunt hominũ effecta operis, & inferius, sine opera hominum vlla esse potuisset.

4 Aut posteà subuenire.) In verbo, subuenire, aliquid vlceris subesse puto. nonnulli veteres libri habent, subueniri, nihil præterea varietatis reperi. videtur aliud verbum desiderari, nempe, vel, resarsiri, vel, refici, vel tale quoddam.

5 Tantùm destitit à victu, & cultu vest.) sic edendum curaui, libris omnibus inuitis. Nam distitit, præteritum est verbi, disto: quod verbum hîc locum habet. Distare enim, est longè abesse, & disiunctum esse. destitit autem, oritur à verbo, desisto, quod valet, desino.

6 Ad exitus prouehimur optatos.) libri veteres habent, pernehimur quos nunc sequor.

7 Tamen sine hominum operis & studijs.) etiam hoc loco sic legendum censeo: nisi quis fortè malit legi, sine hominum opibus: quo modo scriptum reperi in vno codice manuscripto, & in aliquot exemplis vulgatis.

8 Declarat quantum odium hominum valeat ad pestem.) libri veteres habent, valet: quod fortasse rectum est: quamuis nostris auribus aliquanto magis insuauum accidat. præterea hoc est in eis varietatis, quod sic habent, nec vero huius tyranni solùm, quem armis oppressa pertulit ciuitas, apparet cuius maxime potuit,) alias, potui) interius declarat, quantum, &c. quæ verba clamant se esse corrupta.

9 Quamuis timefacta libertas.) Sic habent libri veteres & Mevm. & alij. neq; verò dubium cupiam debet esse, quin ita legendum sit, & miror hoc esse à Langio præteritum. Vsus autem

autem hoc verbo eſt etiam Lucretius in proœmio libri 2. His tibi tum rebus timefactæ religiones, Effugiant animo pauidæ, mortiſq; timores.

10 Compunctum notis Threïcijs.) libri veteres habent, notis Traëcijs: nonnulli, Threcidicis: alij, Threcijs.

11 Vno calamitatis genere comprehenderes.) libri ferè omnes habent, vno calamitatis iure comprehend. ſed videtur legendum, vno calamitatis genere: quomodo edendum curauimus.

12 Beneuolentiæ præcepta videamus. &c. ſic habent omnes libri & manuſcr. & vulgati. Quidam tamen legendum putant, beneuolentiæ multitudinis, quia ſequitur prouocabulum, quæ, quod refert multitudinem, hoc modo, quæ, nempe multitudo, maximè capitur beneficijs. ſic enim in omnibus ferè libris legitur. Quòd ſi ita legamus, inquiunt illi, vt eſt in libris vulgatis, beneuolentiæ præceptæ videamus: quæ quidem beneficijs capitur maximè. dicet Cicero beneuolentiam capi beneficijs: quod non conuenit. Rectè illi: ſed nos nimiæ audaciæ putamus, addere vocem integram, cuius nulla in manuſcriptis compareant veſtigia. Itaque cùm hîc nihil mutetur, paullo pòſt fortaſſe pro, capitur, pariter, legendum: quo deprauato factum eſt, arpitur, inde, carpitur, inde, capitur. ſi quis tamen ita legi malet, beneuolentiæ multitudinis præcepta videamus, quæ quidem capitur benef. maxime. non pugnabo, paullò pòſt vocem, beneuolentia, temere ab aliquo illatam in contextum, delendam puto, & ſubſtituendum nomẽ, multitudo. Et fortaſſe hæc vox huc illata, eorum coniecturâ adiuuant qui ſuprà, beneuolentiæ multitudinis, legi volunt, qua lectione comprobata, ſubintelligitur vox, multitudo.

13 Qui nec ſibi, nec alteri (vt dicitur) verbum, proſunt, quod eſt in vulgatis libris, non compâret in manuſcript. niſi quòd in vno ſcriptum vidi ſupra vocem, alteri, alia manu, ſupple, proſunt, ex hoc fonte, ſcilicet in contextum manauit. cuius rei exempla ſunt in bonis libris innumerabilia, & plura quàm velle debeant, qui hæc ſacra tractant.

14 *Admiratione autem afficiunt ij.*) sic legendum libris omnibus inuitis nos, vt vulgò, ad miratione afficiumur. Nam admiratione affici dicuntur, qui admirantur alienum: admiratione afficere autem, ij, qui sunt alijs admirabiles, propter aliquam præstantiam, vt hîc.

15 *Hunc igni spectatum arbitrantur*) cùm & lib. vet. tres, quib. Langius est vsus, & nostri sic habeant, igni spectatum: existimaui me, qui pollicitus sum hominibus, me ad librorum manuscr. normam & auctoritatem hanc editionem directurum, nihil mea fide, meoq; officio alienum facturũ, si ita edendum curarem. Est autem translatio ab auro optimo, perfectissimo, & purissimo. Ouid. Scilicet vt fuluum spectatur in ignibus aurum, &c. Kelim tamen sic legi, hunc tanquam igni spectatum arb. Omnino recepta & vulgata lectio mihi non probatur, hunc dignum spectatu, quod si quem hæc antiqua sub offendat, quæ non debet, neq; vulgata placeat, fortasse non reiecerit cuiusdã viri docti coniecturam, qui putat legendum, hunc visum spectatũ arbitramur. Sed mihi omnino antiqua videtur recta, & syncera, maximè, si addatur, tanquam.

16 *Iustitia ad rem gerendam, &c.*) Nonnulli libri veteres habent, ad rem gubernandam: ego legendum putarim potiùs vel, ad remp. gerẽdam, vel, ad remp. gubern. verũtamen nihil muto: nẽ enim hîc loquitur de rep. gerenda, sed de priuata.

17 *Summos cum infimis pari iure retin.*) secutus sum libros vulgatos. Nam manuscripti habent, pertinebant: vnde suspicor, locum esse corruptũ, & lectionem vulgatam ex coniectura & ingenio alicuius non indocti hominis esse natam: quam tamen non probo, existimoq; longè aliter esse adiuuandum, atque hoc modo esse legendum, ad summos cum infimis paria iura pertinebant. pertinebant autem, id est, peruenie-bant & permanabant, sic de natura Deorum, lib. 2. Venæ in omnes corporis partes pertinentes. Simile si quis tamen vulgatã retinere & sueri volet, non valdè pugnabo, sic enim propemodum loquitur infrà eodem libro, commoda ciuium nõ diuellere, atque omnes æquitate eadem continere.

18 *Sic*

18 Sic gloriæ & quærenda, & collocanda ratione eſt.) Sic omnes quidem libri habent: & ita legendum videtur, non ſic, ſic gloriæ & quærendæ & collocandæ ratio eſt. At, hoc modo operarij iſti ediderunt olim mè imprudente & inſcio, cùm iuſſiſſem lectionem vulgatam & receptam ſeruari, quæ eſt, ſic gloriæ & quærenda, & collocanda ratione eſt.

19 Et mortui nomen obtinent iure cæſorum) libri veteres nonnulli habent, nomen: nonnulli, numer. ex quibus alij nomen, feceruut, alij numerum. quod magis probo, præſertim cùm ſic planè habeant alij nonnulli veteres. Langius tamen edidit nomen: quem hîc non inuitus olim ſecutus ſum.

20 Blando appellando ſermone delin.) tres libri veteres non habent, ſermone, alij, blando appellando ſermone deleniunt, ſeu deliniunt. quos ſequimur, vulgati, blandè appellando ſermone deliniant. quæ lectio ferri non poteſt.

21 Eaſæpe vniuerſam excitat, magna eſt &c.) vocē, gloriam, quæ reperitur in libris vulgo, poſt verbum, excitat, in manuſcr. verò, nullum eius extat veſtigium, funditus deleui, quæ ſine dubio ab aliquo ſciolo adiecta eſt, qui non videret ſubintelligi, multitudinem, & repeti è ſuperiore.

22 Pro Sardis Iulius) libri vulgati, quibus cum cōgruunt omnes manuſcripti habent, pro Sardis, pro Albucio Iulius. At Langius, cùm videret hoc cum hiſtoria pugnare, quia Iulius Albucium accuſauit Sardorum rogatu, ſic edidit, pro Sardis contra Albucium. ego neque, pro Albucio, neque, contra Albucium, verba Ciceronis eſſe puto, ſed ex annotatione aliqua nata. Nam abſurdum ſit hîc nomen eius, qui accuſatus ſit, commemorari: Verris, quem M. Tullius: Seruilij, quem duo Luculli accuſarunt, ſileri.

23 In accuſando etiam M'. Aquillio.) Sic legendum: non, vt eſt in manuſcr. Manilio. Nam conſtat ex Bruto Cicer. M'. Aquillium à Fuſio accuſatum eſſe: ab Antonio defenſum.

24 Tamen altera ex arca.) hæc verba, altera ex arca, nos in lib. noſtris manuſcr. reperimus. Itaque retinēda cenſemus: valdéque à Langio diſſentimus, qui ea hinc furcis expulit.

25 *Bene ministrum, & præbitorem,*) *quin sint hæc verba Ciceronis, non est dubitandum. Sunt enim præterita ab oscitante librario, propter eamdem vocum iterationem, vt sæpè animaduertimus ab eis factitatum.*

26 *Grauiùs & verius nos reprehendit,*) *Langius hoc totũ, nos reprehendit, tollit de medio, vt adulterinum. Ego retineo, vt in libris veteribus repertũ, & ad sententiam necessarium.*

27 *In ijs tamen, qui se adiuuari, &c.*) *Quibusdam legendum videtur, in eos tamen: & item mihi.*

28 *Cùm is esset, qui omnes superiores, &c.*) *Seruius Sulpicius significatur.*

29 *Commodè autem, quicunque dixit,*) *totum hunc locum profert Nonius, & valde inepte ac ridiculè interpretatur, hoc modo, dixit pecuniam, hoc est, dat, quasi verò, dixit pecuniam, legendum sit sine distinctione.*

30 *Opulentior sanè sit, honestior verò, &c.*) *Etiam nostri libri habent, vtentior sanè sit. Vnde feci, opulentior sanè sit, quomodo habet codex vnus & alter. Nam, vlentior, suspicor esse scriptum à librario aliquo pro, opulentior, omissis duabus prioribus litteris. Hinc, vtentior. Quidam amicus meus putat potius esse reponendum, locupletior. Est qui mauult, diuitior. Non deest qui, iuuantior, reponendum censeat: vt referatur ad magnitudinem diuitiarum: hoc modo: Magnitudo diuitiarum iuuantior sit. Adrianus Turnebus nullâ coniectura opus esse existimat, sed legendum esse, vt habent veteres codices, vtentior, quod comparatiuum est à participio, vtens. Iudicet lector ingeniosus. mihi quidem non placet.*

31 *Eorum autem ipsorum partim.*) *Nostrorum librorum alij habent, Eorum autem ipsorum quædam partim: alij, ipsorum quæ, partim. Langius aliquid fuisse dissimilitudinis in suis libris non admonet. Nos alterutro modo legi posse arbitramur: vel, Eorum autem ipsorum quædam partim, vel, Eorum autem ipsorum partim.*

32 *Malo enim alij, quàm nostræ ominari.*) *Sic quidem habent omnes libri veteres: mâlo enim, quàm nostræ ominari: sed*

ſed videtur aliquid deeſſe: vt fortaſſe ita ſit legẽdũ, alij enim mâlo, quam, &c. vel, alij enim mâlo, vel, cuiuis enim mâlo, &c. vel, mâlo enim alij, quàm, &c. quemadmodum edidimus.

33 Næ illi multa ſecula, &c.) Sic habent etiam noſtri libri veteres, hoc eſt, Memmiani, Huraltini, Cuiatiani, Pithœanus, Danielis: neque eſt in illis vllum particulæ, quidem, veſtigium. Non eſt ſcriptum tamen in illis, næ, per diphthongum, æ, ſed, ne, per vocalem, e, quomodo ſcribendum eſſe arbitror. Sed vſum ſcribendi in hac re populo conceſſi: ſcientiam mihi reſeruaui, vt ait M. Tullius. Quod autem Adr. Turnebus, qui biennio ferè poſt horum librorum editionem Langianam, hunc locum ſic emendandum cenſet, quaſi à nemine alio ſit emendatus, quaſiq, ipſe occupauerit, hanc cauſam afferre poſſum, vel illum non vidiſſe editionem Langianam, vel, vt viderit, tamen cùm haberet emendationem in ſuis Aduerſarijs iampridem perſcriptam, vt & multas alias, non exiſtimaſſe ſe cuiquam iniuriam facturum, ſi, quæ multis antè annis & excogitaſſet, & litteris mandaſſet, ea quamuis ab alijs eſſent editione occupata, ipſe quoq, ederet. quod in multis alijs video ei accidiſſe. Quin multa quoque ſic erant à nobis emendata & impreſſa, vt ei viſum eſt, antequam Aduerſaria ſua ederet. Neque id mirum eſt, vtpote qui ijſdem libris veteribus vſi ſimus: neque ſit mirum, eos, qui eadem ſtudia tractant, in eadem quaſi veſtigia incurrere.

34 Quæ à Lacedæmonijs profectæ, &c.) Si omnes quidem libri habent & manuſcr. & impreſſi. ſed legendũ arbitror, libris inuitis, profecta, vt referatur ad mala, nõ ad contagiones.

35 Vrbem eſt potitus) Tres libri Memmiani cum vulgatis in hoc conſentiunt, quod habent, vrbe eſt potitus, niſi quòd in vno videtur eraſa fuiſſe lineola ſupra vocalem vltimã vocis, vrbe. alij ita vt Langiani, vrbem. Omnino vtrouis modo legi poteſt, vel vrbe potitus, vel, vrbem potitus: vt edidit Lãgius.

36 At verò hic noſter victor, tum quidem victus, &c.) Omnes ferè libri veteres, & quos vidi, & quos non vidi, vt teſtantur viri docti, habent, At verò hic nunc victor nonnulli:

*hic noſter victor: quos ſequor. Aſſentior q̃, propemodum Langio, qui putat, hoc dictũ eſſe inuidioſè & amarè in Cæſarem: quamquam licet etiam dicere, noſtrum, dixiſſe, quia ſuprà, Græcos, poſuerat. Itaq; velim ſic legi, At verò hic noſter, nunc victor, tum quidem victus, &c. Tum autem, id eſt, me conſule. Sed huius loci explicationem pete à Langio.*

37 *Propter humilitatem circumueniantur.*) *Non diſplicet vulgata lectio, propter imbecillitatem. Sed ſi veteres codices omnes habent, propter humilitatem: quid eſt quamobrem eorum auctoritatem negligamus?*

38 *Quid tertium: Bene veſtire*) *Sic habent omnes libri veteres, quibus vſi ſumus: à quibus diſcedere nefas eſſe duxi. Verùm mihi magis placet, vitire: quod teſtatur reperiri in vno libro manuſcripto Langius: neque tamen Langij ſententiã improbo, qui collectis aliquot exemplis ad ſcripturam antiquam & receptam confirmandam: ex Tuſcul. 5. ſepulcrum veſtitum vepribus: ex libro 2. de nat. Deorum, montes veſtiti, atque ſylueſtres: & ex Salluſtio in Iugurtha, collis veſtitus oleaſtella, & murtetis: & ex Columella, agrum vineis veſtire, oſtendit hanc lectionem eſſe alteri anteponendam.*

# EIVSDEM IN LIB. III. DE OFFICIIS.

1 *Vbe relicta, rura peragrantes.*) *Sic omnes quidem libri noſtri habent, rura peragrantes, vt & vulgati. placet tamen mihi Langij coniectura, qui cùm in vno ex ſuis codicibus antiquis animaduertiſſet, abeſſe vocem, rura, coniecit legendum eſſe, peregrinantes.*

2 *Cùm tanquam ad mercaturam*) *malim legi ad mercatum: tametſi & noſtri libri ſic habeant, & Nonius ita legat.*

3 *Breuiter eſſe tactum.*) *ſic habent libri veteres: vulgati autem tractatum: quos ſequi malueram, quia videtur mihi Cicero, ſi vocem, tactum poſuiſſet, aduerbium, leuiter, adiunctus fuiſſe potiùs, quàm, breuiter. contra, tractatũ breuiter, conue-*

conuenientiùs dici puto, quàm, tractatum leuiter. verum tamen ſequamur libros vet.

4 Quin à Panætio ſuſceptum ſit, ſed derelictum) libri veteres habent, ſed relictum. ſed librariorum erratum eſſe puto: quamquam relictum, non reicio.

5 Accedit eodem teſtis locuples, Poſidonius) quamuis apud Nonium legatur locupletis: veteres codices tamen ſequi malui: cùm præſertim dici poſſit, erratum eſſe librariorum in Nonio, quia diſertè non dicat, locupletis, poſitum eſſe à veteribus in caſu recto pro, locuples.

6 De eo fortaſſe dubitari poteſt) libri noſtri habent, diſputari poteſt, ego tamen nihil muto.

7 Quod item in poëmatis: in pict. vſu venit &c.) ſic edendum curaui, rationem. & ducrum v. c. auctoritatem ſecutus. Nam alij ſic habent, Quod autem in poëm. planè mendoſè.

8 Diſſoluetur omnis humana conſortio) ſic habent omnes libri veteres, & quos vidi, & quos non vidi vt alij teſtantur: quos quare non ſequerer, nulla cauſa viſa eſt.

9 Vel etiam ipſius animi, quæ vacent inſt.) locus perobſcurus, quæ ſunt enim illa animi commoda, quæ vacent iuſtitia? aut quæ horum verborum vis, ac ſententia eſt? Planè res eſt inexplicabilis. Ego, ne lectorem morer, membrum vnum hîc deeſſe puto, à ſcriptore librario errante, atque oſcitante, propter vocum ſimilitudinem, præteritum. Sic igitur legendum auguror, magis arbitrari eſſe contra naturam, hominem homini detrahere ſui commodi cauſſa, quam omnia incommoda ſubire vel externa, vel corporis, vel animi: & rurſus, magis eſſe ſecundum naturam, hominem, ſi modò ſine incommodo ſuo facere poſſit, homini conſulere, ac prodeſſe, quàm omnia commoda vel externa, vel corporis, vel etiam ipſius animi, percipere, quæ vacent iuſtitia. Hæc enim, &c.

10 Sed potiùs ſumma diſtractio eſt.) Secutus ſum libros vulgatos nam manuſc. habent, & potiùs, quod erratum librariorum eſt. Nam omiſſum eſt ſ, propter vocem, quæ proximè antecedit, tyrannis. ſet, autem ſcribebant interdum per t. ita

*ita in omneis libros irrepſit, &. pro, ſed.*

11 *Tunc non vtilitas relinquenda eſt*) codices *Memmiani duo, & nonnulli alij, quibus vſi ſumus, ſic habent, relinquenda eſt: quam ſcripturam probo: vulgatam autem reiicio, requirenda eſt. nam præter auctoritatem veterũ codicum ratio poſtulat, vt ita legatur. hoc enim ſignificat Cicero, Si cùm ſpecies vtilitatis obiecta eſt, ve attentè conſiderata, videas turpitudinem adiunctam ei rei, quæ ſpeciem vtilitatis obiecerit: non eſt ita ſtatuendum, vtilitatem propter illam turpitudinis adiunctionem, relinquere, id eſt, repudiare, atque aſpernari oportere, ſed intelligendum, ac ſciendum eſt, vbicunque inſit aliqua turpitudo, ibi vtilitatem eſſe non poſſe.*

12 *Cùm aliquid, quod vtile viſum eſt, arripuit.*) *Langius admonet in duobus libris veteribus ſcriptũ eſſe, arripium, & ſecernunt: quod probat: & ait figurate dictũ eſſe. Noſtri libri nihil hîc à vulgatis diſcrepant. quamobrem eos ſequimur.*

13 *Cùm terra diſceſſiſſet, &c.*) *ſic legẽdum eſt, non deceſſiſſet. & ita legit Nonius in verbo diſcedere, quod ille interpretatur, hiare, diuidi, diſtendi. diſceſſiſſet igitur, id eſt, diuiſa eſſet. dirupta eſſet. Sic enim Plato, vnde hæc ſumpta ſunt, ῥαγῆναι τε τὴν γῆν, καὶ χάσμα γίγνεσθαι, &c, hoc eſt, rupiã eſſe terrã, & hiatũ factũ. Sic Virgil. Aeneid. 9. video mediũ diſcedere cœlũ. Quod autẽ alij quidam legũt, deſediſſet: etiã illi errant, aliud eſt enim, terrã deſidere, aliud, terram diſcedere.*

14 *Cùm in lucem annullum inuerterat*) *ſic edidit Paullus Manutius, & item alij. libri veteres tamen habent, in locum: quos ſequitur Langius: ego autem vulgatos. nam hæc lectio magis conſentanea videtur cum verbis Platonis: ex cuius libro ſecundo de Rep. hæc ſumpta ſunt. Sic enim Plato, τὴν σφενδόνην ἔξω τρέψαντα, id eſt, cùm palam annulli extra conuertiſſet. Extra, id eſt, ad lucem.*

15 *Quamquam non poteſt id quidem*) *In libris veteribus non eſt negatio: quæ tamen videtur neceſſaria: & reperitur in libris vulgatis, hoc modo, quanquam non poteſt id quidem. ſententia autem hæc eſt: negant fieri poſſe, vt id diis, hominibus q̃*

*busq; semper ignotum futurum sit: atque hoc pacto, exemplum hoc Platonicum eludunt, atque inane esse dicunt: sed pueriliter & ruſtice faciunt, quamquam fateor ita rem esse, vt dicunt: hoc est, fieri non posse, vt facinus aliquod, dijs, hominibusq; semper ignotum futurum sit.*

16 *Vt, si ille non reuertisset) in libris manuscr. non sunt hæc, ad diem, quæ reperiuntur in vulgatis, post verbum, reuertisset.*

17 *Sed quid faceret? nondum enim, &c.) Atqui quid ei opus erat hac de dolo malo formula? nónne poterat agere, & ius suum experiri, actione exempto, quæ actio bonæ fidei est, & doli persecutionem continet? Dic nouationem hîc esse factum, & exemptione stipulationem.*

18 *Non placuisse maioribus nostris actus) nonnulli ex libris veteribus nostris habent, astutus, pro astus.*

19 *Mala bonis anteponit) nostri libri, vt & Langiani habent, ponit antè.*

20 *Sed vinculis & carcere fatigandi) cùm libri nostri veteres omnes habeant, & carcere fatigandi: quomodo & Langiani: sic legendum censeo, quamuis vulgata lectio, sed vinculis & carcere castigandi, non sit reiycienda.*

21 *Homines eiusdē ciuitatis potentissimos) omnes libri veteres habent, homines eiusdē ætatis potentissimos: quod probo.*

22 *Non erat æquum principes ciuitatis) libri Memmiani habent, principes ciuis. Quam scripturam si probabimus (non video autem cur improbemus) ciuis, scilicet accusandi casus erit, numeri multitudinis.*

23 *Qui fons est fraudium) sic est legendum: & ita habent libri veteres omnes.*

24 *Hæreditates omnium posse conuertere) sic est sine dubio legendum, & ita scriptum est in duobus libris antiquissimis, & longe optimis: quomodo & Langius admones legi in aliquot suorum. Atque vt magis credas ita legēdum, nulli libri habent, ad se, adscripta sunt, scilicet, ab aliquo magistro semidocto, cùm fortasse ex, conuertere, prius fecisset, con-*

uertere. Est autem trãslatio à piscatoribus, qui genere quodã retis, quod euerriculum appellant, magnam vim piscium corripiunt. Potest etiam dici translationem esse ab ijs seruis aut ancillis, quæ scopis & verriculis quisquilias & sordes domus vnum in locum conuerrunt, vt postea in vnum acerum congestas parvo negotio auferãt. Eadem translatione vsus est Horatius sat. 4. lib. 2. Nec satis est cara pisces auerrere mensa, &c. Sic enim scriptum est in libris manuscript. atque ita legendum: quamuis hic locus in nostra editione prima cum vulgatis consentiat, culpa operarum.

25 Iactabatur enim temporibus, &c.) hæc Langius non putat esse Ciceronis: cui assentior, ea tamen retinui, neq; ausus sum tollere, quia in omnibus libris antiquis reperiuntur: tantum iussi dissimilibus literis imprimi.

26 Hæc sunt, quæ conturbant in delib.) in nostris libris nõ est vox, homines: & verò videtur ab aliquo semidocto adiecta.

27 Se conuertat quis in beluam) nihil muto: sic enim habent libri, & quos mihi Memmius suppeditauit, & alij, quãuis Langius alios libros secutus, vt ait conferat, ediderit. Prætereà supra vbi idem ille edidit, vt videas, quæ sit in ea specie, &c. nos, species edidimus, quia sic in nostris libris omnibus antiquis scriptum reperimus. Neque verò Langij sententiam probare possumus, qui per speciem, euentum illum & factum vel huius, vel illius Marij significari putat. Nam apud iurisconsultos nomen, species, hoc interdum significat. apud Ciceronem, non item. ibi igitur in ea, subintelligimus, intelligentia tua.

28 Hanc cupiditatem siquis honestam esse ducit) omnes libri veteres, quos vidimus, habent esse dicit. neq; aliter edidit Langius. Rinius tamen legendum censet, ducit: quod probo.

29 Coner auertere) legendum videtur, auellere: si librorum antiquorum auctoritatem sequi volumus: quamquam non nulli habent, diuellere: quod minus probo.

30 Verbo inter se discrepare, vnum sonare videantur) videtur legendum, re vnum sonare vid. id est, ex obscuris duorum li-

*librorum veterum literarum veſtigijs.*

31 *Vincat vtilitas*) *quidam libri manuſcr. habent, vincas reip. vtilitas.*

32 *Eijcere de naui velit, quia ſua ſit.*) *ſic legendum: & ita habent omnes veteres codices. eſt autem ratio quam affert dominus nauis, quare nauigantem in alto, è naui eijciat. quo modo autem in vulgatis legitur, eſſet ratio Hecatonis propter quam neget à nauis domino eum qui in alto nauiget è naui eijci debere.*

33 *Qui venenum fugiens vendat*) *libri ferè omnes veteres, quibus vſus ſum, habẽt, venenum fugiens: quomodo & Barnabus Briſſonius ſe in vno item libro antiquiſſimo ſcriptum vidiſſe mihi aſſeuerauit, idq; literis mandauit. probat enim antiquam hanc ſcripturam: & ait per, venenum, ſignificari bonum & ſalutare venenum, ſeu pharmacum. fugiens autem, id eſt, cuius vis & virtus euanuerit.*

34 *Hæc ſunt quaſi controuerſa iura Stoic.*) *ſic legendum eſt, ratione poſtulante, ac permincente: quam & veteres codices adiuuant. Dicum autem Latini ius controuerſum, id eſt, ius ambiguũ, quod opponitur certo, & de quo nulla cõtrouerſia eſt.*

35 *Luce palàm in foro ſaltet*) *ſic olim reſtitueram ex Nonio, luce claro in foro ſaltet. nam cùm apud Nonium legiſſem, quo loco docet veteres ſurpaſſe vocem, lux in genere fœminino & maſculino, M. Tull. 3. de Offic. Et cùm prior ire luce claro non queo putaram Nonium dormitaſſe, & hunc locum proferre voluiſſe. Nunc ſiue Nonius dormitarit, quod veriſimile eſt, ſiue quid aliud ſit, lectionem vulgatam, à qua non diſcrepat antiqua, retineo.*

36 *Promiſiſſe nollem*) *ſic habent noſtri libri. Longius autẽ ex veſtigijs antiquæ cuiuſdam ſcripturæ legit, promiſſionem, Omnino hæc vulgata, & recepta mihi ſuſpecta eſt. Videtur enim legendum potius, Promiſiſſet nollem. Paullò antè, quod promiſerit illi; non, quod promiſerit ille: vel delendum: ille, cuius vocis nulla exſtant in libris veteribus veſtigia.*

37 *Quæ erat talis*) *has treis voces iuſſi olim alijs literis im-*

*primi, approbata Langij coniectura, qui eas putat esse alienas: ego tamen, quod ille fecit, non sum ausus eas expungere, propterea quòd reperi in nostris veteribus libris omnibus. Idem libri habent pallò pòst, domui suæ, vt & Langiani: vbi vulgati, quos secuti sumus, domi suæ, non pugnaturi, si quis huic vulgatæ anteponat scripturam antiquam.*

38 *Ad dictaturam gerendam add.*) *sic habent omnes ferè nostri libri veteres: quod eo adscripsi, quod quidam deleruns vocem, gerendam. neq; tamen reprehendo factum: nam fieri potest vt foris illata sit: & potest abesse: sed testatum volui, eam in libris manuscr. reperiri.*

39 *Et cum prima luce*) *& prima luce, habent libri omnes vulgati, & item aliquot manuscr. neq; aliter edidit Langius: sed alij manuscripti, & cum prima lucet: quod magis probo. sic enim loquebantur veteres.*

40 *Idem acerbè senerus in filium*) *sic Nonius legit. & ita habent nostri aliquot libri manuscr. vbi vulgati, acerbus & seuerus. Nos libros veteres sequimur, & Nonium.*

41 *Fraus enim distringit, non dissoluit periur.*) *nihil muto, sic enim habent omnes libri manuscr. & vulg. quos vidi, præterea distringere, est diuersis partibus stringere: longeq; aliud significat, quàm destringere, & propè contrarium: vt cùm dicimus, destringere ferrum, Langius tamen legit hoc loco, adstringit, & ita olim ediderunt operæ meo iniussu, atq; adeò me inuito.*

42 *Omnibus ignominijs notatos*) *nonnulli libri manuscr. habent, omni ignominia annotatos: quod à Cuiatio nostro iampridem est obseruatum.*

43 *Cum his, viris, equisq;, &c. Omnes fere libri veteres habent, veris, equisq;: vnde alij faciunt, velis, equisq;: vt habent vulgati. alij, viris, equisq; quos sequimur.*

44 *Si talibus monitis, &c.*) *Sic restitui, libris omnibus inuitis, in quibus & scriptum & impressum est, talibus monumentis.*

EIVS-

# EIVSDEM DIONYSII LAMBINI NOTÆ IN CATONEM MAIOREM.

1 *Si quid ego adiuro.*) Sic nunc edendum curaui, nam olim adiuero, editum fuit: quod in pleriſq; libris manuſcriptis reperitur, neq; multum intereſt vtro modo legatur, adiuero, an adiuro. Sic enim vtrumq; vſurpatur à Latinis. adiuro igitur nunc magis probo, quàm adiuro. Dictum autem adiuro pro adiuuero. Iam leuaſſo, pro leuaro, antiquum, cuius generis multa ſunt apud Plautum.

2 *Et verſat in pectore fixa*) cùm omnes ferè libri manuſc. habeant, verſat in pectore fixa, ſic mihi num., vt edatur, faciendum eſſe exiſtimaui: quamuis olim vulgatos ſecutus ſum, verſat ſub pectore fixa.

3 *Ecquid erit præmi?* ſic habent omnes ferè libri manuſcripti, quos ſequor, pauci cum vulgatis conſentiẽtes. Ecquid erit pretij: quam lectionem nunc minus probo, quamuis ſciam veteres interdum vſurpaſſe pretium pro mercede. Horatius epiſt. ad Quinctium, lib. 1. Nec furtum feci, nec fugi, ſi mihi dicat Seruus: habes pretium: loris non veteris, ait, Plautus Aſin. Promerenti optimè, hoccine pretij redditur? Catull. ad Ruſum. Rufe, mihi fruſtra, & nequidquam cognite amice, Fruſtrà: immò magno cum pretio, atque malo?

4 *Flamininum*) ſic habẽt omnes ad vnum libri veteres: & ita ſine dubio legendum. Significatur enim T. Quinctius Flamininus, vi Philippum bello ſuperauit: qui aliquot annis poſt ad Pruſiam regem legatus miſſus, ab eo impetrauit, vt Hannibalem, quem ille penes ſe habebat, vt hoſpitem, aut ſupplicem, ſibi proderet. Non venit tamen Hannibal in Flamininì poteſtatem, ſed cognito, ſe à Pruſia eſſe proditum, & Flaminino condonatum, veneno ſibi mortem conciuit. Huius frater erat L. Quinctius Flamininus, quem Cato in cenſura ignominia notauit, & è ſenatu eiecit, quòd, cùm conſul eſſet in

*Gallia exoratus fuerat à scorto quadam, vt aliquem eorum qui essent in vinculis, damnati rei capitalis, securi feriri iuberet.*

5 *Ille vir haud magna cum re, sed plenus fideij*) *sic habent omnes nostri libri veteres, in his Cuiacianus, & Pithœanus, & Danielis, & tres Memmiani, & duo Huraltini, quod eò notaui, nequis me temerè nonnullos vulg. secutum esse scriptos manu improbasse existimet: in quibus affirmant quidam reperiri. haud magna in re, sed &c.*

6 *Eandem accusant adeptam*) *Omnes libri veteres sic habent adeptam, pro quo vulg. adepti.*

7 *Tanta est stultitiæ inconstantia*) *sic est emendatum in codice Memmiano ex tribus codicib. manuscr. quibuscum totidem alij consentiunt. quocirca de veritate huius scripturæ non est dubitandum. Nam quòd in editione Langij impressum est, tanta inest, &c. mendosum est.*

8 *Qua nobis quoque ingred.*) *nonnulli libri veteres habent, quam nobis, &c. quæ scriptura fortasse recta est. sic enim loquebantur veteres. Lucret. lib. 1 æternas quoniam pœnas in morte timendum. & ita sæpe: de quo genere dixi in commentarijs Lucret. Iam quin Latini ita loquantur, ingredi viam, nemini Latinè scienti, dubium est.*

9 *Omni ætati mol.*) *Codices aliquot Memm. habent, omni ætate.*

10 *Nec insipienti etiam in summa copia. &c.*) *legendum, vt habent cod. Memm. & Langiani, etiam in summa copia, &c. atque ita olim edi iusseram. nam libri vulg. non habent, etiam.*

11 *Non solùm quia nunquam deserunt*) *Aduerbium nunquam, abest à nonnullis libr. manuscr. & fortasse rectè. sequitur enim negatio, ne, quæ vna satis est. veruntamen nihil muto, nam sæpe duæ negationes etiam apud Lat. magis negant.*

12 *Quintóque anno post ad Tarentum: deinde quæstor, &c.*) *quamuis ita legendum putem, partim nonnullos cod. manuscr.*

*nuscr. secutus, partim coniectura ductus: non damno tamen Caroli Langij & Pighij emendationem, quæ talis est. Quæstor deinde quadriennio post factus sum, &c.*

12 *Patientia sua molliebat) sic legendũ cẽseo, vt est in libris vulg. & plerisq; manuscr. quo modo legit & Nonius in voce, mollis, A Langio autem, qui nõ dubitat, quin à Cicerone moliebatur, scriptum sit, valde dissentio. nam si, moliebatur à Cicerone scriptum esset ad hoc, quod ille vult, exprimendum, additum esset, ab vrbe. alioqui verbũ, moliebatur, nullo modo hîc locum habere potest. molliebat autem, valde quadrat. Hoc enim significat Fabius Hannibalem, facinora audaciæ plena, & feruida, qualia sunt iuuenum, quæ Græci dicunt, νεανικὰ & ijdem, νεανιεύεσθαι, id est more iuuenum. qui sunt feroces, & audaces, res magnas, & animi plenas aggredi, & facere. Fabius igitur Hannibalem, facinora audaciæ, & animi, & feruoris plena edentem, frangebat, & mollem reddebat, & eius conatus inaneis & irritos efficiebat. Hæc est Ciceronis sententia: quòd continuò probaturos confido homines Latinè doctos. Nam interdum Langius, & nonnulli eius simili linguæ Latinæ ignoratione, turpiter labuntur.*

14 *Quæ contra remp. fierent, &c.) Sic habẽt nonnulli libri veteres. Alij, quæ cõtra remp. ferrentur, contra auspicia ferri.*

15 *Et M' Acilius,) sic legendum. Sic enim nominatur ab omnib. historicis, Manius Acilius Glabrio. Sic infrà, M' Acilio Glabrione consule.*

16 *Antehac, dementes sese flexere viaï?) sic legendũ cẽseo. Neq; verò mihi difficile fuit ex, via, quod est in libris manuscr facere, viaï, pro quo vulgò legitur, ruina. Viaï, autẽ cohæret cũ aduerbio, quò, vt sit, quò viaï. quod miror à Langio nõ esse animaduersum. Iã mẽtes demẽtes, tale est, qualia illa, nuptiæ innuptæ, sepultura insepulta, δῶρα ἄδωρα, γάμος ἀγαμος, & similia sexcẽta qui autẽ hos versus aliter legunt, delirant.*

17 *Nihil igitur afferũt,) sic legẽdũ, & ita habẽt o. v. c. quos quidẽ viderĩ: nõ, asserũt. vt quidã linguę latinę ignari sõniãt.*

18 *Similesq; sunt, vt si qui) Negat Langius reperiri hæc*

verba, similesq́, sunt in vno libro vetere, & censet delenda. Ego & in codicib. Memmianis integra, reperi, & in membrana antiquissima P. Danielis Aureliani, iuuenis eruditi. Quin ne quid dissimulem, in ea membrana primò scriptum fuit, similesq́, sunt ijs, qui gubernationem, &c. deinde alia manu postea suprà scriptum est, vt si qui, &c. salua tamen & integra priore & antiquiore scriptura.

19 Et, quo modo Karthagini iamdiu bellum cogitanti) Sic emendatum est in codic. Memm ex auctoritate duorum codicum manuscr. Alij quidam veteres habent, Karthagini iamdiu male cogitanti: & ita scriptum reperi in membrana P. Danielis. In quib. omnib. non est verbum, inferatur: neque habuit in suis Langius: vt apparet ex eius editione. Duas autem voces, seu vnam, quomodo, nos in omnib. Reperimus: quam ille vel non reperit, vel delendam putauit.

20 Quàm illam exscissam cognouero) Tertiò iam admonui sic esse scribendum, excissam. est enim à verbo, exscindo, ex quo & exscidium, non excîdo.

21 Prouehebantur ad res, &c.) sic restituit hunc locum B. Rhenan. ex vet. codic. in annot. ad Cornel. Tacitum. nam vulg. habent, prouenichant oratores noui, &c. mendosè autem hîc operæ olim impresserunt, Prouehebant res, &c.

22 Prudentia, senectutis.) Quidam libri veteres habent prudentia senescentis: quòd si probabimus, subintelligendum erit ἀπὸ κοινοῦ, ætatis.

23 Quod propter studium cùm, &c.) id est, propter quod studium &c. διαστροφὴ.

24 Quamquam in ijs, &c.) Nonnulli codic. vet. habent: quamquam in alijs, &c. quod siquis probet, in alijs, id est, in ijs quæ sciunt ad se pertinere. Omnino magis placet ea lectio, quam secutus sum, in his, hoc est in serendis, percipiendis, cõdendis fructibus. sequitur ratio. nemo enim est tã senex, &c.

25 Et videtis annos. sed tamen &c.) sic habent 8. v. c. quos quidem viderimus: neque in eis comparet, tamen, ante verbum, videtis: neque, meos, post vocem, annos.

26 Vt

26 *Vt adolescentiam non requireret.* ) *Sic legendum, non* (*vt edidit Langius*) *anquireret. Nam, vt omittam, quòd ratio hanc, quam secutus sum, scripturam flagitat, etiam eam confirmant codic. Memm. Cuiatianus, Clericanus, Huraltinus, Danielis, ceteri.*

27 *De virtutibus suis prædicet* ) *sic legendum & ita habent omnes libri veteres, quos quidem viderim: neque ratio hanc scripturam respuit, sed valde approbat. Nam quòd quidam nouitij in lingua Latina, asseuerant commutandum virtutibus, in, viribus, valde falluntur. Existimant enim virtutem non dici nisi de recto animi habitu, cùm apud bonos scriptores legamus, virtus militum, virtus imperatoris, virtus equi, virtus bouis, virtus arboris, & similia sexcenta. Itaque cùm dicit M. Tullius Nestorem apud Homerum de virtutibus suis prædicare, simile est, vt si diceret* περὶ τῶν ἑαυτοῦ ἀριστειῶν, ἢ περὶ τῶν ἀνδραγαθημάτων, *&c. hoc est de suis fortibus factis: parum enim refert vtrum qui habitus, an opera, quæ ex habitibus proficiscuntur, commemoret. Possem ex Plauto, Terentio, Cicerone, Cæsare, Liuio, Cornelio Nepote, ceteris, exempla colligere: sed pidet me in re tam nota tempus conterere, præsertim aliò properantem.*

28 *Tempestiuitas est data* ) *Sic habent omnes libri manuscripti, quos quidem viderim: quos malui sequi, quàm Nonium, qui legisse videtur tempestas.*

29 *Vt & infirmitas puerorum*) *vulg. lectionem reieci, quæ talis est. Vt enim infirmitas puerorum est, & ferocitas iuuenum, & grauitas iam constantis ætatis. sic senectutis maturitas naturale quiddam habet, quod &c. Nam nullis in veteribus libris reperi nec, enim: nec, est: nec, sic: in omnibus contra legitur, quiddam habeat: vnde totus hic locus ex superioribus videtur pendêre, atque ita legendus esse: suaq; cuique parti ætatis, tempestiuitas est data: vt & infirmitas puerorum, & ferocitas iuuenum, & grauitas iam constantis ætatis, & senectutis maturitas, naturale quiddam habeat, &c. quod item admonuit Langius, sed obscuriùs.*

30 *Hospes tuus auitus*) *Iam pridem sic esse legendum admonuit Lactantius, iurisconsultus doctissimus.*

31 *Sed commune valetudinis*) *Langius edidit, innaletudinis: quod & ego reperi in nonnullis libris.*

32 *Eiusque vitia diligentia compensanda sunt.*) *In codice Memmia. ex duob. antiquis scripta est hæc emẽdatio, compensanda sunt. Vnde, suspicor, Langium, cùm ita in suis scriptum reperisset, feciſſe, compescenda sunt. quod nusquam reperi. vulgati habent, corrigenda sunt.*

33 *Sed menti, atque animo multo magis*) *Sic habent omnes farè libri veteres: sed menti, atq; animo multo magis. Sed fuit cùm ita legendum putarem: sed & menti, atque adeò multo magis. Neque me huius coniecturæ pœnitet. sequitur enim deinceps: Nam hæc quoque, &c. hæc scilicet mens. Quòd si, animo, scripsisset Cicero, subiunxisset. Nam hic quoque, &c. Mendosè autem hîc operæ fecerunt olim, Num, pro, Nam.*

34 *Nisi tanquam lumini oleum instilles*) *Docti quidam legendum censent, tanquam elychnio.*

35 *Comicos stultos senes*) *sic legendum est, non comicus, neque, coamicos, &c. comici senes autem dicuntur, quales introducuntur à poëtis comicis, credulî, delîri, leues, amatores, stulti, qui facilè decipiuntur à seruis, ridiculi denique.* 8

36 *Si nemini emancipata est*) *Sic esse legendum iampridem admonui, idq; ex Nonio. Emancipare autem valet, alteri in manum tradere.*

37 *Si vsq; ad extr. spir. dominatur in suos*) *libri quidã veteres habent: si vsque ad vltimũ spiritum vindicet ius suum.*

38 *Et cruditate & insomnia*) *libris omnibus inuitis emẽdo, insomnia. Insomniam autem interpretor ἀπνίαν, id est, somni capiendi difficultatem, seu potius, somni priuationem: quo nomine vtitur & Terentius in Eunucho: Nam aut iam reuertere: aut mox noctu te adiret horum insomnia. non est autem dubium, quin vinolentiæ, & cruditatis comes sit insomnia. Senes autem quamuis non sint admodum somnolenti, sed leuisomni potiùs, vt loquitur Lucretius, dormiunt tamen*

*men facilè, & tranquillè propter continentiam, & moderationem, quam adhibemo in cibo, & potione. Iuuenes contrà propter crudinates ex vinolentia, & edacitate natas, nocteis insomneis & doloris, ac moleſtiæ plenas traducunt.*

38 *Crebro funali, & tibicine*) *ſic habent libri omnes manuſcripti: & ita edidit Langius: cui aſſentior. Nam (vt ait idem) non dicit M. Tullius Duillium vno funali delectari ſolitum, ſed multo & crebro. Si quis tamen malet legi, cereo, quod alij ſubſtituerunt, non pugnabo, teſtabor tamen hanc eſſe ſcripturam antiquam, & (vt arbitror) rectam & veram.*

39 *Accubitionem epularem*) *Nonius legit, accubitionem quem ſequimur: cum præſertim cum eo faciant nonnulli libri veteres. nam libri vulgati habent, accubationem.*

40 *A ſummo adhibetur*) *deleta voce, magiſtro, ita hîc legendum cenſueram olim: qui à ſummo adhibetur: quamuis omnes, quod vidi, libri eam habeant. A ſummo autem, id eſt, ab eo, qui ſummus accumbit. In conuiuijs enim alij ſummi accumbebant, alij imi: vt docuimus in commentar. Horat. Et nunc in ſententia maneo, cum præſertim Turnebus mihi ſuffragetur. Aduerſ. lib. XIII. cap. VI. vbi teſtatur ſe in libro antiquiſſ. hanc vocem, magiſtro, non reperiſſe. Et vero alius eſt is, qui magiſter dicitur, alius, qui ſummus accumbit. Præterea magiſter ſine epitheto, ſummus cõuiuij dominus, & rex intelligitur, hoc eſt συμποσιάρχης. Quare vox, magiſtro, delenda eſt, vt ab aliquo ſciolo addita, & ſuperuacanea. Deinceps autem malim legi, in poculis: vt habet liber Danielis, & Pithœi, quàm, vt alij, in poculo.*

41 *Ergo non deſiderare, dico eſſe iucundius.*) *Ex libris manuſcriptis alij ſic habent, ergo hoc non deſiderare, &c. alij non habent pronomen, hoc: alij habent, ergo hæc non deſiderare: quos Langius ſecutus eſt. nulli habent hoc totum, quàm frui. Et verò res ipſa loquitur ab aliquo eſſe adiectum. Nam ſatis ſubintelligitur ex ſuperiore illo loco, iucundius eſt carere, quàm frui. Sed in hoc præterea immutauit ètiam vulgatam lectionem Langius, quòd non, Ergo hoc, ſed*

*Hoc ergo, edendum curauit.*

42 *Primùm prauis fr. r.) sic esse legendum, cum superiora declarant, tum illud, quod est in adolescentia vitiosissimum, libri manuscr. ferè omnes habent, primùm parunlis, &c. vulg. paruis fr. xcb.*

43 *Vapore & complexu suo) libri veteres habent, & compressu suo: quos secutus est Langius: & laudo factum.*

44 *Et elicit herbescentem, &c.) legendum fortasse est, & eiicit: in quibus verbis sæpe variatum est.*

45 *Aut ex acino vinaceo) Omnes libri veteres habent, ex acino vinaceo quos sequor. alij, vt acino vinacei.*

46 *Et nimios solis defendit ardores,) sic habent omnes libri & manuscripti, & typis excusi neque est, quod quisquam mendosum suspicetur: &, defugit, quod Gaza fecit, reponendum putet. nam defendere hoc loco valet, propulsare, arcere, sic Horat. satyra 3. lib. 1. & tota, quæ defendere frigus, Quamuis crassa queat. Cæsar. lib. 1. de bello Gall. quòd non bellum intulerit, sed defenderit. Cicero de offic. lib. 3. etenim si is, qui non defendit iniuriam nec propulsat, &c. Plautus Mostell. Heus, ecquis hîc est, maximam qui his iniuriam Foribus defendat?*

47 *Quibus nihil inuenit agricula.) legendum vt habent omnes libri veteres, agrituluua, non vt vulg. agricola.*

48 *Et penuria est) libri veteres omnes habent, penaria.*

49 *Superuacaneis operis) sic legendum est, & sic habent nostri omnes libri veteres. quod eò adscripsi, quòd Langius edidit, superuacanei operis, &c. quod ferri non potest. superuacaneæ operæ sunt, eæ, quæ de necessarijs reliquæ sunt, & quæ remissionis animorum causa sumuntur.*

50 *Idipsum tamen, vt lubebit.) secutus sum olim libros vulgatos. Nam manuscripti habent, idipsum tamen vtrum lubebit, quod nunc magis probo. Quin pauci admodum habent particulam, tamen. quæ mihi tamen videtur necessaria. aut, nisi adscribatur, sic legendum videtur. Atque id ipsum vtrum lubebit.*

51 *Qui*

51 *Qui afflarentur è floribus*) *ſic habent tres codices manuſcr. Curatianus autem, efflagrarentur. vnde facilè fieri poſſet, efflarentur. poſſet tamen etiam indidem elici, efflagrarent: ſed iudicent acutiores. ego, afflarentur, probo, neque, efflarentur, tamen damno. afflarent, etiam, quod tamen nuſquam repe i, ferri poteſt.*

52 *Ad centeſimum annum accepimus vitam perduxiſſe*) *noſtri ferè omnes libri veteres non habent, vitam: neque videntur habuiſſe Langiani.*

53 *Illud ellogium, Vno ore quem, &c.*) *Olim aliter: nunc ſic edendum curaui. noſtri enim omnes libri veteres habent, ellogium vnicum plurimæ, &c. Monit me ſimilis locus lib. 2. de Finibus. Vocem, vnicum, autem retinendam puto, ita vt cohæreat cum, virum, & ita legatur: in quem illud ellogiũ, Vno ore quem vnicum plurimæ conſentiunt, &c. credibile enim eſt tres voces, vno ore quem, à librario eſſe omiſſas, propter ſimilitudinem nominis, vnicum. Quòd ſi quis hoc totum, vno ore, delendum cenſebit, propterea quòd nõ reperitur in libris manuſcriptis, non repugnabo. ellogium autem, ſeu, elogium, quare edendum curarim, non, vt vulgò elogium, alibi cauſam expoſuimus.*

54 *Quanta in altero duritas*) *diritas edendum curauit Langius, Nonius ſecutus: & item ego olim. ſed liquet mihi deierare, me in nouem codicibus veterib. planè reperiſſe ſcriptum, duritas: idq; mihi longè magis placet, quam, diritas, rectéq; opponitur comitati: non item, diritas. Præterea parciores & ſeueriores in filios patres, duri & ferrei dicuntur, non, diri.*

55 *Aut etiam optanda*) *ſic habent libri veteres, alij appetenda. Doctus quidam exiſtimat legendum, oppetenda.*

56 *Quum id, quod*) *legendum fortaſſe eſt, quòd id, quod.*

57 *Vſque ad plaudite, veniendum*) *ſic libri veteres ferè omnes habent, & ita edidit Langius. vulgati autem, viuendum, quod quamuis non damnem, hoc alterum tamen magis probo. eſt enim venuſta tranſlatio, vt & infrà paullo poſt, ibi*

*ſin proceſſeris longiùs*: id eſt, *ſin diutiùs vixeris*. *Præterea paullo antè proximè, vbi ceteri libri habent, ſapienti vſque ad laud. plerique è noſtris habent, ſapientib. vſque ad pl.*

58 *Certis q; ſenſib.*) *ſic plerique habent libri veteres. nonnulli vulgati, ceteris. Quidam legi volunt, rectis q; ſenſibus.*

59 *Neque funera fletu Faxit.*) *Suffridus admonet, ſe in vno cod. manuſcr. reperiſſe ſcriptum, neque funere fletum Faxit. quod loquendi genus æquè eſt inſolens, atque illud, quod notauit Eraſmus, funera facere. Itaque quid ſi dicamus ab Ennio ſcriptum eſſe, neq; funere leſſum Faxit. Quid ſit leſſum autem, aliunde lector diſcat licet.*

60 *Et graui opere perfungimur.*) *Videtur legendum, grauii onere: vel potiùs, graui opera. ſic Lucret. parua perfunctus opella. Verumtamen nihil hîc auſim mutare ſine librorum manuſcr. auctoritate.*

61 *Delibatos animos haberemus*) *aliàs, delibratos, id eſt, decerptos & detractos, quaſi corticem detractum dicas. Nam omnino idem dicit, quod lib. 5. Tuſculan. quæſt. Humanus autem animus decerptus ex mente diuina cum alio nullo, &c.*

62 *Hæc Platonis ferè*) *libri quidam veteres habent, Hæc Plato noſter.*

63 *Ad immortalitatem & gloriam niteretur*) *ſic edi malui, quàm vt Langius, ad immortalitatis gloriam, &c. quamuis nonnulli libri veteres ſic habeant. Nam ego quoque in duobus cod. Memmianis ſcriptum reperi, ad immortalitatem & gloriam. vulgati autem habent, ad immortalem gloriam. quam lectionem non damno.*

# EIVSDEM DIONYSII LAMBINI IN LÆLIVM, SEV DE AMICITIA.

1 *Sed hi in pueris: Cato in perfecto, &c.*) *Sic nos quoque emendatum reperimus in codice Memmiano: quam emendationem*

*dationem multi alij codices manuscr. comprobant: itaq; edidit Langius. sententia autem plana est. Sed hi, inquit, quos commemoraui, L. Paulus Macedonicus, & C. Sulpicius Gallus, amiserunt filios prætextatos, & puerorum mortem moderatè tulerunt, vel, & in puerorum morte moderatè ferenda moderatos se præbuerunt: Cato verò in perfecto viro, & prætore designato mortuo moderatus fuit. quod longè maius, admirabilius, & laudabilius est. Sed iam antè hunc locum Langius explicauit, & quidem pluribus verbis. quare petat ab eo lector, si plura quæret.*

2 *Nisi enim, quod ille minimè putabat, &c.*) *locus mihi suspectus. Nam primùm quid sibi hæc volunt, quod ille minimè putabat? Verùm hoc significant, non esse optandam homini immortalitatem? an minimi faciendam esse immortalitatem, quasi scriptum sit, minimi esse putabat, seu, minimi putabat? vt edidit Langius. At quis immortalitatem partu æstimet? an per immortalitatẽ ἀπροϐίαστον significari dicemus, quod Langio videtur? Deinde quis ita loquitur, volo optare immortalitatem? quasi verò velle & optare non idem ferè valeant. Aristoteles quidem bonus auctor. lib. 3. ἠθικῶν, vbi disputat περὶ ϐουλήσεως & προαιρέσεως, in harum vocum differentijs, hanc etiam numerat, quod ϐουλόμεθα seu volumus interdum ἀδύνατα, id est, quæ fieri non possunt: sed προαιρούμεθα, id est, sumimus iam consilio capto ea duntaxat, quæ fieri possunt. En tibi velle ἀδύνατα, idem quod optare ἀδύνατα. Hæc me de hoc loco dubitare coguni. Quid si quis ita legat, nisi enim, quod ille homini faciendum non putabat, seu, fas esse nõ putabat immortal. velle, seu, optare, quid non adeptus est, &c. Quid si sic nisi enim, quod ille minimè petebat, immortalitatem petere vellet, quid. non adepti. est, &c. Quid si sic? nisi enim, quod ille minimè optabat, immortalitatem vellet, quid non adeptus est, quod &c. Verumtamen nihil mutare ausim sine codicum veterum auctoritate.*

3 *Cum ex corpore excessissent*) *sic habem nostri libri veteres, cum vulgatis congruentes. Langius autem edidit,*

exiſſent. Non diſſimulabo tamen in alijs aliquot ſcriptum eſſe è corporibus.

4 Mecum veniſſes) nihil mutandũ eſt in codice Memmiano, quamobrẽ nec ego hîc quidquã muto: quamquam Langius edidit, me conueniſſes, ſecutus alios libros etiã manuſcriptos.

5 Mærere hoc eius euentu ) iuſſeram hîc olim operas ſequi editionem Langianam, mærere hoc eius euentum, &c. Nam noſtri libri cum vulgatis conſentientes habent, hoc eius euentu quod tamen æquè probabile, & vſitatum eſt. Itaque nunc nihil muto.

6 Fama delectat, falſa præſertim. ) Has duas voces falſa præſertim, deleuit Langius pro ſuo iure, contra omnium librorum manuſcr. auctoritatem: nos retinuimus, neque tamen Langij factum improbamus. quamuis enim poſſet aliquis dicere, Catonem hoc addidiſſe, inuidiæ vitandæ cauſa, aut modeſtiæ, & pudoris gratia, tamen vix credibile eſt, Catonem tantum de ſe detrahere voluiſſe, vt famam, quæ de eo eſſet, tam præcisè falſam diceret.

7 Aut quattuor nominantur paria amicorum ) legendum puto libris omnibus inuitis, numerantur.

8 Aut inter duo, aut inter pl.) ſic eſt emendatum in cod. Memm. duo autem vſi parunt veteres in quarto caſu, pro duos, vt alias admonuimus, idq; non ſemel.

9 Qua quidem haud ſcio, an, exc. ſap. nihil melius, &c. ſic legendum, nihil melius, &c. non quidquam melius, &c.) Nam primùm ſic habent omnes ferè noſtri codices manuſcr. deinde conſuetudo Latini ſermonis, vt ita ſcribatur, poſtulat. Nam cùm Latini volunt ſignificare, verbi gratia, putare aliquid eſſe rectum, ita ferè loquuntur, haud ſcio an hoc rectum ſit. contrà cum ſignificare volunt, verbi cauſa, nihil eſſe virtute melius, hoc modo: haud ſcio an nihil ſit virtute melius, nam, haud ſcio, ponit, & affirmat dubitando, vt hoc loco, haud ſcio an nihil ſit amicitia melius, excepta ſapientia, id eſt, excepta ſapientia exiſtimo nihil eſſe amicitia melius.

10 Principiò quæ poteſt eſſe vita vitalis, &c. ) ſic habent aliquot

*aliquot è noſtris libris veterib. & rectè. Licet tamen etiam legere, vt habent alij nonnulli, quî poteſt eſſe vita vitalis, vt ait Ennius, quæ non, &c. Omnino alterutro modo, ſi libris veteribus ducibus in re aperta, vti volumus, legendum eſt. nam omnes habent, quæ, non in amici, &c. nulli, qui non in amici, &c. ex quo appâret, neque legi poſſe, quis poteſt, vt habent vulgati: neque ſi legamus, qui poteſt, accipiendum eſſe, qui, pro, quis, vt putauit Langius.*

11 *Bonam ſpem præluceat) ſic etiam noſtri libri habent. Omnino mirabiliter, & pereleganter dictum, pro eo, quod eſt, ſpem oſtendit, tanquam lucem quandam præferens, tranſlatam ab ijs, qui lucem alicui præferunt, &, vt loquitur Lucretius, lumen præpandunt: ſic ille lib. 1. Clara tuæ poſſim præpandere lumina menti.*

12 *Potuiſſe dicere) Etiam in codice Memmiano notata eſt hæc librorum antiquorum ſcriptura, potuiſſe dicere: quam non prætermiſit Langius: & ita habent cæteri codices veteres, quibus vſi ſumus, Pithœi, Danielis, Cuiacianus, quos nunc ſequor nam, potiſſimè dixiſſe, quod eſt in vulgatis, perſpicuè mendoſum eſt.*

13 *Sed aliud quoddam filum orationis tuæ) Verbum, expetimus, quod eſt in vulgatis ante vocem, filum, abeſt ferè ab omnibus libris manuſcriptis: itaque legendum videtur: ſed aliud quoddam eſt filum, &c. Et ità ferè edidit Langius. Codex Huraltinus tamen & Pithœanus, habẽt: ſed aliud quoddam filum orationis tuæ expectamus. quam rectam ſcripturam eſſe arbitror. & ita edi iuſſeram: quamquam exiſtimant docti quidam hoc eſſe ex annotatione natum: & venuſtius verbum ſubintelligi, quàm ſcribi.*

14 *Et magis à natura ipſa profecta) quidam libri veteres habent: à natura ipſa perfecta. Ego ſiue, perfecta, ſiue, profecta, quis malit, delendum puto, profecta tamen, retineo.*

15 *Aliâs aduerſis rebus) plerique libri veteres habent, alios aduerſ. r. alios, &c. Ego vulgatam lectionem retineo. Quòd ſi quid ſit mutandum, malim legi, aliorum, aduerſ.*

reb aliorum, &c.

16 Contentione vel vxoriæ conditionis, &c.) Cùm in codicibus veteribus ferè omnibus ſcriptum reperiſſem, vel luxuriæ conditionis, pro quo vulgati habent, vel luxuriæ, vel conditionis, vel, &c. ego coniecturæ ductus, vel vxoriæ conditionis reposui. Conditio autem vxoria eſt, in qua res vxoria agitur, ſeu res, quæ ad vxorem ducendam pertinet: & contentio rei vxoriæ eſt, cùm duo eandem vxorem poſcunt. & in repudijs, hæc erat vſitata verborum formula. TVA CONDICIONE NON VTAR. Fuit autem facilè librario imperito ex, vel vxoriæ, facere, vel luxuriæ, cum literam l, bis ſcripſiſſet, & poſtea ex, luxuriæ, factum eſſet à ſciolis, vel luxuriæ. Omnino luxuriæ nomen ad hunc locum ineptum eſt, & inepti ſunt qui lectionem vulg. tuentur, ne dicam pingues, & hebetes.

17 Hæc ita multa quaſi fata.) Sic habent noſtri lib. manuſcripti, nec quidquã varietatis annotatũ eſt in codicib. Memmian. Langius tamen edidit, quaſi fato: niſi forte typographi peccatũ ſit. Nos, fata interpretamur Κηρας, interitus, peſteis.

18 Lænati & Rupilio:) legendum, & Rupilio: & ita olim edi iuſſeram, non & Rutilio.

19 Perfecta quidem ſapientia ſi ſimus, nihil habeat res vitij, &c.) Aſſentior Cantero, qui ita legendum eſſe vidit. nam vulgata lectio, perf. quidem ſapientia ſimus, ſi nihil habeat, &c. ferri non poteſt.

12 In magna re aliqua in remp.) pleriq; libri veteres habent, in magnam aliquam remp. & ita edidit Langius. quod laudo factum.

13 Sed nihil eſt, quod illi non perſequantur ſuis argutijs) libros vulgatos ſecutus ſum. Nam librorum veterum alij habent, non perſequantur argutijs, alij, non perſequantur ſuis argumentis.

14 Suarum cuique rerum curam.) Bona pars librorum veterum non habet vocem, curam, eamq; deleuiſſemus, niſi in vno & altero reperiſſemus.

15 Neque

15 *Neque immanis.*) *Omnes ferè noſtri libri veteres habent, immunis, & ita edidit Langius: ita denique emendatum eſt in cod. Memm. immunis autem ſignificat interdum improbum, quemadmodum docet Nonius. & ita Plautus. quomodo fortaſſe etiam apud Horatium accipiendum eſt odæ 23. l. 3. Immunis aram ſi tetigit manus: Non ſumptuoſa blandior hoſtia Lenibit æuerſos penateis Farre pio, & ſaliente mica. Ego tamen nihil muto.*

16 *Deliciis diffluentes.*) *In hoc conſentiunt inter ſe lib. veteres, quòd habent ſine vlla varietate, deliciis, vbi vulgati, diuitiis: in eo diſcrepant, quòd alij cũ vulgatis cõſentiẽtes, habẽt, affluentes: alij diffluentes, quos ſecutus ſum. Sed dixit lib. 1. de offic. diffluere luxuria, & lib. 3. de Oratore, otio diffluentes. & Terentius Heauton. vt eius animũ, qui nunc luxuria & laſciuia diffluit, retũdam, redigã, vt quo ſe vetat, neſciat.*

16 *Itaque efferuntur ferè faſtidio.*) *ſic habent omnes noſtri codices: neque video vllum in hac ſcriptura vitium. Teſtatur tamen Langius ſe in vno ſcriptum reperiſſe, efferantur, & ita edidit: quamquam fatetur ſe vulgatam & receptam non improbare. Omnino, efferantur, hîc non placet.*

18 *In amicitiam congeratur.*) *ſic legendum, & ita ſcriptũ eſt in duob. antiquiſſimis libris. longeq; optimis.*

19 *Aut caput agatur, aut fama.*) *ſic legendum non, vt habent libri vulgati, de capite. quod non ſolùm librorum veterum auctoritate, & Gellij teſtimonio, ſed etiam ratione peruincitur. Longè enim aliud dicit qui ita dicit, agitur caput, res, fortunæ, honor: aliud qui, agitur de capite, re, fortunis, honore. Ille ſignificat, caput, rem, fortunas, honorem, in diſcrimen eſſe adducta: hîc de capite, re, fortunis, honore conſultari, aut ſermonem haberi. hoc propter quendam annotaui, qui vtroque idem ſignificari putat.*

20 *Quaſi equis tentatis.*) *Ego olim cùm hîc mihi videretur legendum, quaſi aquis tentatis, hæc, quæ ſequuntur, his ipſis verbis adſcripſeram. Alijs aliter: mihi ita placet legi: aquis tẽtatis. Primum enim in diſſentione librorũ & varietate*

*scripturæ licet mihi vel hanc, vel illam probare. quamquam in nullis codicibus antiquis reperi, tẽtatis: sed in alijs, temperatis: quod corruptum est ex vitiosa scriptura, temptatis. in alijs hoc ipsum, temptatis. In altera autem voce valdè discrepant codices. alij enim habent, equis: alij, equis: alij, aquis. Deinde similitudo aquarum tentatarũ, quòd est vsurpata à Platone lib. 10. de Legibus, mihi ad hunc locum accommodatior videtur. Est autem duabus ferè paginis post principium libri, his verbis:* σκοπειτε οὖν εἰ καθαπερ ποταμὸν ἡμᾶς ἐδει τρεῖ: ὄνται διαβαινειν ῥέοντα σφόδρα νεώτατος ἐγὼ τυγχάνων ὑμῶν, καὶ πολλῶν ἔμπειρος ῥευμάτων, εἶπον, ὅτι πρῶτον εμε χρεν πειραθῆναι κατ' εμαυτὸν, καὶ καταλιπόντας ὑμᾶς ἐν ασφαλεῖ σκεψασθαι εἰ διαβατὸς ἐστὶ πρεσβυτεροις οὖσι καὶ ὑμῖν, ἢ πῶς ἔχει, *&c. id est, Videte igitur, si, quemadmodum fluuium nos treis transire oporteret, rapidè fluentem. ego cùm essem natu minimus vestrûm, & multorum fluminũ peritus, dicerem vobis me primum & solum periclitari, & videre oportere, essẽtne fluuius ad transeundum vobis quoque facilis natu grandioribus, cùm vos in tuto reliquissem, &c. Quin ita locutus est & lib. 2 de legib. nec enim vllum hoc frigidius flumen attigi, cùm ad multa accesserim, vt vix pede tẽtare possim. Hoc igitur olim ad hunc locum annotarem, cum in hac essem sententia, vt hîc legi deberet, aquis tẽtatis. Nunc sententia mutata, equis tentatis, potiùs mihi legendum videtur, maximè propter illa verba, quæ antecedunt, sustinere vt cursum, seu, vt alij libri habent, currum, sic impetum beneuol. Ex verbis illis in hanc sententiam nunc adducor, vt M. Tullium in eadem similitudine manentem scripsisse putem, quasi equis tentatis, &c. Quòd autem & quidam, equis temperatis, probant, ab eis dissentio. neque tamen eorum aut iudicium reprehendo, aut ingenium contemno. Omnino alterutro modo mihi legendum videtur, vel, quasi aquis tentatis, vt olim edidi: vel, quasi equis tentatis: quod nunc magis probo. Nec hoc quidem dissimulabo, mihi videri sic esse legendum, quo vtamur quasi aquis tentatis: sic in amicitijs, aliqua parte periclitatis moribus amicorum: vt periclitari mores amicorum, & tentare*

*equos*

equos inter ſe comparentur.

21 Excuſatum iri ſe arbitratur) ſecutus ſum plerôſque libros vulgatos, quibuſcum duo manuſcr. conſentiunt. Nam manuſcripti fere alij omnes habent partim, obſcurari, partim, obſcuratum iri ſe: & ita edidit Langius.

22 Non eſt facile inuentu) ſic habent etiam noſtri codices: & ita emendatum eſt in codice Memm. ex auctoritate trium antiquorum. inuentu, autem ſupinum eſt, eundem caſum regens, quem verbum, vnde oritur, proinde, ac ſi dixiſſet, non eſt facilè eos inuenire, qui deſc. Mendosè autem hîc operarij iſti olim excuderunt, facilè, cum accentu: cum facile, legendum ſit ſine accentu.

23 Sed in amicitia, &c.) quidam detracta præpoſitione, in, legi volunt, ſed amicitia, &c. vt eſt in vulg.

24 Remiſſione vſus eluendæ) ſic habent noſtri libri veteres, & ita edidit Langius. Sic libro de Officijs 1. vbi lib. vulgati habent, ſenſim diſſuere, quàm repentè præcidere, veteres habent partim, ſenſim diluere, partim, ſenſim deluere. quod fortaſſe natum eſt ex hoc libro, cùm ſtudioſus aliquis literarum ad illum locum lib. 1. de Officijs adſcripſiſſet, diluendæ, aut ſupra, diſſluendæ, aut e regione Rurſus fortaſſe hoc loco legendum eſt, diluendæ, ſeu, deluendæ, quamquam eluendæ, non reijcio, diluendæ tamen mâlo: &, diluendæ interpretor, diſſoluendæ, vt ſuprà. Hoc præterea varietatis eſt in nonnullis libris noſtris, quòd habent, remiſſiore vſu. pro eo, quod eſt in alijs, remiſſione vſus.

25 Nequa amicorum diſcidia fiant) ſic emendatum eſt in cod. Memm. & ita habent libri veteres omnes. Diſcidium autem nomen eſt à verbo diſcindo natum: vt excidium ab exſcindo, quemadmodum alias diximus.

26 Et maximè naturali) quod notat Langius ſe in vno libro manuſcripto ſcriptum reperîſſe, naturabili: nos item in Memmiano reperimus notatum: & item in Huraltino ſcriptum, & Pithœano.

27 Rei maximè tam neceſſariæ) in codice Memmiano, tam,

*deletum erat ex trib. veterib. codicibus: in alijs erat posteriore loco positũ. vt nos edidimus. nã vulgati habẽt, rei tã maximè necessariæ. quę lectio ferri nõ potest, neque id simile genus est, quod affert Langius, quã facillimè, tã maximè, &c. quàm in minima spe situs erit, tã facillimè, &c. nã in eis exemplis inest collatio, in hoc nõ itẽ. Itaq; vel legẽdum, rei tã necessariæ, vel rei maximè necessariæ: vel rei maximè tam necessariæ.*

28 *Qui suum negotium gerant otiosè.) Codex Pithœanus habet, otiosi.*

29 *Timonem nescio quem.) Codex Pithœanus habet, Timonem quendam, quã scripturam rectam puto, nescio quem, autem ex annotatione natum. quod videtur & Pithœo.*

30 *Vt non acquirat aliquam, &c.) sic mâlo hìc legi, non acquirat, seu non adquirat, quàm, vt Langius edidit, non anquirat. hoc enim significat, hominem quantumuis à societate, & congressu hominum abhorrentem, non passurum, vt non sibi aliquem conciliet, comparet, adiungat, asciscat, quicum omnia sua consilia conferat, & communicet. anquirere autem aliud est. Est enim vndiq; & quoquo versus quærere. quod minùs ad hunc locum, atque ad hanc sententiam, meo quidem iudicio, quadrat.*

31 *Vt & veritas in amicitia.) Omnes ferè libri veteres habent, & vtilitas in amicitia, quos non sequor.*

32 *Lubenter vtimur.) Langius edidit, luculenter, librum vnum veterem secutus. Nos in omnibus nostris, lubenter, scriptum reperimus: neque tamen quicquam aduersus scripturam illam aut dicimus, aut decernimus.*

33 *Obiurgatione gaudere.) libri veteres habent partim, correctione, partim, correptione gaudere.*

34 *Tum amicitiæ repugnant maximè) videtur verbum, repugnat, esse aliunde profectum, neque à Ciceronе positum. sic enim videtur scripsisse Cicero: Cum autem omnium rerum simulatio est vitiosa. tollit enim iudicium veri, idque adulterat, tum amicitiæ maximè. Paullò antè alij libri habent, ad voluntatem.*

35 *Omnia aſſentiri.*) *ſic legendum eſſe, ratio & veritas vincunt: quarum vocibus qui clauſas aureis habent, quid in eis erudiendis inanem operam ſumam? Sed tamen hac de re plura in commentarijs Plautinis.*

36 *Quanta in oratione maieſtas? Quidam libri veteres habent: quantum in oratione maieſtatis.*

37 *In forum verſus, agere cum p.*) *etiam noſtri fere omnes libri veteres ſic habent, vt in ſuis reperit Langius. Itaque, vulgatam ſcripturam, verſibus agere cum pop. vt corruptam, reieci. in forum verſus, autem, interpretatur Plutarchus,* εἰς τὸ καλούμενον κομιτιον γραφεὶς.

38 *Comicos ſtultos ſenes*) *aliquot libri veteres, & quidem complures habent, comicos: quam ſcripturam damno, poſt Petr. Victorium. Comicos enim ſenes appellat qui in comœdijs inducuntur, ſtultos, leueis improuidos, futileis, obliuioſos, credulos, &c. vt ſuprà diximus, in Catone. paullo poſt, ſcripturæ veteris veſtigijs ducibus, legẽdum cenſeo, inſtructis lautiſſimè.*

# EIVSDEM DIONYSII LAMBINI IN PARADOXA STOICORVM

1 *Nullis oratorijs ornamentis adhibitis*) *A libris ferè omnibus veteribus abeſt, nullis in vno eſt, vel, pro, nullis: ex quo ſuſpicor, nullis, librariorum culpa à libris veteribus euaniſſe. quod reſtitui. Idque eo fidentius feci, quod in vno, eoque antiquiſſimo, Stoicè ſolet oratorijs ornamentis non adhibitis, quamquam non, tranſuerſa linea à neſcio quo confoſſum erat.*

2 *In acceptum vt referas, &c.*) *ſic & olim edidi, & maneo nunc in ſententia. mouet me complurium codicum manuſcript. auctoritas, qui cum vulg. conſentientes habent, referas, non, proferas. referre in acceptum autem videtur dixiſſe, pro referre in codicem accepti. quod non intellectum à ſciolis, credibile eſt ab eis eſſe depranatum.*

# IN PARADOX. 1.

1 *Vt multa de ſuis rebus aſp.*) *videtur legendum, vel vt multa de ſuis aſportarent, &c. vel, vt multas de ſuis rebus aſport. veruntamen nihil mutare auſim. Satis habui admonere lectorem minùs attentum, duriuſculum eſſe ita loqui, multa aſportare de ſuis rebus.*

2 *Cum ſine expoſitione exemplorum*) *in codice Memmiano hoc totum, ſine exp. ſitione, ſiue, ſine appoſitione exemplorum, vt eſt in vulgatis, ex codicum veterum auctoritate deletum erat, neque Langius in ſuis habuit. In vno duntaxat reperi, ſine expoſitione exemplorum: quod magis probo, quàm ſine appoſitione exemp. Quin, vt, quod ſentio, liberè dicam, vtrumq; mihi ſuſpectum eſt. Præterea, pro lentiùs diſputantur, quidam legi volunt, latiùs diſp.*

3 *Quàm filicatas iſtorum pat.*) *Sic reſtitutus eſt hic locus multis iam antè annis ex auctoritate codicum antiquorum, quamquam nonnulli legi volunt, Deliacas. Sed pluris eſt veritas, quàm coniectura. Supra autem proximè, pro, fictileis vrnulas, nonnulli libri veteres, in ijs, Pithœanus, & Cuiacianus, & Huraltinus, habent, fictileis hirnulas. Eſt autem hirnula, ſeu, irnula, vaſis genus, cuius erat vſus in ſacris, vt docet Feſtus.*

4 *Deuouit, atque immiſit.*) *Omnes libri veteres habent, deuotauit, atque immiſit: itaque emendatiũ eſt in codice Memm. ex tribus veteribus. Ego putabam olim legendum, deuotos immiſit, &c. ſed nunc veteres libros ſequor.*

5 *Gloriatione ſc & prædicatione extollit?*) *Nonnulli libri habent, effert?*

# IN PARADOX. 2.

1 *Tot virtutum præſidio munitus*) *In nullo codice vetere munitus, reperitur: quin etiam, ſeptus, quod paullo pòſt ſequitur, abeſt à pleriſque.*

2 *Reſpirare non ſinunt*) *In codice Memmiano ex vno vetere*

vere codice adſcriptum eſt: ſuperare non poſſunt: ex alio, ſuſpirare, ex alio, ſpirare. Ego, ſpirare, non improbo: ſed vulgatam lectionem, reſpirare, vt damnarem, inducere animum non potui.

## IN PARADOX. 3.

1 *Quæ quando alterò acceſſit*) alterò, id eſt ad alterum. Sic ſuperiore pagina malim legi, nihil huc addi poteſt.

2 *Rerum modum figere non poſſ.*) fingere, omnes quidem habent libri: ſed videri poſſit legendum, figere. Sic Horat. oda 15. lib. 3. Tandem nequitiæ fige modum tuæ.

3 *Viſa ſint breuiora: leuiora qui poſſint, &c.*) Recta quidem videtur hæc Scriptura: ſed ne ea quidem reijcienda eſt quam in codice Memmiano adſcriptam reperi: Si viſa ſunt breuiora: leuiora qui poſſint.

## IN PARADOX. 4.

1 *Sed dementem & inſanum rationibus vincam neceſſarijs*) ſiquis locus eſt in Paradoxis corruptus, hic eſt: quem Langius (nam cæteros, qui huic vlceri manus admouerunt, omitto) ſic emendare conatus eſt, Sed dementem & inſanum, addicam neceſſarijs. Addicam neceſſarijs, autem, id eſt mittam ad agnatos, inquit ille, ad quos mente captorum tutela pertinet. Sed ego hanc emendationem probare nullo modo poſſum. Nam primùm in omnibus libris reperitur vox, rebus, quam Langius delet. deinde quorſum hoc, ego te ad agnatos, vt dementem, mittam? Deinde ſi certum eſt, mente captum eſſe, non dubium quin ad agnatos mittendus ſit: ſin incertum, id demonſtrandum eſt. Poſtremò in omnibus ferè libris ſcriptis reperitur vox, inuictum, partim in locum verbi, addicam: partim vnà cum eo ipſo verbo. Pauci habent, ad victum, pro addicam: nonnulli, addictum, vnde intelligere licet mendum eſſe in verbo addicam. Adde quod nonnulli libri habent infinitiuum eſſe cum verbo, inuictum. Ego igitur coniectura ductus ſententiamq; Cice-

ronis ſecutus, ſic emendatum hunc locum puto: Inſanum eſſe rationib. euincam, ſeu aduincam. ſeu vincam neceſſario. Coniecturam meam adiuuant verba eius, quod proximè ſequitur, paradoxi, extrema: cùm eum ne liberum quidem eſſe ratio & veritas ipſa contineat. Iam quòd, rationibus, pro, rebus, edi iuſſi, non videor nimis longè diſcedere à ſcriptura recepta. nam rebus, factum fortaſſe eſt ex, rationibus. rationibus autem ex, rationibus. ſiquis tamen, rebus, retinere velet, non repugnabo.

2 *Vt ciuis optimi*) nonnulli libri veteres non habent particulam, vt, quos ſecutus eſt Langius. in vno pro, ciuis optimi, ſcriptum eſt, ciuis optimus. mendosè.

3 *Et me exulem tuo nomine*) quatuor libri veteres non habent vocem, exulem: eamq; Langius delendam cenſet: cui aſſentior.

4 *Et tu quidem in operto fuiſti*) ſic habent omnes libri vulgati, quos quidem viderim: quibuſcum nonnulli veteres conſentiunt. nonnulli, in portu: alij, in ponto. Ego, in operto, tueor, ac retineo.

## IN PARADOX. 5.

1 *Qui legibus non propter metum*) libri veteres habent, qui ne legibus quidem propter metum, &c.

2 *Illud tamen breui confitendum eſt*) ita eſt emendatum in codice Memmiano ex libris veteribus, & ita edidit Langius. alij noſtri codices habent, Illud tamen breue, & confitendum eſt. quod probo.

3 *Quæ ſunt dominorum facta nexu*) omnes libri veteres ad vnum, quos quidem viderim, habent, nexo: quod probo, atque ita ſentio legendum.

4 *Sed tamen ſerui, vt atrienſes*) locus eſt admodum corruptus, etiam in exemplaribus antiquis, quorum alia habent. atrienſes actu pari ſtultitiæ ſue: alia, actui pari ſtult. &c. alia, atrienſes acto pari &c. quibus ſcripturis tam diſſimilibus inter ſe, quidam ita mederi conati ſunt, vt exiſtimarent partim

*tim legendum, atrienſes ac topiarij, partim, atrienſes actuarij, &c. ſed fruſtrà. Omnino quædam deeſſe videtur. putabam hanc eſſe ſententiam Ciceronis, eamq; his verbis exprimi poſſe, Atque vt in magna familia ſunt alij honeſtiores ac lautiores, vt ſibi videntur, ſerui: ſed tamen ſerui, vt atrienſes: ſic ſtulti omnes, vt ii, pares inter ſe ſtultitia ſunt: ſed tamen inſignior eorum ſtultitia eſt, quos ſigna, &c. Quid ſi hoc modo legamus? Atque vt in magna familia ſunt alij lautiores, vt ſibi videntur, ſerui: ſed tamen ſerui, vt medici, anagnoſtæ, atrienſes: alij inferiore loco, vt mediaſtini: ita copioſiores illi quidem & abundantiores, ſed pari ſtultitia ſunt, quos, &c.*

5 *Echionis tabula te ſtup.) ſic legendum, non, vt vulgò, Actæonis tab. neque vt olim edidi, Aetionis tab. Pictorem Echionem commemorat Cicero in Bruto: commemorat & Plinius lib. 35. cap. 10.*

6 *Loquitur ad voluntatem) quidam libri habent, ad voluptatem.*

7 *Aſſidet, munerat) libri veteres alij habent, munera, alij numerat, alij vt edendum curauimus, munerat: quo modo & Langius edidit. In codice Memniano omnes hæ diſſimilitudines adſcriptæ ſunt, & præterea docti cuiuſdam coniectura, munera dat.*

8 *Iudex verò) legendum putant docti quidam, Index verò: quibus propemodum aſſentior.*

9 *Omnis animi debilitati, &c.) libri veteres habent partim, omnis animi debilitata, & humilis, & fracta timiditas: & ita emendatum eſt in codice Memniano: itaque edidit Langius. partim, omnis animi debilitas, & humilis, &c.*

## IN PARADOX. 6.

1 *Accuſatorum atq; iudicum) hîc planè legendum cenſeo, accuſatorum atq; iudicum: multoq; adeò magis quàm ſuprà. Index verò quantum habet dominatum?*

2 *Interceſſiones pecuniarum) interceſſus, emendandum cenſeo, propiùs accedent ad ſcripturam veterem, quàm Lan-*

*gius, qui reponit, intercessiones: quod idem valet.*

3 *Dilectum decretum) miror non esse ita editum à Langio: dilectum, inquam, cùm ita scriptum sit in exemplarib. omnibus antiquis, vt testatur emendatio huius loci adscripta ad marginem codicis Memmiani.*

3 *Non modò ad sumtum ille est fructus) omnes libri veteres habent, non modò ad fructum ille est sumtus, &c. ego tamen lectionem vulgatam retineo.*

# EIVSDEM LAMBINI IN ARATI PHÆNOMENA.

*Propterea quòd & æstatis primordia clarat) vulgò legitur: Propterea quòd ad æstatis primordia claret: quæ lectio videtur non reÿcienda, etiam si cum Arati versibus conferas.* Ὅς σφισι καὶ θέρεος καὶ χείματος ἀρχομένοιο ζημαίνειν ἐκέλευσον ἐπερχομένου τοῦ ἀρότοιο. *Sed And. Turneb. mauult legi: Propterea quòd & æstatis primordia clarat, &c. A quo dissentire non possum: placèq; arbitror ita potiùs legendum: quemadmodum in multis alÿs horum phænomenon locis emendandis ei sum assensus. Ipse autē labens geminis) sic edidit Guil. Morelius. Aliæ editiones habent, multis: pro quo Turneb. substituit, mutis. muti enim sunt pisces. Omnino, geminis, magis exprimit Arati verba,* τοὺς δὲ μέτα σκαίροντα δῦ ἰχθῦες ἀμφινέμονται ἵππον, *&c. pelagoq; vagato, vagato pro vagator antiquum, quo vsus est & Lucretius.*

*Missore vacans) id est sine arcu:* ἄτερ τόξου, *Aratus, tutos contingere portus) sic emendo. Nam cùm Aratus dicas,* ὅρμον ἐσερχόμενοι, *&c. contingere portus, valde his verbis respondit, constringere, quod est in lib. vulgatis, nullo modo. Fixa simul magnos edicam gentibus orbeis, sic legit Adrianus Turnebus: alÿ sic ediderunt, Fixa simul magno simileis vertentibus orbeis, &c. Aliæ editiones laceræ sunt, vt Moreliana, Fixa simul magnos edam gentibus orbeis, & postrema Caroli Stephani: Fixa simul sedem gentibus orbeis,*

*Arati*

*Arati verſus huic loco reſpondentes, hi ſunt,* ἄτιμητα τάγε καὶ ταὶ ἀλίγκια ἀλλήλοισι τίοντα τῶν κε μάλιστα, *&c. quibus Arateis magis conuenit meo iudicio editio illa ſimul magnos ſimileis verientibus orbeis, quamuis non videatur ex omni parte ſincera. Adr. Turnebus in Aduerſarijs ſuis addit etiam legi poſſe, edicam tantibus orbeis.*

*Nimio fulgens candore notatur) Adr. Turnebus legit vocatur, alter ab infernis Cancro connectitur) ſecutus ſum editionem Morelianam, quæ mihi viſa eſt Arateis verbis magis conuenire,* ἀλλ' ὁ μὲν ἐν κορίῃ τῆσι κάρηνον ἐςέρεται. *Alij ſic ediderunt, Alter ab infernis Auſtri conuertitur auris, præcipitent obitum) id eſt, celeriter obeant, & occidant. vis magna Aquilai Pellitur) cum alia multa in hoc poemate ab Adr. Turnebo eruditè & ingeniosè reſtituta ſunt, tum hoc in primis. Pace huius liceat cauſam expl.) hîc verſus tres integri & dimidius, qui deſiderabantur, vt licet ex Arato intelligere, à nobis reſtituti, & pæne dicam ab infernis excitati ſunt.*

# EIVSDEM IN LIBRVM Q. CICERONIS DE PETITIONE CONSVLATVS.

1 *Quæ conſequi ingenio) Muretus negat, vocem hominies in quodam libro manuſcr. reperiri. quod ſi probabimus, verbum, conſequi,* παθητικῶς *erit accipiendum. ego cùm in duobus libris item manuſcr. eam vocem reperiſſem, neque in cod. Memm. expuncta eſſet, non ſum auſus eam delere, non reclamaturus tamen, ſi quis delendam contendat.*

2 *Non vt aliquid ex iis noui addiſceres) ſecutus ſum hîc religiosè ſcripturæ veteris veſtigia. Nam duo libri manuſcripti habent, addiſcerem, addiſcerem autem factum puto ex addiſcerez, cum z, ſcriptum eſſet initio pro s, deinde pro m, acceptum.*

3 *Tamen videtur in paucorum menſium negotio) vide-*

*tur delenda præpositio, in.*

5 *Quæ noui non habuerunt ) sic hunc locum iampridem emendandum censui: maneoq; in sententia. doctus quidam, idemq; mihi amicus, existimat addendum, omnes: vt sit, quæ noui non omnes habuerunt.*

5 *Eorum alterius bona proscr. vid. vocem denique aud.) C. Antonium describit. ad hunc locum pertinet illud ex fragmentis orationis in C. Anton. & L. Catil. Quem enim aut amicum habere potestis, qui tot ciueis trucidauit: aut clientem, qui in sua ciuitate cum peregrino negauit se iudicio æquo certare posse? cùm, vt tabulam quos poneret, non) putarim legendum, quos poneret, alios non habebat: nempe quàm Sabidium & Pantheram, tabulam autem puto accipiendam, censoriam.*

6 *Alter verò dij boni, &c.) Catilinam designat. hic locus erat vocibus peruersè & præposterè positis, fœdè corruptus: quibus in suum ordinem restitutis, nihil nunc est integrius. sic enim legendus: primùm nobilitate eadem: deinde maiore non virtute, sed audacia.*

7 *Quin ille manias & vmbram suam, &c.) hunc locum coniectura non inani, meo quidem iudicio, ductus, sanè feliciter restituis dicuntur autem manias & vmbram suam metuere, prouerbiali sermone, qui supra modum metuunt, vt pueri, quos nutrices cùm plorant immoderatiùs, & improbiùs, nescio quibus terriculamentis obiectis, larua quibusdam, aut lamijs & figuris deformibus commemoratis ac nominatis à ploratu reuocare conantur. Erant autem manias, vt docet Festus, turpes, deformesq; personæ, vel, vt alij volunt, sicta quædam hominum simulachra, ex farina: vel larua, id est, manes, quos deos deasque putabant, quósque ab inferis ad superos emanare credebant, quos denique pueris nutrices minabantur. Talis ferè erat vox illa μορμὼ apud Græcos, ex qua μορμολύττειν. & μορμολύγματα. Deinquid dissimulem, in hanc me coniecturam deduxit Passeratius, qui tamen, manius, legendum pro, inanius, existimabat; doctè quidem & inge-*

ingeniosè, sed minùs probabiliter, minusq; verè.

8 Hîc ne leges quidem) sic legendum, non, vt vulgò, hunc negliges quidem. sententia autem nunc plana est. C. Antonius ita timidus est (inquit) vt puerorum more manias & vmbram suam metuat. Catilina ita audax, vt ne leges quidem metuat.

9 Hominem optimum, &c.) lego ex coniectura, quam feci ex scriptura antiqua, hominem honestissimum, virumq; optimum. nam liber vnus antiquus habet, hominem, virumq; optimum.

10 Virgis per totam vrbem ceciderit?) libri manuscript. habent, viribus per totam, &c.

11 Stantis collum gladio suo dextra sec.) ad hunc locum pertinet illud ex fragmentis orationis in C. Anton. & I. Catil. Populum verò cum inspectante populo Ro. collum fecuit hominis maximè popularis, quanti faceret, ostendit.

12 Et si in alijs culpa nō esset, &c.) doctus quidam, idemq; amicus meus legendum putat, detracta negatione, & si in alijs culpa esset, &c. ego nihil mutandum censeo. Nam hunc locum esse integrum declarant verba Marci Ciceronis in oratione in Anto. & Catil. quæ reperiuntur in fragm. Cùm ita vixisti, vt non esset locus tam sanctus, quo non aduentus tuus etiam cùm culpa nulla subesset, crimen afferret.

13 Vt parentum propè in gremijs) liber vetus vnus habet, propè virentum gremijs. vnde suspicantur quidam legendùm, in parentum propè videntium gremijs.

14 Tamen eorum alterum, cùm deesset alter, &c.) vel legendum cùm sibi deesset alter, vel, deesset, positum, pro abesset, vt & alibi infrà, vel decesset legendum, vt existimat Pas. decesset autem valet decessisset, qualia sunt existimem, promisset, diuisse, & similia.

15 Vt forti viro, deserto, &c.) sic insserā edi, & ne legendum censeo, vt forti viro, homini deserto, & innocenti, &c.

16 Eos verò, qui consularibus familijs, &c.) sic hunc locum restitui, detracta voce, suspicor, quæ huc ab aliquo indocto

illata fuerat, sententia autem huius loci est hæc, & ij, qui eodem honore vsi sunt, vident quid dignitatis adepturus sis, cùm tu idem, quod ipsi, sis adeptus: & ij, qui consularibus familijs nati locum maiorum consecuti non sunt, nisi qui te admodum amant, tibi inuident, hic operæ olim omiserant, tibi. legendum enim, tibi non inuidere.

17 Esse non amicos) negationem addidit Adrianus Turnebus, sine dubio à scriptoribus librarijs omissam, & huic loco necessariam.

18 Deinde vt quisque est intimus ac maximè, &c.) sic habent duo libri manuscript. & ita emendatum est in codice Memmij, & Adr. Turnebi, & Leodeg. Querni. In eisdem libris emendatum etiam est, vt edidimus, & quàm amplissimum esse te cupiat.

19 Omni studio, atque opera elaborarunt) sic emendauit Adr. Turnebus coniectura ductus.

20 Sicut parata esse confido) sic emendatum est in codice Adr. Turneb. idque ex auctoritate codicis manuscript. vt mihi ipse confirmauit. ego olim antequam hanc ex vetere codice emendationem cognouissem, suspicabar legendum esse pro, concerno, omnino cerno. Passeratius, concerno, retinendum putat.

21 Vt hoc tempore ab ijs, qui debent) sic legendum, & ita emendatum est in codice Memmij & Turnebi ex veteribus, natum autem erratum vocis, idem, ex antiqua scribendi consuetudine temp. quod valet tempus, seu temporis, seu tempore.

22 Petitio tua maximè munita est) sic emendatum est in ij, quos dixi, codicibus, ex auctoritate veterum: neque de veritate scripturæ dubitandum. Quamquam, quod quidem coniectura ducti reposuerunt, minimè non est reijciendum sed vetus scriptura plus ponderis habet.

23 Et quemadmodum nemini illorum vlla in re vnquam &c.) sic & Lampridem emendarat Muretus, & ego nuper emendatum reperi in duobus eorum, quos honoris causa

*ſemper nominatos velim, codicibus.*

24 *Cuius cauſa debent, aut volunt*) *ſi. legendum. ſic enim loquebantur veteres, debet tua cauſa: volo tua cauſa: earumq́, loquendi formarum ſexcenta ſunt apud Latini ſermonis auctores exempla.*

25 *In quo modo aliquid virtutis ſit*) *vox, virtutis, delata erat in libro Adr. Turnebi ex auctorit. veterum cod. integra comparebat in Memmiano.*

26 *Nullis ſuffragantibus meritis*) *vox, meritis, abeſt, à duobus libris veteribus: quæ tamen videtur neceſſaria: in iiſdem participium, ſæpius, paullo pòſt non reperitur.*

27 *Gratioſi in foro, nauiq́, verſantur.*) *ſic reſtituit Adr. Turnebus, leui immutatione facta.*

28 *Deinde habeto rationem*) *ſic eſt emendatum in codice Memmiano & Turnebæo: planeq́, ita legendum.*

29 *Tibi tributim deſcriptam*) *ſic reſtitui coniectura ductus, cùm animæduertiſſem ex codice Memmij, & Turnebi eſſe in libris manuſcriptis, tributim diſtrictam: ex quaſcriptura tamen Turnebus facit, diſtinctam. ego, deſcriptam, malo.*

30 *Ita cùm & hos ipſos, qui &c.*) *ſic hunc locum emendavi, vna, voce, quæ fuerat ſuo loco mota, in ſuam ſedem reſtituta: nempe cum in libris omnibus provocabulum, qui locatum ſit ibi, qui apud tribuleis: ego ita edidi, qui propter ſuã ambitionem, &c.*

31 *Tum autem quòd equeſter ordo, &c.*) *totus hic locus præclarè ab Adr. Turnebo ope veteris codicis emendatus, & in integrum reſtitutus eſt.*

32 *Alij honeſtatem*) *ſic reſtituit Muretus: & rectè.*

33 *Nervos atq, artus eſſe ſapientiæ*) *ſic Epicharmus Græcè, νῶτα καὶ μέλεα εἶμεν ἀγρυπνίας, ἁρμὰ τᾶς τᾶν φρενῶν: ex quibus Græcis videtur aliquid deeſſe his Latinis, Quincti, atq, ita legẽdũ, nervos atque artus eſſe ſapientiæ, vigilare, & cauere, & non temerè credere proferuntur in epiſtola ea, quæ vltimã antecedit lib. 1. ad Att. & à Suida in voce ἐπιχειρον.*

34 *Speciem in rep.*) *ſic legendum cenſeo, reiecta lectione*

vulgata, nam ex horum membrorum explicatione, quæ sub-
iungitur: spem, legi non posse intelligere licet. sunt enim sex
membra, nomenclatio, blanditia, assiduitas, benignitas, tu-
mor, species, in rep. Ac cætera quidem suo loco explicantur:
postremum autem infrà ibi. Postremò tota petitio cura vt
pompæ plena sit, &c.

35 Non comitas tibi, nec ea, &c.) hunc locum alij resti-
tuere in integrum conati sunt, sed frustrà. ego mihi videor
huic vlceri ita manus medicas admouisse, vt nihil inte-
grius fingi possit. Est autem hoc genus loquendi veteribus
vsitatum, & Q. fratre dignum: quod sic explico: non co-
mitas tibi opus est, nec ea, quæ bono viro, ac suaui homine di-
gna sunt, sed opus est magnopere blanditia, &c.

36 Committandus est) nihil muto, quamuis quidam putet
legendum, accommodandus est: quod tamen sicui magis pro-
babitur, non repugnabo.

36 Si, quod eius sit, consequi possit, &c.) sic hunc locum
emendandum arbitror & parua immutatione scripturæ ve-
teris facta, & optima sententia expressa.

38 Est in conuiuijs) malim legi: est & in conuiuijs, &c.

39 Quæ facito & abs te, &c.) sic habet liber vetus vnus:
alter, quæ fac vt & abs te: quod idem valet.

40 Vt id aut iucundè promittas) deerat hic vnum mem-
brum: id quod intelligere licet ex ijs, quæ sequuntur: quorum
alterum, &c. alterum, & Errauerat librarius scilicet in vo-
cibus, iucundè & ingenuè: atque ab aduerbio, iucundè, ad
verbum, neges, transierat. sic igitur ego restituo, vt id aut
iucundè promittas, aut ingenuè neges. Nam quod Adrianus
Turnebus sic emendari vult, vt id aut promittas, aut iucundè
neges: primum, verbum promittas solitarium & sine aduer-
bio non placet: deinde iucundè neges, non conuenit.

41 Alijs te id rebus exsarturum) maneo in sententia, vt
hunc locum sic emendandum esse existimem: quam emenda-
tionem doctissimi quidam viri probant. Nonnulli tamen ex-
aucturum malunt.

42 Homini

42 Homini planè perito) liber vetus vnus habet, homini Platonico.

43 Quòd sæpe accideret, vt, &c.) vocem, causa, deleui: multa, quæ deerant in libris vulgatis, reperta in manuscriptis restitui.

44 Certè ab alienis & statim, & plureis) sic edendum curaui, duorum veterum librorum auctoritatem secutus: præterea verbum, inimicantur, deleri iussi, quia eius nullum est in libris veteribus vestigium.

45 Vt facere quod promisit, &c.) hæc sunt apta ex superioribus, hoc modo, ita impeditum, vel ita iusta causa impeditem, &c. suprà proximè videtur aliquid deesse, & ita legi debere quem vid. iusta caussa impeditum non facere.

46 Re, operaq; multis. proficiatur id, &c.) mutata interpunctione, & emendato verbo perficiatur, ex eoq; facto, perficiatur, hic locus ab omni labe vindicatus ac purgatus est, idq; ex librorum antiquorum auctoritate, non sine coniectura tamen nostræ.

47 Excitanda nobis sunt) libri veteres habent, excuranda nobis sunt,

48 Vt etiam siquid possit, &c.) hic locus non videtur à mendo vacuus. Videtur autem legendum, ne competitoribus: pro, nec compet.

# ELOGIA DE M. T. CIC. EX VETVSTISSIMIS AVCTORIBVS.

## T. LIVIO, HISTORIARVM LIBRO CXX.

M. CICERO ſub aduentum Triumuirorum ceſſerat vrbe, pro certo habens, id quod erat, non magis Antonio eripi ſe, quàm Cæſari Caſſium & Brutum poſſe. Primo in Tuſculanum fugit: inde tranſuerſis itineribus in Formianum, vt ab Caieta nauim conſcenſurus, proficiſcatur. Vnde aliquoties in altum prouectum, cùm modo venti aduerſi retuliſſent: modò ipſe iactationem nauis æco voluente fluctu pati non poſſet: tædium tandem eum & fugæ & vitæ cepit. Regreſſuſq; ad ſuperiorem villam, quæ paullo plus mille paſſibus à mari abeſt, Moriar, inquit, in patria ſæpe ſeruata. Satis conſtat ſeruos fortiter, fideliterq; paratos fuiſſe ad dimicãdum: ipſum deponi lecticam, & quietos pati quod ſors iniqua cogeret, iuſſiſſe. Prominenti ex lectica, præbentiq; immotam ceruicem caput præciſum eſt. nec ſatis ſtolidæ crudelitati militum fuit: manus quoque, ſcripſiſſe in Antonium exprobrantes, præciderunt. Ita relatum caput ad Antonium: iuſſuque eius inter duas manus in Roſtris poſitum, vbi ille conſul, vbi ſæpe conſularis, vbi eo ipſo anno aduerſus Antonium, quanta nulla vnquam humana vox, cum admiratione eloquẽtiæ, auditus fuerat. Vix attollentes lachrymis oculos homines intueri trucidata membra eius poterãt. Vixit tres & ſexaginta annos: vt, ſi vis afuiſſet, ne immatura quidem mors videri poſſit. ingenium & operibus & prẽmijs operorum felix. ipſe fortunæ diu proſperæ, & in longo tenore felicitatis, magnis interim ictus vulneribus,

bus, exſilio, ruina partium, pro quibus ſteterat, filiæ morte, exitu tam triſti atque acerbo, omnium aduerſorum nihil, vt viro dignum erat, tulit, præter mortem: quę verè exiſtimanti minus indigna videri potuit, quod à victore inimico crudelius paſſus erat, quàm quòd eiuſdem fortunæ compoſito feciſſet. ſi quis tamen virtutibus vitia penſarit: vir magnus, acer, memorabilis fuit, & in cuius laudes ſequendas Cicerone laudatore opus fuerit.

### Avfidio Basso.

Cicero paullum remoto velo poſtquam armatos vidit, Ego verò conſiſto, ait, accede veterane: & ſi hoc ſaltem poteſt rectè facere, incide ceruicẽ. Trementi deinde dubitãtiq;, Quid ſi ad me, inquit, primũ veniſſetis?

Sic M. Cicero deceſſit, vir natus ad reip. ſalutem, quæ diu defenſa & adminiſtrata, in ſenectute demum è manibus eius elabitur, non ipſius vitio læſa, quòd nihil in ſalute eius aliud illi, quàm ſi caruiſſet Antonio, placuit, Vixit ſexaginta & tres annos, ita vt ſemper aut peteret alterum, aut inuicem peteretur: nullámque rem rarius quàm diem illum, quo quòd nullius intereſſet ipſum mori, vidit.

### Brvtidio Nigro.

Elapsvs interim altera parte villæ Cicero lectica per agros ferebatur. ſed vt vidit appropinquare notum ſibi militem Popilium nomine, memor defenſum à ſe lætione vulku aſpexit. at ille, victoribus idipſum imputaturus, occupat facinus, caputque deciſum, nihil in vltimo fine vitæ facientis, quod alterutram in partem poſſet notari, Antonio portat, oblitus ſe paullo antè defenſum ab illo.

### Asinio Pollione.

Hvivs ergo viri tot tantiſq; operibus manſuris, in omne æuum prędicate, cuius ingenio atq; induſtria ſuperbè natura pariter atque fortuna obſecuta eſt. Ei qui-

dem facies decora ad senectutem prosperaq; permansit valetudo: tum pax diutina, cuius instructus erat artibus, contigit: namq; à prisca seueritate iudicis exacti, maximorũ noxiorum multitudo prouenit, quos obstrictos patrocinio incolumes plerosq; habebat. Iam felicissima consulatus ei sors petenti & gerẽti munera magna deũm consilio, industriáque: vtinam moderatiùs secundas res, & fortius aduersas ferre potuisset: namq; vtræq; cum venerant ei, mutari non posse rebatur. Inde sunt inuidiæ tempestates coortæ graues in eum, certiorque inimicis aggrediendi fiducia: maiores enim simultates appetebat animo, quàm gerebat. Sed quando mortalium nulli virtus perfecta cõtigit, qua maior pars vitæ atque ingenij steterit, ea iudicandum de homine est. atque ego ne miserandi quidem exitus eum fuisse iudicarem, nisi ipse tam miseram mortem putasset.

## Cornelio Severo.

*Oraq; magnanimûm spirantia pœnè virorum*
*In Rostris tacuere suis: sed enim abstulit omnis,*
*Tanquam sola foret rapti Ciceronis imago.*
*Tunc redeunt animis ingentia consulis acta,*
*Iurataq; manus deprehensaq; fœdera noxæ,*
*Patritiumq; nesus: est nunc & pœna Cethegi,*
*Deiectuq; redit votis Catilina nefandis.*
*Quid fauor aut cœtus, plenq; quid honoribus anni*
*Profuerunt, sacris & vita quid artibus acta?*
*Abstulit vna dies cui decus, ictaq; luctu*
*Conticuit Latiæ tristis facundia linguæ,*
*Vnica sollicitis quondam tutela salusq;,*
*Egregium semper patriæ caput: ille senatus,*
*Vindex ille fori, legum, ritusq; togaq;:*

Publica

*Publica vox, eius æternum obmutuit armis.*
*Informes vultus sparsamq; cruore nefando*
*Caniciem, sacrumq; manus, operumq; ministras*
*Tantorum, pedibus cuius proiecta superbis*
*Proculcauit omans, nec lubrica fata deosq;*
*Respexit: nullo luet hoc Antonius æuo.*
*Hac nec in Hæmatio mitis victoria Perse,*
*Nec te dire Syphax, non fecit in hoste Philippo,*
*Inq; triumphato ludibria cuncta Iugurtha*
*Asuerant, nostrisq; cadens ferus Hannibal ire,*
*Membra tamen Stygius tulit inuiolata sub umbras.*

REGIÆ Maiestatis Priuilegio cautum est, ne quis hos M. Tullij Ciceronis libros de Officijs, ex Dionysij Lambini & aliorum doctissimorum virorum recognitione & castigatione, infra decennium imprimat, aut alibi extra Angliæ regnum impressos diuendat, præter illos quos Thomas Vautrollerius Typographus Londinensis in claustro vulgò Black-Friers commorans, suis typis excuderit.